Vitruuius 6.13.6.20.18.24. 23. 31.23.33.lib.I.cap.11. 3.22. 4.16.12.7. cap.v. 21.23.25. 12.cap.1.30.33.30.36.li.II. 9.14.22.18. lib.III. 11.2. lib. IIII.11.4.lib.V.5.4.6.20.10. 10.18.34.24.2.24.39.28.20. lib.VI.10.17. lib.VII. cap.v. 1.27. 2.3.6.17.cap.xiiii.19. 25.cap.viii.20.12.cap.iii. 26.3.26.15.lib.VIII. ca.iii. 1.27.6.13.24.7.30.38.li.IX.1. 19.cap.iiii.4.5.6.12.11.3.ca. iiii.16.13.cap. iiii.22.23. cap.iiii.22.29.cap.iii.& 9. 25.11. 27.10. 29.13.29.31. lib.X.cap.xv.2.3. cap.xvii.2. 5.2.22.3.7.7.20.9.20. 11.4. cap.xii.16.14.ca.xi.22.27.26. 8.27.28.cap.xx.28.20.29.11.

Volusius 8.14.

Vopiscus in Aureliano 9.11.18. 17.18.19.& 20.19.9.19.21.24. 45.30.21.in Tacito 30.26.in Probo 9.11.15.20.18.20.24. 25.30.20.in Saturnino 30.20. in Bonoso 30.20. in Carino 11.25.

Vrbicus de limitib.agr. 4.24.

Vlpianus in fragm.ca. de decim. 30.23.de iustit.& iu. 8.20.de offic.quæst 5.11.de offic.prętor. 7.7. de offic. proconsul 30.26. de iudicijs 19.26. pro socio 30.6.de peric.& com.r. vēd. 1.1.7.23.de auro & arg. leg. 1.13.3.21.11.19.18.23.28.23. de tigno iuncto 13.27. de iniurijs 28 31.de extraord.crim. 9.17.de censib.9.15.

Vulcatius Gallicanus in Cassio. 20.15.

X

Xenophon 17.4. lib.I. hellenic. 17.6. lib. VII. 9.9.in Repub. Lacon. 27.26. in conuiuio 7. 16.

Xiphilinus in Pompeio 6.9.

Z

Zonaras 2.16.11.21.

ERRATA.

Pag.8.lin.31.Zephyrium promontorium 32.Arsinoē 9.9.carminis 14.consequuntur 13.11. ἐν μεγέθ 12. ποιητὴν 15.6. κεφαλαρσίων 38.brachia 17.27.deorum 39.imitatus 18.8.tessellata 37.eum 20.14.possit 21.ærumna 31. vere 21.4. consulatum 22.24.oscitantis 37.sensum illustrauit ex 23.10.sacculo ib.sarculo 23.refrina 24.7.vri 22. demiror 34. scire 27.16. τιθηλὸς 30.28.εἰς τὸ 31.13.liberalitate 37.7. Plinius lib. 40.13 parallelas 16.parastatarum ib parastata 25.μεταξὺ ib. ξέξαδτω 41.15.climacis 31. ἀξόνια 42.11.πράσειρα 17.διάπυημὰ ib.σωμεγικὸς 43. 26.ἐσχιαγραφημμὴν 44.37. antibole 45.18.pudēter 46.15.extat 36.decebat 48.10.κεφαλὼ τὲ 24.memorialia 49.18.Maiæ 36.habeant 51.4.polo. 53.33.γεγονὼς 54.39. σρατεύμαζε 55.17.Suexores 57.31.lacernatus 61.11.AEtnæo 63.7.& aræ 22.pnigeos 64.28.Lucumones 65.9. idem & 66.29. exprimentium 70.5.labor vt 71.21.aduorsum 73.6.mihi haud 75.23.μελαμψηφῖδες 78.10.amphitheatralibus 22.velut 28. subijcit 80.29.patrimonio 75.30.parmularius 83.16. cùm paria paribus 85.15.blenni 34.iurisiurandi 86.7. λίμνης 37. φάσκωλος 83.8. cœrator 85.27.sistenti 87.7.omina 34.Chaonias 36. tellus & 90.22.beneficentia 39. δὶς 95.29. actores 99. 26.Sex lictoribus 100.26.ducto 101.9.βάσιν 28.loculionibus 32.caligæ 104.1.autem 112.28. succidiarum 113.5. illuc 31. excusis 34.contubernia 115.7. ἢ 116.17.cognomen 120.27.inserebatur 30.ἀδυωατῶν 34.πειβώνια 121.29.τῇ γκί. 126.38. vaccinia 140.31.lycijs 143.21.τὸ τῶν 144.39.factum est 147.25.indutum 152.9.Parma autem 154.24. vt apud 155.34. vua 157. 34.qua 171.31.dixit 172.13.falsum 177.35.res 181.9.πραπίζης 189.35.Nam nunc 197.39.certè 203.1.census 11.fuit 209.14.prepositis 213.8.parendum 40.ἐδρὸν 214.1. ἡσυχῇ 225.27.habeo 230.14.purgare 233.11.striculi 235.17. situlis 238.8. detracta litera 246.32.obscœnum quidem est 251.13.pectum pro pexum 264.1.quo faciunt 267.30.Vlpianum 277.28. patribus 285.6.nunc 16.equitem 295.14.perscriptiones 305.1.affectus 316.24.inquinatum fumo 335.24.condēnatus 341.1. semper parapsis 349.31.retiarium 356.2.in municipijs 357.20. PRASINAE 358.33. conuentuum 359.9. colligato 374. 26.ἐξευγμένες 28.ὀρθοῖς 381.28.πᾶν 386.2. οὗ 406.13.voluit.

ADRIANI TVRNEBI ADVERSARIORVM LIBER.

PRIMVS.

Vinum doliare, vinum diffusum, vinum defusum, vinum de dolio, vinum de cupa, propala vinum defundere, Amphoræ, notis signatæ & titulis, de meliore nota.

CAPVT I.

VINVM doliare omnes ferè apud Vlpianum exponunt, quod in dolio conditum est, ad vini pendentis discrimen, præsertim cum vinum pendens, ipsas vuas significet, & vindemiam nondum collectam: Nam vinum pro vuis dici locus ille Plauti clarissimè indicat: *Tum vinum priusquam coactum est, pendet putidum.* Ego potius putem vinum doliare dici ad discrimen vini diffusi: cuius rei ecquem locupletiorém citare testem possum, quam Proculum Iurisconsultum? Is enim: *Ego (inquit) etsi dolia in vasis vinariis non sunt, tamen non concederem Trebatio, quod in doliis esset, id est, quod in vasis non esset, legatum: Illud verum esse puto, cui vinum legatum cum vasis erit, ei amphoras & cados, in quibus vina diffusa seruamus, legatos esse.* Vinum autem doliare, vinum est nouum, quod quia vetustatem non habet, quæ diffuso quæritur, & vino maturitatem, & suauitatem affert, ideo minoris erat pretii. Vinum de dolio appellat Cicero, vt in Bruto: *Num igitur qui hoc sentiat, si is potare velit; de dolio sibi hauriendum putet?* Appellat & vinum de cupa, vt in Pisonem: *Panis & vinum à propala & de cupa.* Sic in bonis libris lego: Nam propala est qui merces propalã velut antè palũ, aut de palo pendẽtes habet, & vendit: quam vocem in propolam deprauarunt, cũ apud Græcos (quorum vocabulum videri volunt) hæc vox proxenetam significet, venditionisque conciliatorem, vt scribit Pollux. Ea integra hodiéque apud Varronem remanet, sic scribentem: *Denique ipsæ exruminantes ad propalam vitam diu producunt:* id est apud propalã. Quo sanè in Varronis loco non dubitem ruminantes emendare refragantibus libris omnibus, in quibus exgrumantes legitur. Cocleas enim dicit apud propalam ruminando suo sibi succo, & exiguo cibo vitam diu producere. Apud Nonium deni-

L. 1. § si doliare ff. de peric. & cõm. r. vend.

Plaut. Trinũmo. Sc. Minus quindecim dies.

l. vinũ §. ego ff. de tritic. vi & cl. legat.

Cic. in Bruto, seu de claris orat.

Cic. in pison.

Pollux lib. 7. caput 2.

Var. de re rusti. lib. 3. cap. 14.

Apud Noniũ in Primiter.

que Lucillius ipso syllabę modulo satis indicat vocabulum Latinum esse, cuius verba sunt:

Vt cum primitiis ficos propala recentes
Protulit, & pretio ingenti dat primitus paucos.

Quod si cui testimonium illud Proculi fortè nõ satisfacit, veniet in numerum Plutarchus, qui vinum de dolio nouũ esse ostendet, cuius verba sunt, τὸν δὲ ἀνθοσμίαν ἀπωσάμενοι τοῦτον, καὶ ἡμερώδη, ἀρχιώτερον πίνομεν οὐκ πίθων κωνώπων χορῷ πεελαδόμενον: id est, Isto veteri & miti vino reiecto, durum & immite de dolio bibimus culicum turba perstrepens. Vinum autem diffusum est quod in amphoras & cados apothecarũ ad asseruandũ fusum est. Plinius *Apothecas fuisse, & diffundi solita vina anno* DCXXXIII. *vrbis apparet indubitato Opimiani vini argumento.* Apud Catonem tamen doliare vinum pendenti opponitur, apparétq; eius ætate nondũ frequenter solitum esse vinum diffundi in Italia. De diffuso vino ita scribit Horatius:

Vina bibes iterum Tauro diffusa. Et Iuuenalis.

Ipse capillato diffusum consule potat.

Defundere autem vinum, est de dolio in craterem, aut de cratere in pateram fundere. In Horatio igitur rectè coniicit vir doctissimus Lambinus scribendum:

Et nisi mutatum parcit defundere vinum.

Id enim est in pateram, vel trullam fundere, & bibere. Et libro 2. de Finibus: *Quibus vinum defusum sit è pleno Oenophoro.* id est, deorsum in pateram aut poculum fusum. Et apud Maronem:

Hæc ait & liquidum Ambrosiæ defudit odorem.

Amphoræ autem & cadi in quibus vinum erat conditum notis signabantur, & titulis: vt indicat Iuuenalis:

–cuius patriam, titulúmque senectus
Deleuit multa veteris fuligine testæ.

Proinde Cicero in bruto scribit: *vt si quis falerno vino delectetur, sed eo nec ita nouo, vt proximis Coss. natum velit, nec rursus ita vetere, vt Opimium, aut Anitium Cons. quærat. Atqui hæ notæ sunt optimæ! credo: sed nimia vetustas nec habet eam quam quærimus suauitatem, nec est iam sane tolerabilis.* Itaque cùm aliquem commendasse nos dicimus de meliore nota, quo genere loquendi est vsus doctissimus & elegantissimus poëta Catullus, & Curius in epistola ad Ciceronem: nisi fallor, translationem à vino ducimus, in quo melior, & optima nota dici solet: quod & ab eruditissimo Lambino est obseruatum.

Angustus clauus, Tribunus angusticlauius & laticlauius, arctum lumen purpuræ apud Papinium. *Caput.* II.

NEMI-

Plutarchus.
Plinius lib. 14 cap. 14.
Catul. de re rust. cap. 147
Horat lib. 1. epist. 5.
Iuuenal. sat. 5.
Horat. lib. 2. saty. 2.
Cic. lib. 2. de finib bon. & mal.
Virgil lib. 4. Georgic.
Iuuena. sat. 5.
Cic. in Brut.
Catul. ad Mal.
Cic. lib. 7. epist. fami. epist. Si vales.

NEMINEM esse existimo in Gallia [redacted], cui Georgius Buchananus non sit notus, [redacted]: Inter nos de literis nuper cùm sermo incidisset, ac de Tranquillo loqueremur, qui vitas Cæsarum pari licentia ac illi egere, scripsit, dixit non solùm magno errore receptum esse patrem eius Augusti clauium fuisse: uerùm etiam magna hominum molestia, in eo explicando miserè se cruciantium: quorum quid, inquit, attinet ineptias commemorare? sese autem opinari dicebat angusticlauium scribi debere, vt Laticlauium: quòd esset tunica Augusti claui, vt Lati. Atque huius sententiæ suæ astipulatorem adscriptorémque producebat Ouidium, cuius lib. 4. Trist. hi sunt versus:

Curia restabat: claui mensura coacta est.
Maius erat nostris viribus illud onus.

Se enim in Equestri ordine substitisse dicit Ouidius: & Suetonius patrem suum nondum adeptum fuisse latum clauum significat. Et si autem tam clarè id à Buchanano probatum esse confido, vt dubitandum nullo modo censeam: Tamen quo id testatius & confirmatius sit, addam Paterculi testimonium de Męcenate, qui in Equestri ordine semper mansit, sic scribentis. *Quippe vixit angusto clauo pene contentus, nec maiora consequi non potuit, sed non tam optauit.* Accedet velut supernumerarius testis (re satis illis iam testimoniis confirmata) Lampridius, cuius verba sunt: *Tum satis esse constitutit, vt Equites Romani à Senatoribus claui qualitate discernerentur:* In eadem etiam esse sententia Lambinum collegam meum animaduerti. Hæ me auctoritates mouent vt in Papinio lib. 4. Syluarum, sic hos versus legam, & de angusto clauo intelligam.

Hic paruus inter pignora curiæ
Contentus arcto lumine purpuræ
Crescis.

Vbi refragante versus lege raro hodie scribitur in omnibus, quæ quidem viderim exemplaribus. Arctum enim lumẽ purpuræ, angustum clauum purpureum accipio, quo is, quamuis Senatoris filius, contentus erat. Tribuni autem militũ quidam angusticlauij erant, quidã laticlauij: híque maioris dignitatis, illi minoris. Patrẽ quidem suũ Tribunũ angusticlauiũ fuisse Othoniano bello Suetonius dicit: vapulasse Neronẽ à quodã laticlauio etiã narrat, vt existimo non Tribuno militũ laticlauio, sed Senatore. Nam à Dione is Iulius Montanus nominatur, & Senator appellatur.

Comperendinatio, altera actio. *Caput* 3.

QVID intercomperendinationẽ, & ampliationem apud Cic. in Verr. interfit, quæri plerumque animaduerto: qua de re neque recentiorũ sententia

Suetoni. in octauio. Aug. cap. 73.
Cuidius. lib. 4. de tristib. eleg. vlt.
Paterc. 2. 70
Lampridi. in Alexand. Seuer.
Papin. lib. 4. silua. 5. ad Septimam. Sent.
Suetoni. in Othone cap. 10.
Dion in Othone.

tentia mihi probatur, nec veteris interpretis Asconii expositio satisfacit: quam (ne prolixior sim) adscribere non decreui. Potius Ciceronis locum subiiciam, & ex eo coniecturam captabo, & (si potero) verum eliciam: Eius verba hæc sunt. *Adimo enim comperendinatum, quod habet lex in se molestissimum, bis vt causa dicatur: quod aut mea causa potius est constitutũ, quàm tua, aut nihilo tua potius, quàm mea. Nam si bis dicere commodum est, certe vtriusque commune est. Si eum, qui posterius dixit, opus est redargui, accusatoris causa, vt bis ageretur, constitutum est. Verùm, vt opinor, Glaucia primus tulit, vt comperendinaretur reus: antea vel iudicari primò poterat, vel amplius pronunciari.* Iftis ego Ciceronis verbis persuasus huc labor, vt putem ampliationẽ fuisse in iudiciis, cum parum iudicibus liquebat: comperendinationẽ lege Seruilia in iudicium repetundarum introductam, vt etiam si prima actione iudici liqueret reum damnandũ esse, tamen ei condemnare non liceret. Lex enim Seruilia induxit comperendinationem, ne primò iudicaretur: id est vt bis causa diceretur: ac comperendinatio, altera, id est secunda est actio. Bis enim iudicium exerceri voluit de pecuniis repetundis: nec, si cõstaret iudici prima actione damnandum esse reum, licere voluit damnare ante secundam actionem. Sic Cicero Verrem velut lege Seruilia comperendinatum fingit ad iudicium adesse & respondere: ac comperendinationem alteram actionem appellat, his verbis: *Neminem vestrum ignorare arbitror Iudices, hunc per hosce dies sermonem vulgi, atque hanc opinionem Populi Romani fuisse, C. Verrem altera actione responsurum non fuisse, neque ad iudicium adfuturum.* Hanc tamen explicationem attigit (ne quid dissimulem) Asconius cùm scripsit: *Comperendinatio vtriusque partis recitatio est.* Id est (vt interpretor) cùm iterum à precone citantur vt adsint, qui priore actione citati fuerant.

cic 3. acta in Verrem.

cic. 3. in Ver.

Ascon. Pedia. in 3. acta in Verrem.

Melici, Dithyrambici, μελοποιὸς, μέλη, lyrici, numeris fertur lege solutis quid. CAPVT 4.

EXTAT Ciceronis libellus de optimo genere oratorum, quem scripsit, cùm in Latinam linguam conuertisset aduersarias Æschinis, & Demosthenis orationes, quas & Diuus Hieronymus vidit. Eius libelli principium multos suboffendit: nam cum ita scribat: *Oratorum genera esse dicuntur tanquam poetarum: id secus est. Nam alterum est multiplex. Poematis enim Tragici, Comici, Epici, Melici etiam, ac Dithyrambici, quod magis est tractatum à Latinis, suum quoduis est diuersum à reliquis genus.* Permirum sibi videri dicunt illud à Cicerone genus scribi à Latinis magis tractatum fuisse, cuius hodie in literis Latinis nullum extet vestigium. Ego verò illam Ciceronis orationem aliam in sententiam interpretor, atque affirmo Ciceronem dicere multa poëmatis genera, & exempla proferri posse, præ-

cic de opt. gen. orat.

præsertim cum poëma magis à Latinis tractatũ sit. Itaque verius esse puto, quod in libris scriptis reperitur *Quo magis* etsi *Quòd magis*, eodẽ sensu legi potest. Non assentior ijs qui *minus* hic legunt contra omnium Bibliothecarum auctoritatẽ. Quærunt autem quid inter Melicos, Lyricos, & Dithyrambicos interfit: Ego Melicos qui cantilenas scribebant ferè in numero Lyricorum reposuerim: Nam Simonidem Suidas nunc μελοποιὸν, nunc Lyricum vocat, & Platoni μελοποιοὶ canticorum scriptores & Lyrici sunt: & Sapphus, Alcmanis, Anacreontisque, qui Lyrici numerantur, μέλη nominantur. Ausonius Melicos & Lyricos modos nominans distinguere paulum videtur, & pangi melos potest quod non ad Lyram canatur, latiúsque interdum pateat: nisi fortè idem bis locutus est, quod non est in poëtis rarum. certè ijdem Galeno sunt in fine de vsu partium scribenti παρὰ τοῖς μελικοῖς ποιηταῖς, οὓς ἔνιοι λυρικοὺς ὀνομάζουσι. Lyricos autem à Dithyrambicis, & materia, & lege carminis differre puto. Materiam Lyricorum complexus est Horatius, cùm scripsit:

Suidas. Ausonius.

Musa dedit fidibus diuos, puerosque Deorum,
Et pugilem victorem, & equum certamine primum,
Et iuuenum curas, & libera vina referre.

Horat. de arte poëtica.

Dithyrambicorum argumentum erat Liber pater: eorumque Chori Cyclici dicebantur, ad discrimen Tragicorum & Comicorum Chororum, qui erant quadrati. Lege carminis differebant, quòd in Lyricorum plerũque carminibus erant Strophæ, Antistrophæ, & Epodi: In Dithyrambicorum non erant, sed velut vna, perpetuaque comprehensione sine vllis Stropharum, & Antistropharum legibus & interuallis, varios versiculos contexebãt. Id ex Aristotele cognosci potest, qui ita in Rhetoricis scribit. τὴν δὲ λέξιν ἀνάγκη εἶναι ἢ εἰρομένην καὶ τῷ συνδέσμῳ μίαν, ὥσπερ οἱ ἐν τοῖς διθυράμβοις ἀναβολαί· ἢ κατεσταλμένην, καὶ ὁμοίαν ταῖς τῶν ἀρχαίων ποιητῶν ἀντιφόροις: id est, Dictionem autem necesse est aut tractam esse, & cõiunctione vnam, vt Dithyrambicorũ cantica: aut conuersam, & similem veterum poëtarum conuersionibus. Id etiam Aristoteles in Problematis scribit: nã cum quæsisset. Διὰ τί οἱ μὲν νόμοι οὐκ ἐν ἀντιφόροις ἐποιοῦντο, οἱ δ' ἄλλαι ᾠδαὶ χορικαί: id est, Quamobrem nomi sine conuersionibus à poëtis scribebantur, cum cantica chororum per cõuersiones componerentur, subiicit: διὸ καὶ οἱ διθυραμβοι ἐπειδὴ μιμητικοὶ ἐγένοντο οὐκ ἔτ' ἔχουσιν ἀντιφόροις, πρότερον δὲ εἶχον: id est, Proinde & Dithyrambi posteaquam imitatores esse cœperunt, conuersiones non habent, ante habebant. Quocirca quia versus tumentes libero impetu texunt, nec cantica certo flexu recurrentia certa lege carminũ includunt, Horatius scripsit quarto carminum de Dithyrambis Pindari:

Aristo. Rhetoric. lib 3.

Aristo. sectione 19 problemat. 5.

Aristo. ead. sectio. & problem.

Horat. lib. 4. od. 2.

Seu per audaces noua dithyrambos

Verba deuoluit, numeríſque fertur Lege ſolutis.

Papin.lib. 4. ſilua 3. Contra de eius Lyricis certo ambitu comprehenſis, ſcribit Papinius:

— Qua lege recurrat
Pindaricæ vox flexa Lyræ.

Cicero emendatus, ſcriptura, decuma, portorium. CAPVT V.

ETSI plenum eſt periculi, & aleæ coniecturæ confidere ſuæ in tractandis auctoribus, multis tamen in rebus ſola coniectura nitimur, quam & in re capitali noſtra medicus aucupatur. Id eo dico, quia cùm Cicero ſcribit pro lege Manilia: *Cum Publicani familias maximas, quas in ſalinis habent, quas in agris, quas in portubus*: auguror pro ſalinis, ſiluis eſſe legendum. Cuius rei hæc ratio eſt: Vectigalia populus Romanus capiebat ex agricultura. Agri enim vectigales decumas frumenti Pop. Rom. pendebant: hoc frumentum militibus admetiebantur, ſed & vrbanæ plebi, modò ſemiſſibus, modò trientibus: Tandem tamen lege Clodia ſemiſſes, & trientes ſublati ſunt, gratíſque admenſum eſt plebi vrbanæ frumentum: interdum etiam vendebant. E pecore, quod vectigal, ſcriptura dicebatur. Hinc Plautus:

Cic. pro lege Manilia.

Plaut. Truculento. Sc. Ad fores auſcultato.

Nam aduerſum legem à me ob meam ſcripturam, pecudem accepit.
A. Ferè idem quod tu facis, faciunt rem malè gerentes:
Vbi non eſt ſcripturam vnde dent, incuſant publicanos.

Nam qui in publicis ſiluis paſcebant, quas redemerant publicani, numerũ capitum ſui pecoris apud publicanum profitebantur, numerúmque in cõmentarium referebat publicanus, & in ſingula capita certam pecuniam pro paſtione exigebat. Proinde *ſcriptuarius ager*, vt ait Feſtus, *Ager publicus appellatur, in quo vt pecora paſcantur certum æs tribuitur: quia publicanus ſcribendo conficit rationem cum paſtore.* Tertiũ vectigal è mercatura erat ſiquid vel importaretur vel exportaretur, quod Portorium appellabant. Dicet aliquis: nondum video cur *Siluis* legendum ſit, potius quam *Salinis*. Imò verò ex ijs quæ poſui id ſatis notum, & planum eſt: in ſiluis enim pecora paſci conſtat. Et Cicero (niſi hallucinor) quater tria illa vectigalia attigit, vt cùm dixit: *vt & vbertate agrorum, & varietate fructuum, & magnitudine paſtionis, & multitudine earum rerum, quæ exportantur*. Rurſum, *Tamen pecora relinquuntur, agricultura deſeritur, mercatorũ nauigatio conquieſcit. Ita neque ex portu, neque ex decumis, neque ex ſcriptura vectigal conſeruari poteſt.* Poſtremò hoc in loco. nam ſalinæ aliud vectigal ſignificarent, de quo nulla in ea oratione mentio eſt. In ſiluis autem paſci pecora ſatis paſtor Virgilianus docet, canens:

Feſtus. lib. 17.

Cic. pro lege Manilia.

Cic. pro lege Manilia.

Virg. eclog. 1.

For-

Formoſam reſonare doces Amaryllida ſiluas.

Sed & ipſe Maro:

— Et egreſſus ſiluis, vicina coegi, Virgil. lib. 1. Aeneid.
Vt quamuis auido parerent arua colono.

Aratores, aratio. CAPVT VI.

ADMONET me locus ſuperior, vt qui à Cicerone aratores vocentur, explicem, neque enim ſatis intelligi qui ſint, vulgò video. Ager aliquis Decumanus qui arabatur eorum, à quibus colebatur proprius non erat, ſed publicus populi Romani cenſebatur, ac decumarũ conditione, & penſitatione agricolis erat attributus, qui aratores dicebantur, agríque quos colebant Arationes: ſed & omnis ager vectigalis & decumanus, qui arabatur frumentariúſque erat ſic vocabatur Cicero in Verrem: *Pulſos aratores eſſe dico, agros vectigales vexatos, atque exinanitos à Verre.* Iterum, *Magni & naui aratores agros latos ac fertiles deſererent, totáſque arationes derelinquerent.* Plautus Truculento,

Cic. 5. in Ver.

Cic. 5. in Ver.

Plaut. Truculento. Sc. Ad fores auſcultato.

Male vertit res pecuaria mihi apud vos, nunc viciſſim
Volo habere aratiunculam pro copia hic apud vos.

Ager Campanus cum publicus populi Romani eſſet, qui Capuæ eum colebant & decumas penſitabant, aratores erant. Itaque ſcribit in Rullum Cicero euerſam non fuiſſe Capuam à maioribus, vt eſſet domicilium aratorum. Eius verba ſunt: *Illi Capuam receptaculum aratorum, nundinas ruſticorum, cellam atque horreum Campani agri eſſe voluerunt.* Nec verò aratores domini erant, nec domini cenſebantur: eóſque à dominis Cicero in Verrem perſpicuè diſtinguit, ſic ſcribens: *Tamen incolumis numerus manebat dominorum, atque aratorum.* Certè qui agros vectigales colebant, verè domini non cenſebantur. Non me latet tamen aratoris vocem latius etiam patere, & agricolam ſignificare: ſed & aratorem agri vectigalis interdum dominum vocari. De Aratione à Varrone etiam ſcribitur, *ager aruus & arationes, ab arando.*

Cic. 5. in Ver.

Var. lib. 4. de ling. Lat.

Catulli verſus explicati de Arſinoë. Zephyrium, Zephyritis, Hippia Arſinoë. CAPVT VII.

ELEGANTISSIMI ſunt verſus doctiſſimi, & politiſſimi, poëtæ Catulli, ſed obſcuri, nec ſatis intellecti, quos è Callimacho conuertit.

Catull. de coma Berenic.

Abiunctæ paulo ante comæ meæ fata ſorores
Lugebant, cùm ſe Memnonis æthiopis
Vnigena impellens nutantibus aëra pennis
Obtulit Arſinoës Chloridos ales equus:

Iſque

Isque per ætherias me tollens aduolat auras,
Et Veneris casto collocat in gremio.
Ipsa suum Zephyritis eo famulum legarat,
Grata Canopeïs incola littoribus.

Quos hinc intelligi posse spero: Arsinoën Philadelphi vxorem Aegyptij consecrarant, Veneremque & Zephyritin appellarant, eique templum in Zephyrio promuntorio ędificarant: eandem vt Zephyri vxorem Chlorin vocarant. Neminem enim ferè latet Chlorin vxorem Zephyri à poëtis dici, quæ & Flora Latinis est. Fingit & Callimachus vt vnigena est auroræ Memnon: item Memnonis vnicum esse filium equum Chloridis. Videor etiam legisse in editione quadam (nisi memoria fallit) *vnigena impellente natantibus*, quam sequenti scripturam non perinde mihi probatam sensus nascetur, alitem equum Chloridis venisse exoriente aurora quæ vnicum filium Memnonem genuit. Sed vt in iudiciis in quibus de facto quęritur testes producendi, tabulæ proferendæ sunt: Ita auctores adhibendi sunt huius rei tanquam astipulatores. Hoc igitur dicet pro testimonio in epigrammate ipsemet Callimachus apud Athenæum.

Callimach. apud Athenæ.

Κόγχος ἐγὼ ζεφυρῖ τι παλαίτερος, ἀλλὰ σὺ νῦν με
Κύπρει σεληναίης ἄνθεμα πρῶτον ἔχεις.

In his versibus sine controuersia & Venus & Zephyritis appellatur, præsertim cùm paulò post sequatur:

Σοὶ τὸ περίσκεπτον παίγνιον Ἀρσινόης.

Posidippus. Idem & Posidippus in Epigrammate, quod scripsit in venerem quę in Zephyrio colebatur.

Τοῦτο ἡ ἐν ποταμῷ καὶ ἐπὶ χθονὶ τῆς φιλαδέλφου
Κύπριδος ἱλάσκεσθ' ἱερὸν Ἀρσινόης,
Ἣν ἀνακοιρανέουσαν ἐπὶ ζεφυρίπδος ἀκτῆς
Πρῶτος ὁ ναύαρχος θήκατο καλλικράτης.
Ἣ δὲ ἡ εὐπλοίην δώσει, ἡ χείματι μέσῳ
Τὸ πλατὺ λισσομένοις ὀκλιπανεῖ πέλαγος.

Stephanus de Vrbibus Zephyrion. Stephanus, ἡ ζεφύριον ἄκρα τῆς αἰγύπτου, ἀφ' ἧς ἡ ἀφροδίτη ἡ Ἀρσινόη ζεφυρῖτις, ὡς Καλλίμαχος: id est: *Et Zephirum promotorium Ægypti, à quo Venus & Arsinoë, Zephyritis, vt Callimachus vocat.* Sed & Hippia vocabatur Arsionē, credo, quod in cœlo equum habere crederetur. Hesychius. Hesychius. ἱππία Ἀρσινόη ἡ τῆ φιλαδέλφου γυνή. Cum præsertim dum viueret, equos studiosè alere solita sit, & ad Olympica certamina mittere, vt è Callimacho scribit Higinus.

Higinus. lib. 2 astronomicôn poëtic.

Abuti operam, faciúntne intelligendo apud Terentium.

CAPVT VIII.

VERBVM Terentij est (quod omnes æquè ac suos vngues tenent, neque

neque ferè quisquā tamen intelligit) *Nam in prologis scribūdis operā abutitur, nonqui argumentum narret.* Hìc ABVTI omnes in recepta & solita significatione accipiunt pro malè vti: Ego abuti operam interpretor esse operam impendere, & consumere, hoc sensu: in prologis poëta operā non ponit, nec consumit in argumenti narratione, sed in calumniæ & maledictorum depulsione. *Qui* autem valet, vt: hoc modo, non operā ponit vt argumētū narret. Sic abuti Plautus vsurpat in Asinaria: *Vbi sunt quę dedit?* c. *Abusa.* id est ea consumpsi, ea consumpta sunt. Quidam in Terentiano versu ad ruinam carmini, fulciendam legunt (vt ne id quidem prętermittam) *Nam in prologiis scribundis.* Nam prologium pro prologo veteres vsurparunt, vt à Grāmaticis annotatur. Planè pronuntiare non verebor in eo prologo: *Faciunt ne intelligendo, vt nihil intelligant?* Cum interrogatione legendum esse, hoc sensu: an non dum intelligentes & docti hac in re videri volunt, planè hoc consqeuuntur, vt nihil intelligant? NAE affirmantis pręponi nō subiici solet. nec officit quod reperitur, *Ædepol næ ego sum miser.* Nam post iusiurandum de integro inchoatur oratio.

Terent. Andr. prologo.

Plaut. Asinar. sc. vnam istorum quodq; verbum.

Terent. Andr. prologo.

Euocati. CAPVT IX.

CAESAR libro tertio de bello ciuili scribit: *Cùm horum omnium ratio haberetur, ad duorum millium numerū ex Pompeianis concidisse reperiebamus, euocatósque & centuriones complures.* Et libro primo: *Militibus in concione agros ex suis possessionibus pollicetur, quadraginta in singulos iugera, & pro rata parte centurionibus euocatisque.* Non est exprimenda longior oratio in recitandis aliorum scriptorū testimonijs: Hìc quærendū videtur qui sint euocati, quos & à militibus & à centurionibus Cæsar distinguit. Euocati autē sunt homines militia perfuncti, & emeritis stipendiis, qui tamē rursus militatū euocantur. Id declarat Dio, sic scribens: ὃι τούτων δὲ δὴ τῶν αὐθεῶν καὶ τοὺτων ἠγοκάλων σύσημα (οὓς ἀνακλήτους ἄντις ἐλλιμίσας, ὅτι πεπαυμένοι τῆς στρατιᾶς ἐπ' αὐτὴν αὖθις ἀνεκλήθησαν, ὀνομάσειεν) ἐνομίσθη. id est, Ex his hominibus euocatorum numerus constitit, quos ἀνακλήτους, id est reuocatos Græcè vocare possis, quòd militia perfuncti ad eam rursus reuocarentur. Euocatorum autem honestus erat ordo in re militari, & in multis inscriptionibus: Euocatum Cæsaris aut Augusti fuisse ambitiosè incisum videmus. Hoc ideo scribendum putaui, quo eos qui vocem hanc parùm notam habent cer-

Caesar lib. 3. de bello ciuili.

Caesar. lib. 1. de bello ciuil.

Dio.

tiores facerem, quæ sit huic verbo vis & potestas subiecta.

Secundarij, Stataríæ comœdiæ, Statarij histriones, tertiarij, Strigmenta gymnasij, Valerius emendatus. CAPVT X.

SCRIBIT in Diuinatione Cicero: *vt in actoribus Græcis fieri videmus, sæpe il-*

Cic. I. in Verr.

pe illum qui ſecundarum, aut tertiarũ partium, cùm poſsit aliquanto clarius dicere quam ipſe primarũ, multũ ſummittere, vt ille princeps quã maxime excellat: His verbis expreſſit, quos Græci δευτεραγωνιϛὰς, & τριταγωνιϛὰς vocant: ſed vno verbo illos ſecũdarios, hos tertiarios, appellare potuit, vt in Bruto: *Quod idẽ faciebat Q. Arrius, qui fuit M. Craſſi, quaſi ſecundarius.* Eſt enim trãſlatio ducta ab actore ſecundarũ partium: neque rarò à fabulis transferre ſolet, velut in eodẽ Bruto: *ſed eos etiam quos ſtatarios appellant.* Nam ſtatarię quędam dicebantur comœdiæ vel auctore Terentio: & ſtatarij hiſtriones, qui minus actuoſi erant, & ad eas fabulas magis quam motorias accõmodati habebãtur. Iterum in eodem Bruto, *Nunc quoniã totum me non næuo aliquo aut crepundijs, ſed corpore omni videris velle cognoſcere*: Ex argumentis dixit comœdiarum, in quibus expoſititij, vel è corporis nęuo, vel è crepundijs, quibuſcum expoſiti fuerunt, poſtea agnoſcuntur. Tertiarium dixit Valerius, ſed in eo perperam retiarius, & aſſeclarum legitur: eius verba ſunt: *Sed alter ex quodam ſecundarum cognomen Spintheris traxit: alter, niſi Nepotis à moribus accepiſſet, Pamphili tertiarij, cui ſimilimus eſſe ferebatur, habuiſſet.* Hæc veterum librorum ſcriptura etiam Plinij auctoritate confirmatur, atque comprobatur, à quo ſic ſcribitur: *Sicut Spinther ſecundarum, tertiarúmque Pamphilus, collegio Lentuli, & Metelli Coſs.* Atque ne ſine corollario hoc caput abeat, in eodem apud Valerium capite de formæ ſimilitudine pro *gymnicorum ſeruo ſtramenta gymnaſij colligenti* lego ſtrigmenta gymnaſij. Sic enim ſordes appellabantur, quæ deſtringebantur & deradebantur de athletarum corpore, quæ quòd medicatam vim haberent, diligenter colligebantur, magnóque venum ibant.

Cic. in Bruto. Cic. in Bruto. Cic. in Bruto. Valer. Maxi. lib. 9. cap. 15. Plin. lib. 7. cap 12. Valer. Max. lib 9. cap. 15.

Colonia, coloniæ Latinæ, coloniæ Italicæ, municipium, præfectura, forum, conciliabulum, Varro explicatur. CAPVT XI.

LEGI Coloniarum deducendarũ, adſcriptũ ſępe legimus. *Quæ Colonia in hac lege deducta, quódue municipium, præfectura, forum, conciliabulum conſtituerit.* Quę verba celeriter noſtras aures pręteruolare ſanè non debẽt, ſed diligenter attendenda, & animaduertẽda ſunt. Nã inter ſe omnia differũt, etſi diſcrimẽ à paucis obſeruatur. Erant ergo Colonię cum Coloni aliquẽ in locũ deducebãtur, aut veteribus incolis adſcribebantur, vel veteribus colonis noui addebantur. Hæ duorum erant generum, quædam Latinæ, quędã Italicę: Latinis ius erat ciuitatis & ſuffragij & magiſtratus capiendi: ſi in ſua colonia magiſtratũ geſſiſſent. Idẽ ius colonijs tranſpadanis dedit, quãuis colonos in ijs non collocaſſet Põpeius Strabo. Proinde ſcribit ad Atticum Cicero: *Quoniam videtur in ſuffragijs multum poſſe Gallia.* Italicis autem

Vario. auctor. de limitib. L. Mamil. Roſcia. Peducea, Aliana, Fabia, Aſconius in oratio. Cic. cõtra Piſonem. Cic. ad Attic. lib. 1. epiſt. 1.

autem colonijs ius ciuitatis & ſuffragij nullum erat: ſed qui in colonias illas deducebantur, ius ciuitatis omnino quidem amittebant, immunes tamen erant, nec tributum aut ſtipendium pendebant. Itaque extra Italiam coloniæ iuris Italici, immunes erant, cùm prouinciarum ſolum tributarium, & ſtipendarium eſſet. Tandem tamen paulò ante Strabonis ætatem tota Italia ciuitate donata eſt: & denique Antonini imperatoris tẽpore, quicunque ex orbe Romano eſſet, vt Iuriſconſulti ſcribunt. Municipia vrbes erant iure ciuitatis Romanæ donatæ, in quas ſi coloni deducerentur, in coloniæ conditionem tranſibant, & cùm ante ſui iuris eſſent, legem à deductore coloniæ accipiebant. Hinc veretur Cicero ne Rullus municipia campaniæ colonis occupet Eodem modò coloniæ in ius municipij tranſibant, vel beneficio Senatus, vel eius qui coloniam deducebat, vt ex legis verbis quę recitaui apparet. Puteolos coloniã fuiſſe ſcribit Liuius, ſcribit & Paterculus: Paulò ante conſulatũ Ciceronis in municipij conditionẽ mutati fuerant, vt ex his verbis orationis ſecundę in Rullũ apparet: *Puteolos verò qui nunc in ſua poteſtate ſunt ſuo iure, libertatéq; vtuntur, totos nouo populo atq; aduentitijs copijs occupabunt.* Pro Cœlio: *Nam quod eſt obiectũ municipibus eſſe adoleſcentem non probatũ ſuis: nemini vnquam præſenti Puteolani maiores honores habuerũt.* Itaq; quod tantopere ſe læſitare Aſconius confitetur, quid ſit quod coloniam Placentiam Cicero in Piſonem municipium appellarit, hinc nullo negotio ſolui diluique poteſt. Præfecturæ erant, in quibus ius dicebatur, & nundinæ agebantur: eratque quædam earum Reſp. cùm tamen magiſtratus ſuos non haberent: Sed in eas ex vrbe præfecti, qui ius dicerent mitterentur: Earum genera fuiſſe duo ſcribit Feſtus: vnum earum in quas ſolebant prefecti quatuor ſexue mitti, qui Pop. ſuffragio creati erant: Alterum earum in quas Prætor vrbanus quotannis mittere ſolebat, qui ius dicerent. Sunt & præfecturæ cum coloniæ territorio, quod colonis non ſufficiat, ager aut agri pars attribuitur: vt Campus Mantuanus, Cremonenſi coloniæ contributus eſt. Proinde ſcribit in Bucolicis Virgilius:

Liuius. lib. 42. Paterc. prior vol. Cic. 2. in Rul. Cic. pro Cœli. Cic. in Piſon. Feſtus lib. 14. in Liter. p.

Mantua, væ, miſeræ nimium vicina Cremonæ

Virg. ecl. 9.

Et in Georgicis:

Et qualem infelix amiſit Mantua Campum,
Paſcentem niueos herboſo flumine Cygnos.

Virg. 2 geor.

Mirum autem fortaſſe cuipiam videbitur quòd Arpinum, quod municipium erat: & puteolos, præfecturas vocet Feſtus. Sed potuerunt aliquando in præfecturæ conditionem mutari: & curatoris agrarij, deductoriſque coloniarum, velut ex verbis quæ recitaui apparet, ea interdum poteſtas, & ius erat. Id Senatus etiam & populus interdum decernebat. Forum, locus

Feſt lib. 14. in liam. p.

cus erat nundinationis & negotiationis, vbi etiam ius dicebatur: vt forum Flaminij, forum Iulij, forum Licinij, de eorum nominibus, qui ea fora constituenda curarunt. Quare cùm scribit Varro de re rustica: *Eiusdem gentis C. Licinius Tribunus plebis cùm esset post Reg. exactos annis* CCCLXV. *primus populum ad leges accipiendas in septena iugera forensia è comitio eduxit:* Significat assignata fuisse viritim à Licinio septena iugera in eo foro quod ipse constituit, forúmque Licinij vocatum est. Municipia autem coloniis præferebantur: coloniæ præfecturis: præfecturæ foris: fora conciliabulis. Nam conciliabula cum loca essent in quibus ius diceretur, & in cõcilium conueniretur: tamen foris inferiora erant. Interdum tamen in municipij ius ascendebant. Frõtinus: *Hoc conciliabulum fuisse fertur, & postea in municipij ius relatum.* Cùm autem Frontinus dicit conciliabulum fuisse (interprete Vrbico) intelligit locum quendam coloniæ fuisse, & quandam coloniæ partem, vbi conuenticulum esset iuridicum. Eius verba sunt *Sunt autem loca publica coloniarum, vbi prius fuere conciliabula, & postea sunt in municipij ius relata.* Cæterùm in conciliabulis ius dictum fuisse ostendit antiqua lex, cuius (siquis fortè dubitat) hæc sunt verba: *Cùm curator hac lege non erit, tunc quicunque magistratus in ea colonia, municipio, præfectura, foro conciliabulo, iuri dicundo præerit, eius magistratus de ea re iurisdictio, iudicisq; datio, addictio esto.* Liuius tamen per fora, & conciliabula, omnia quæ extra vrbẽ erant, maiora & minora oppida, castella loca intellexisse videtur, in quibus essent conuentus aliqui iuridici: Eius sunt verba, *Decemuiri supplicationẽ in biduum valetudinis causa in vrbe, & per omnia fora, conciliabulaq; edixerunt.* Iterum, *vltra decimum lapidem per fora, conciliabuláque* C. *Menio priusquam in Sardiniam prouinciam traiiceret, decreta.* Cum dixerim meliore conditione, & iure municipia fuisse, quàm colonias, sciẽdum tamen Cæsarum imperio multos contra existimasse, quod à Gellio relatũ legimus.

Varro de re rust. lib. 1 cap. 2.

Frontin. de limit. agr.

Aggen Vrbic. de limit. agr.

Lex antiq. in Vario. auctor. de limitib. in L. Mamil. Roscia. Peducea, Aliana, Fabia.

Liu. lib. 40.

Liuius ibid.

Gelli. lib. 16. cap. 13.

Pæanem citare, citare minuritionem. CAPVT XII.

Cic. 1. de Ora.

AD illum Ciceronis de Oratore locum: *Qui & annos complureis sedentes declamitant, & quotidie antequam pronuntient, vocem sensim cubantes excitant, eandémque cum egerunt, sedentes ab acutissimo sono vsque ad grauissimum sonum recipiunt, & quasi quodammodo colligunt. Hoc nos si facere velimus, ante condemnẽtur ij quorum causas receperimus, quam toties, quoties præscribitur, pæanem, aut munionem citarimus:* cum scripsissem aliquando mihi videri legendum esse *minuritionem citarimus*, quod dicerem mihi videri interpretata à Gicerone verba græca παιανίζειν & μινυρίζειν, magnam ea de re famam sermonémque manasse intellexi hominum inuentũ meum improbantium. Hi

Hi tamen reperient in Græcorum commentarijs μινυρίζειν esse tenui & deducta voce canere: & consuetudinem phonascorum reperient apud Alexandrum Aphrodiseum in excitandis molliendisque arterijs diligenter paucis verbis explicatam, in eoque verbum παιωνίζειν, quod Cicero pæanem citare reddidit. Verba sunt Aphrodisei ἡ δὲ φωνασκοὶ δὲ παιωνίζοντες τρόπον μαλακύνουσι τὰς ἀναπνευστικάς, id est, Phonasci pæanem citantes arterias præmolliunt. Videtur autem pæan contentionis vocis esse, minuritio remissionis. Etiam phonascorum consuetudinem ita libro quinto de sanitate tuenda Galenus attingit, ἡ τὰς καλουμένας ὑπὸ τῶν φωνασκῶν ἀναφωνήσεις παρελάμβανον, id est, & quas phonasci vocis excitationes vociferationésque appellant adsumebam. Iterum ὅπως δὲ καὶ ἀναφωνήσεις ὀκ μεγέθεσι καὶ τῇ κατ' ὀξύτητα τάσει φωνῆς ποιητέον ὀξεῖν ὅτι τούτων οὐκ ἄδηλον, id est, vocis autem excitationes & vocis magnitudine & acuminis contentione instituendas esse in his non obscurum est.

Alex. Aphro.

Gal. lib. 5. de sanit. tuend.

Galenus.

Vdones, cudones, holoberæ vestes CAPVT XIII.

IN titulo de auro & argento legato hæc verba Vlpiani Iurisconsulti sunt. *Alia causa est vdonum, quia vsum calceamentorum præstant:* hanc vocem vdonum hominibus doctis plurimum negotij exhibuisse animaduerto cum alii odonũ, alij vndonum, alij etiam œdorum legant. Itaque cur non mihi quamuis iuris ciuilis imperito, post ista cõmenta venia sit, quid mihi videatur ista de re scribendi? Ego vdones lego & puto calceamenta esse ex hircinis pilis texta. De vdonibus Martialis scripsit,

Non hos lana dedit, sed olentis barba mariti.

Mart. lib. 14. epigr. 140.

Putaui aliquando vnam abesse literam propter antegressum elementum, t, verbi est, cui in libris manu scriptis ita simile est, c, vt plerumque internosci non possit, & legendum censui Cudonũ, vel Codonum. nam vtroque modo scriptum reperio. Sunt autem Cudones è pellibus operimenta capitis, quæ & pedibus indui posse credebam: quod commentum mihi vehemẽter displicet. Nam apud Silium cudo significat galeam pelliceam, vt quæ κυνέη ab Homero dicitur & κυδώνη. verba sunt Silij, — *caput his cudone ferino Stat cautum:* in quo qui *codone* legunt, deducũt à κώδιον. sed vt aliud ex alio, quæritur etiam à Iurisconsultis, quæ sint holoberæ vestes. Hic non auderem mediusfidius meam interponere sententiam, nisi censendi ius esse cuiuis viderem post tam ridicula interpretũ somnia. Quas Latini vestes, birros appellant, Græci βήρους vocare solent, id est beros: vt holoberæ vestes sint, quæ totæ birri sint. Nam birri honestiorum & palatinorum erant, vt in concilio Gamgrensi, καταψηφίσαντο τῶν τοὺς βήρους φορούντων: & clarius apud Euagriũ, βήρους τε γαμηλίους ἐξαπλοῦντας. Sunt igitur holoberæ vestes birri toti verè serici, & toti conchyliati, ve-

Silius italic. lib. 8.

In canonib. Apost. Euagr.

lut è capitibus illius tituli, in quo earum mentio eſt, conijcere licet. Nam illæ veſtes totæ dicuntur, ex breuitate & compendio ſermonis, cum purpuræ aut ſerici aut conchylij nomen ſubaudiendum ſit. Zonara & Balſamon interpretantur texta holoſerica.

Lib. 11 codic. tit. 8.

Profundum, Martulus, aqua manibus, & pedibus, filicata opera. CAPVT XIIII.

SI quid expiſcari poſſumus, quod vſquam velut in alto, profundóque lateat, magna lætitia exultamus. Itaque, ſcrutamur omnia grammaticorum vada, ſinus, maria, non minus quam gula, quæ elementum tam immite non ſinit quieſcere, ſed eius omnes gurgites ſollicitat. Apud Caprum Grammaticum reperi profundum ſignificare ventrem, nec iniuria, cum eodem ſenſu gurges vſurpetur: ac exemplum vt ex antiquo ſermone profert: quod eo dico, vt plus auctoritatis hæc vſurpatio obtineat. *In profundum*, inquid, *nummi, vel in arcam cunduntur*. Quod eſt vel in ventrem mittuntur, vel in arcam. Illud quoq; attendendum apud eundem, aquam, qua manus initio cænę, vel prandii, lauam°, vel pedes abluimus, aquam eleganter pedibus, & manibus à veteribus appellatã fuiſſe, vt reor, quòd aquã pedibus cum poſcerent, & manibus, tantũ dicere ſolerent, *aquam pedibus, aquam manibus*, nullo adiecto verbo. Hæc loquendi genera quodam vetuſtatis aucupio & lenocinio illiciunt, capiúntque eos, qui orationis nitidæ, & elegantis ſtudioſi ſunt. Ex eodem intellexi male in Plinio excudi marculum, pro martulo, quod mallei nomen vernacula lingua retinet: ſed vt error iſte hominibus eripiatur, antiqui grammatici teſtimonium proferamus. *Martulus*, inquit, *à marte, non marculus*: hodie tamen contra antiquitatis auctoritatem, ſemper marculum dicimus: quod ſi quis martulum, aut martellum dicat, is noſtris hominibus gallicè non latinè loqui videatur. Idem, quæ ſint filicata opera, declarat, quo filicatæ apud Ciceronem pateræ melius aliquanto intelligentur: *filicem*, inquit, *non felicem dicendum, vnde & filicata opera priores dixerunt, celata: à filice quam ita credo dictam, quod ſit minus fœlix aruis*. Caper cuipiam fortaſſe filicata opera, vt felici & nobili celatura inſignita videatur interpretari: aliter tamen Pompeius, qui filicata vocat, non vt felicata: eius verba ſunt, *Filicata patera dicta eſt, quòd ad filicis herbæ ſpeciem ſit celata*. igitur in Capro lego, *celata à filice*.

Caper Grammaticus. *Caper Grammaticus.* *Caper Grammaticus.* *Plin. lib. 7. capit. 56.* *Caper Grammat.* *Cic. in parad.* *Feſtus Pompe. lib. 6. in litera f.*

Cynica cæna, digna ſacris hecates, quid diſtent æra Lupinis, aurũ comicum nebula, linea, ventus textilis lenta manu trahere, commouere labra, ſuauium, Petronius explicatus. CAPVT XV.

VERSVS eſt imprimis elegans Petronij Arbitri.

Petr. Arbit.

Ipſi

Ipſi qui Cynica traducunt tempora cæna.

Quo quidem eos ſignificari puto, qui miſerè viuunt, vt ſiliquis, & leguminibus, quique viliſſimis cibarijs ſe tolerant, atque ſubſtentant: nam talis erat Cynicorum philoſophorum victus, quod è Luciano intelligi poteſt, ita ſcribente de Cynico, ὃν ἐδεῖτης ἑκάστης τὸ δεῖπνον φαγόντα, καὶ τὰ ὀστᾶ τῶν καθαρσίων ἀλὰ, τοῖς τε σκύλοις τε σπεῖραν ἀμέλει ἀπόθαι ἐᾶν. Et alio loco, ἢ πῦρ ἐκ δὲ σοι διέφθορεν ἔσω μέσῃ. Cœna igitur hecates & ouis luſtrationum, vt mędici, & ſepijs crudis viuebant, inde & digna ſacris Hecates apud eundem dicitur Hecale mulier pauperrima, quòd cæna Hecatæ ſacra à pauperibus raperetur:

Lucian. in dialog. mortuo. *Lucianus.*

Ariſtophanes, *Ariſtoph. Ila*

Παρὰ τῆς ἑκάτης ἔξεστι τοῦτο πυθέσθαι
Εἴτε τὸ πλουτεῖν, εἴτε τὸ πεινῶν βέλτιον φησὶ γὰρ αὐτὴ
Τοὺς μὲν ἐχούσας, καὶ πλουτούσας δεῖπνον προσάγειν καθ' ἑκάστην,
Τοὺς δὲ πενομένους ἀνθρώπους ἀρπάζειν πρὶν καταθεῖναι.

Niſi ſi quis Hecalen dignam Hecates ſacerdotio fuiſſe interpretetur. qua de cauſa ad eorũ reſpiciens miſeram vitam, poteſt videri dixiſſe Horatius, *Horat. lib. 1. epiſt. 7.*

-Quid diſtent æra lupinis.

Vt virum bonũ dicat intelligere quid donet, æ ſine an lupinum, vile & Cynicum cibarium: atque ita mihi quidem videbatur, ſed Marcus Antonius Muretus ingenioſiſſimus & diſertiſſimus, eam excogitauit interpretationem, quæ propè geometricas meam ſententiam refelleret. Lupinos enim aurum ait eſſe comicum, vt Plautus loquitur, quo macerato paſcuntur boues. Vt igitur in comedia pro aureis nummis annumerantur Lupini, ſic & pueros Lupini grana pro nummis ſolitos eſſe habere, atque numerare, & inter æs & Lupinum parum diſtinguere. Atque idem hodiéque in Italia luſitantes pueros mentiri & æmulari Lupinis nummos ait. Idem Petronius, quod annotatione dignum cenſui, nebulam lineam, pro tenui amiculo lineo, quod nec panni crebritatem nec telæ denſitatem, ſed nebulæ tenuitatem emuletur pellucidam poſuit,

Plaut Pœnilo. ſc. iam tenes præcepta.

Palam proſtare nudam in nebula linea. *Petronius.*

Idem ventum textilem veſtem ventoſam & tenuiſſimam, æquantémque propemodum ſubtilitate ventos appellauit dicens.

Æquum eſt induere nuptam ventum textilem. *Petronius.*

Lenta verò, apud eundem, traxit manu: nam Petronius hanc operam ad calcem perducet, eſt traxit manu tenaci & hærente, vt apud Flaccum.

Horat. epod. od 15.

Lentis adhærens brachiis.

quod eſt ſequacibus, inhærentibus. At apud Flaccum alio loco.

Horat. lib. 1. ſat. 9.

Et preſſare manu lentiſſima barchia.

valet pigra, tarda, ſurda, ſegnia, nihil commota meo preſſu, vt ab Ouidio

Ouid. epiſt. 1.

penelo ad v-liss. scriptum est, *Aut vbi lentus abes.*
veteres tamen interpretes pro lentissime, quod erit, tenacissime & pressissime audiunt, nomine aduerbij vicario. Petronius. *Et quia*, inquit Arbiter, *considerantium hæserant vultus, quicquid à spectaculo vacabat, commouebat obiter labra, & me tanquam furtiuis subinde oculis verberabat*: hic commouet labra, quę lasciui oris motu ad amorem allicit, & sic conformat os, vt basiari velit. Nam & talis oris habitus suauium dicitur, cum ita figuratur labris promissis, aut lingua prolata, vt cum mulieres suauiantur amatores. Vnde & Plaut. Asinar. sc. agendum istum ostend. Plautus in Asinaria scripsit.

Ne sic tussiat.
vt cuiquam linguam in tussiendo proferat. Iterum
Tu labellum abstergeas.
Potius quam cuiquam suauium faciat palam.

Plaui. ibidem ead. sc. Id est quam sic os comparet & formet vt ad basiandum aliquem inuitet. quod tamen Petronius scribit, esse videtur potius signum innuentis, & inuitatiunculam amoris significantis, quam ad basium vocantis. Petronius. Ait idem,

Nomen amicitiæ si quatenus expedit hæret,
Calculus in tabula nobile ducit opus.

Horum versuũ hæc sententia est, si amicitiam vtilitate potius metiri quam honestate voluimus, hominum profectò vita similis erit ludo calculorum, & calculi inter se amare videbuntur: nam in ludo tabulę sic diuisi sunt calculi in duas factiones, vt inter se quidam velut amici sint, quidam hostes, Mart. lib. 14. epigr. 20. vnde & Martialis scripsit,

Gemmeus iste tibi miles & hostis erit.

Quatenus autem vtile est ludo, istam calculi amicitiam seruant fœderati inter se. igitur si emolumentis amicitiam ponderamus, amicitiam, cuius tanta dignitas est & pretium, putemus exercere calculos in tabula, & eos nobile opus tuendæ amicitiæ ducere. Hæc cursim ex illo scriptore enotata huic chartæ commendauimus.

Sinus, oratiæ naues, aurea barba, ludi palatini, iactare manus, χειρονομεῖν. CAPVT XVI.

Hic peristroma Babylonicum varietate imitamur, & Phrygiones æmulamur: vt illi multa pingunt acu, sic nos huc multa & varia cuiusque generis, vt in mentem quicque veniet, cumulabimus. quem Græci σῖνον vocant (eo autem nomine vas intelligitur ventris tumidioris, & rotundioris formæ, vt conijcio, Latini appellant sinum, vt Maro, Virgil. eclog. 7.

Sinum lactis, & hæc te liba Priape quotannis
Expectare sat est.

Idem

Idem nomen & in Curgulione Plauti extat: syllabæ certè proceritas in vtroque coniecturæ fauet, & vocabuli similitudo, tantum vereor, ne mutatio literæ, d, in s, insolentior esse videatur: sed cum ἴσμεν & ἴδμεν dicatur, etiam ab ipsis græcis, ὀσμὴ & ὀδμὴ, quid mirum est ab alienigenis eam esse permutationem factam, qui omnia solent ore suo, vel corrumpere, vel aliquantum contaminare? Quæritur quæ sint apud Plinium orariæ naues, cum in epistola ad Traianum scribit. Plaut. Curgulione sc. Quòte hoc noctis dicam &c Plini. lib. 10. epistola epist. Quia confido domine. *Nunc destino partim nauibus orarijs, partim vehiculis prouinciam petere.* Ego actuarias & paruas esse suspicor quibus secundum oram nauigatur: nam maioribus pelagus tentatur: neque enim paruo nauigio quisquam se magno cõmittere mari audet, sed littus legit. Proinde Cicero ad Atticum scribit, *Cogitaremus corbitáne Patras, an actuariolis ad Leucopetram Tarentinorum*, nam si traijciendum fuisset mare, corbita ac oneraria, id est magna naui fuisset opus: sin ad Leucopetram eundum, ac secundum littus nauigandum fuisset, ei nauigationi commodiora fuissent nauigia parua, & actuariola. sed & nauibus longis commodior erat littoralis nauigatio, quam pelagia. Philo. Cic. ad Attic. lib. 15. epist. 3. Philo. καὶ μάλιστα τὰς πλείστας ναῦς ἐπαγόμενος μακράς, ἀλλ' ἐχθολκάδας, αἷς ὁ πλοῦς γλῶ πλεῖς ἀυσμώτερος. Quæsitum item est, quid sibi illud Persianum velit ænigmati simile, nobis vtique, qui propter antiquitatis inscitiam, cuius mores hodie non agnoscimus in humana vita, plæraq; in auctoribus mirari potius, quam intelligere possumus. Persius sat. 2.

Præcipui sunto, sitque illis aurea barba.

Suspicor autem eo ipso significari summorum deorum, vt Iouis, ac Neptuni insignia, & ornamenta: vt pari honore, qui vera miserint somnia heroes & semidei afficiantur, ac supremus Iupiter. Suetonius id videtur indicare, sic scribens in Caligula. Suetonius in Caligula cap. 52. *Plerumque verò aurea barba fulmen tenens, ac fuscinam, aut Caduceum decorum insignia.* Sed ne prodigialiter omnia variemus ineptorum poëtarum more ac pictorum, è diuersis sumentes cuncta, in eodem Caligula ludi Palatini, cum scribitur, *Cum placuisset Palatinis ludis spectaculo egressum meridie aggredi*, qui sint quæritur, qui velut adductis habenis lectorem inhibent properantem: sed ita ludi vocabantur, qui in Palatio fiebant in honorem Cæsaris, qui primus Romæ imperauit, vt ab Iosepho scribitur libro decimo nono: tum tamen, vt idem scribit, cũ occisus est Caligula, in honorem Augusti celebrabantur. Sed ne promissis nostris desimus, qui Babilonicum polliciti hoc capite sumus, è Iuuenale hoc etiam distinguemus scribente, Sueton. in Calig. cap. 56. Ioseph. lib. 19. Iuuenal sat. 5. *A facie iactare manus.* in quo adulatoris gestus describitur, manuum iactatione, & motu, ac gesticulatione adblandientis, & prope histrionico more gestum agentis: vnde & nationem dixit comœdam. In eo autem imitatis est græcos, qui

Philo. χρηνομεῖν, hoc etiam dicebant. Philo ἐπεὶ ἐχειρονόμων, ἀνορχοῦντο, τὰς τῶν θεῶν ἁπάντων ἐπωνυμίας ἐπεφήμιζον αὐτῷ. sic igitur nobis iste tapes absolutus sit.

Stationes, capellamentum, capillare vnguentum, capillata arbor, vertere se ad lapidem, vnctus Lapis, votum signare, genua deorum incerare, epipedos apud Plinium, anancitis, synochitis, Borsycitis.

CAPVT XVII.

EMBLEMATA vermiculata, vel Thessellata, sectiliáque pauimenta, è varijs & discoloribus crustis, quodam musiuo opere cõmissa, & coagmentata, hoc quoque caput imitabitur. Equidem etiam vereor ne quis dicat esse Horatianum illud, *humano capiti*. Scribit igitur Iuuenalis.

Horat. de arte poëtic. Iuuen. sat. 11.

— Stationes, omne tribunal — De Rutilo.

Hic igitur si quis me roget, dic amabo, quæ sint illæ stationes? Respondeam, in foro Romano fuisse municipiorum stationes, quas hic significari suspicor à poëta satyrico. huius rei auctor est Victor, in describenda fori Romani regione: Sed & Plinius libro decimosexto, *Radices*, ait, *eius in forum vsque Cæsaris per stationes municipiorum penetrant*. In Caligula autem apud Tranquillum cum scribitur: *Et ganeas, & adulteria capillamento cælatus, & veste longa noctibus ambiret*. Quispiam credat esse capillamentum non quamcunque appositam comam, sed prolixiorem, longiorem, simílemque prope fœmineæ. Nam capillus est coma paulò longior, vt cum etiam virilis promittitur,

Victor de vrbis Rom. regi. Plini. lib. 16. cap. 44. Suet. in Calig. cap. 11.

Iuuen. sat. 5. Iuuenalis, *Ille capillato diffusum consule potat.*

Vestem igitur longam gessisse Caligulam censeret, vt stolam mulier solet ad pedes demissam, ne agnosceretur, & capillamentum sumpsisse virili coma longius, simileque muliebri, aut Maurorum, & Hispanorũ promissis crinibus. Nam hi populi capillati erant: sic capillare vocat vnguentum, quo capillos vngunt fœminæ, Martialis: & capillata apud Plinium arbor, ad quam capillus vestalium ferebatur. vt sit capillamentum velut τείχωμα. Petronius tamẽ ostendit esse addititiam comã in viris, vt corymbion in fœminis: nam sic de raso scribit. *Euocatúmque me non minus decoro exornauit capillamento.*

Marti. lib. 3. epigr. 40. Plin. lib. 18. ca. 24. Petron. Arbit.

— Velatum, autem, *vertier ad lapidem*

Lucret. lib. 5. Apud Lucretium, est ad simulachrum se vertere religionis causa: nam in salutandis, & precandis diis, dextrouorsum se vertere solebant, vt dicit Plautus. Sic & lapidem Arnobius vsurpat lib. 8. *vt tam luculento die in lapides cum patiaris impingere, effigiatos sanè & vnctos & coronatos.* Quod autem vnctos dicit, id verò facit, quod simulachra solebant oleo, aut vnguentis perfundere. Philostratus, τὸ δὲ ἄγαλμα τοῦτο ξέβηκε μόνε πὶ νεὼς. τὸ γὰρ ἐς βάσεως σχῆμα,

Plaut. Curg. Sc. Quo te hoc noctis. Arnob. lib. 8. Philostrat.

σχῆμα, τορώσοι ἵδρυται δὲ ναύαρχος περιβέψας δὲ αὐτὸ ὁ χρόνος καὶ νὴ Δία οἱ ἀλείφοντες καὶ οἱ ἐπισφαιριζόμενοι τὰς εὐχὰς, ἐξηλλάχασι τῷ εἴδει. quo quidem è Philostrati loco intelligimus quid sit signare vota: quod Plinius scribit in epistola ad Traianum hunc in modum. *Solemnia vota pro incolumitate tua, qua publica salus continetur, & suscepimus domine pariter, & soluimus, precati deos, vt velint ea semper solui, semperque signari.* Votum enim suum nuncupatum, & in cartha conceptum conscriptùmque, deorum genibus cera obsignatum adfigebant: quod è situ vetustatis erutum patefaciet Iuuenalis versum,

Plinius lib. 10. epist. epist. 80 Iennia vota.

Propter quæ fas est genua incerare deorum. Iuuen sat. 10.

Incerabat enim deorum genua, qui votum susceptum signabat, & se voti reum constituebat. Apud Plinium in historiæ natutalis calce appellatur figura quædam gemmarum Clypeidos, cum ita scribit. *Postea Clypeidos & rotunda*, quo de vocabulo neutra lingua, vt credo, litigabit, potiúsque vtraque eierabit, & abdicabit, vt alienũ & in auditum. Ego de vitio locum suspectum habeo, & scripturam eorum librorum, quos informis situs premit non tam in Bibliothecis, qùam conditoriis, & sepulchris, in quibus scribillatur *clypeidos*: ego *epipedos* rectũ, verúmque puto, quique ita sentit, Ioue, vt opinor, sentit æquo. Alia eodem libro contaminata vocabula, vt *gemite*, cum scribendum suspicer *gamite*, vel *gamitide*, velut à nuptiis, quarum argumentum erant manus candidæ inter se complexæ: nisi si cui *gemitis*, quòd plena sit, dicta fortè esse videatur. *Anancitis*, sic enim scribi debet, nomen adepta est à necessitate, quæ deos cogebat, eorumque euocabat imagines: vt synochitis à continendo, quia ea euocatæ inferorum tenebantur vmbræ: quin & borsycitis quasi borosycitis dicebatur.

Plin. lib. 37. cap. 11 Plin. lib. 17. cap. 11.

Horatius explicatur, archiaci lecti, & Sotherici lecti, ilignis pedibus, grandis patina, modica patella, cœna terrestris. CAPVT XVIII.

IN epistola Horatij ad Albium Tibullum. quod scribitur, Horat. lib. 1. epist. 4.

An tacitum syluas inter reptare salubres,
Curantem quicquid dignum sapiente bonóque est?

sub ipso verborum tectorio sanè vulgari sententiam occultat multitudini non satis apertam: Et vt sub putamine nucleus latet, ita quoque sub ipsa velut nuce, quæ frangenda est, quiddã tanquã salubré, eduléq; reconditur. Puto autem sensum Epicureum esse: existimat enim dignum esse sapiente & bono, amœnitate & salubritate secessus frui, potius quã rem familiarẽ auidè augere, prudentiæq; esse indulgere sibi ambulationũ spatia delicatarũ conficientẽ, quales in Pedana regione Tibullus habebat, qui tamen videbatur esse parcior. Tu enim, inquit, qui sapis, profectò ista vitæ gaudia liben-

libenter vſurpabis, præſertim qui abundes, vt tibi quæſito non ſit opus, & ſcias quemadmodum ſumptum facere oporteat, & ea præditus ſis (deorum munere) corporis forma, & dignitate, vt corpori inſeruire debeas indulgentius, & liberalius. Illa enim forma curam meretur, dignáque eſt quæ bonis potiatur. Nihil eſt, inquit, quod maius optare alumno dulciſſimo chariſsima poſsit nutricula, quam formam & diuitias, & artem fruendi, cum iam ſapit & eloquens eſt: inſipienti enim, & indiſerto atque infanti facundiam, & ſapientiam nutrix ante omnia optare fortaſſe deberet: nunc vtraque tibi ſupereſt. præterea gratia, fama, valetudo, diuitiis & diuitiarum fructui & vſuræ eſſent anteponendæ, quæ tibi abundè contigerunt. Cum igitur iſtum ſenſum eliciam, velut lomento quodam, & nitro detergendam puto maculam, quæ in Horatio inſedit, ſcribi enim video,

Horat. ead. Epiſt. 4 lib. 1.

Quam ſapere, & fari poſsit quæ ſentiat, & cui

Cic. lib. 1. de legib.

Ego autem emendandum censeo — *Cum ſapere & fari poſsit.* Sic & Muretus libro primo de legibus emendauit, *qui conſuluntur, cum eſt neceſſarium.* Addit porrò, cum in humana vita quotidie ſperetur, timeatur, curarum moleſtiis & iræ feruore hominum pectora ſolicitentur, cúmque hiscrucientur perturbationibus homines potiſſimum ob opes, & copias, fortunas, & facultates, inter iſtos animi morbos & æſtus, quem præſentem degis cùmque diem, eum tibi vltimum putato: ſic fiet vt & non iniucundè eum traducas, nec elabi ſinas, ſed hilariter potius tranſigas, quàm intentus rei, in miſeria & ereũna trahas: & gratior erit poſterior ætas, quam tibi non promittebas, nec tibi, vt in futurum incumbenti, & diuitiis inhianti, præſentis diei peribit voluptas. Frui enim voles paratis, ſi breuem tibi vitam ſpondeas, nec ei tempori, quod non tibi polliceberis, viaticum, & opes congeres. Sed vt aduentitio caput creſcat, Archiacos lectos proxima epiſtola arbitror eſſe humiles, paruos, inelegantes, non ſumptuoſos, ab Archia artifice ſic vocatos, vt Seneca vocat lectos Sotherici, de artificis nomine, rudes, impolitos, inelegantes, antiquos. At in Terentij Adelphis, lecti ilignis pedibus ob firmitatem ilicis fiunt. vnde πρίνινοι ἀνθρακες duri, & ſolidi, & πρινῶδες durum ſignificat. *In ſole* autẽ, quòd Athenis verè interdũ & æſtate ſub ſole, & dio cænare ſolebãt.

Horat. lib. 1. Epiſt. 5. ad Torq.

Nec modica cænare times olus omne patella

dixit, quòd magnifici ciues grandes haberent patinas, vt in Perſio.

Perſ. Saty. 2.

— *Sed patinæ grandes tucetáque craſſa.*

Cic lib. 5. de finib. bon. & mal.

Sed & olerum & heluellarum cæna, erat pauperum & plebeiorum, quam appellat terreſtrem cænam Plautus, quia olera terra naſcuntur, ideóque terra nata à Cicerone nominantur: Ita autem comicus in Captiuis facetè

Plaut. Capt. Sc. Aduer. animum.

iocatur.

Æ. terreſtris cæna. E. ſus terreſtris beſtia eſt.

Æ.

Æ. multis oleribus. E. curato ægrotos domi.

Vina, autem, *bibes iterum Tauro diffuſa*

Horat. lib. 1. epiſt. 5.

cum ait, ea indicat non eſſe admodum vetuſta, cum non multis ante annis ſecundum conſulabum Taurus geſſiſſet.

Sin melius quid habes, accerſe, vel imperium fer,

Horat. lib. 1. epiſt. 5.

valet, ſi meliorem habes cænam, voca me conuiuam, vel pare mihi vocanti, ſi non habes. Sed profectò pudet me plura in Horatio perſequi, quẽ ſciam diligentia, & eruditione noſtri Lambini ita illuſtratum, vt qui præterea lucem ei afferre velit, ſoli fœnerare lumen eadem opera velle debeat: omnia enim ille, præter admodum pauca, quæ ſatis intelligi ſine ſua ope exiſtimauit poſſe, excuſſit, & declarauit diligentiſſimè.

Proſeucha, Iſelaſtica certamina, εἰσελαύνειν, *μεσογράφοι, meſolabum, analemma.* CAPVT XIX.

Non mihi ſatis probant grammatici, quod afferunt ad illum Iuuenalis locum, *In qua te quæro proſeucha*: mihi potius quærendum eſt, ſi quid ex antiquis ſcriptoribus exculpere potero, quod ad illuſtrandum locũ pertineat. Proſeuchæ igitur fana Iudæorum erant, vt Alexandriæ, & Romæ, & in alijs vrbibus, ſic nomen adepta, quòd oracula quædam eſſent, vel vt Chriſtiani loquuntur, oratoria. Philo de proſeuchis quas Romę Iudæi habebant, ἠπίσατο γὰν καὶ προσευχὰς ἔχοντας, ἐν ζωιόντας εἰς αὐτὰς, καὶ μάλιστα ταῖς ἱεραῖς ἑβδόμαις. De Alexandrinis, προσευχὰς ὅσας μὴ ἐδωιήθησαν ἐμφρήσσει, καὶ κατασκαφὰς. ἀφανίσαι, διὰ τὸ πολλοὺς ἀθρόους πλησίον οἰκεῖν ἰουδαίους, ἕτερον τρόπον ἐλυμήναντο: atque adeo ſæpius toto in Gaium libro. cum autẽ ad eleemoſynam Iudæi dandam eſſent propenſiſiſimi, eo ceu mendicorum conuentus coibat: ſed & Iudæi, & ipſi mendici, & inuiſi erant omnibus: & mendici ea loca, quod domicilia non haberent, diuerſore, interdum occupabant, in eiſque cubabant, ideoque proſeuches nomen in contemptum abierat. Cleomedes Epicuri ineptias in philoſophia illudens dicit, τὰ δὲ ἀπὸ μέσης προσευχῆς, καὶ τῶν ἐπ' αὐτῆς προσαγόντων, ἰουδαικὰ πάντα καὶ παρακεχαραγμένα. Vox etiam græca eſt in epiſtolis Plinij explicanda, quę ſint certamina iſelaſtica: ſunt autem, vt exiſtimo, qui à græcis ἀγῶνες εἰσελαστικοὶ vocantur: de quibus Sibylla μέγας γὰρ ἀγὼν ἐσελαστικὸς ἔσται. Eorum autem ludorum & certaminum victores triumphantium more in patriam inuehebantur, & vectigal de publico accipiebant. Vitruuius, *Nobilibus athletis qui Olympia, Pythia, Iſthmia, Nemea viciſſent, Græcorum maiores ita magnos honores conſtituerunt, vti non modo in conuentu ſtantes cum palma & corona ferant laudes, ſed etiam cum reuertantur in ſuas ciuitates, cum victoria*

Iuuenal. ſat. 3.

Philo. de proſeuchis.

Phil. de Alexandrinis.

Philo in Gaiũ.

Cleomedes.

Plini. lib. 10. epiſt. Athletæ domine ea.

Vitruuius. in præfat. lib. 9.

toria triumphantes, quadrigis in mœnia, & in patriam inuehantur: è réque publica perpetua vita constitutis vectigalibus fruantur. Cum igitur quadrigis inuehebantur, dicebantur εἰστελαύνειν, Iustinus martyr, καὶ οἱ ὧδε εἰστελάσαντες εἰς τὴν ἡγαπημένην πόλιν τῶν παῖδος, γέρας ἀίδιον μεταλήψονται, dixit ad eum morem respiciens. Vitruuius etiam quandam vocat mesolabi rationem organicam, quid id sit quæri video: Ego mesolabum instrumentum fuisse arbitror ab Eratosthene excogitatum ad mediarum linearum inuentionẽ, quibus solent mathematici figuras augere, vt duplicare: eas lineas μεσογράφους vocat in Marcello Plutarchus sic scribens, μεσογράφους πινὰς ἀπὸ καμπύλων γραμμῶν μεθαρμόζοντες: sed & Eratosthenes ipse de suo mesolabo apud Eutocium scribens, τοῖσδε δὲ ἐν πινάκεσι μεσόγραφαμυεῖα τεύχεις Ρ'εῖα κεν ἐκ παίρῃ πυθμένος ἀρχόμενος. Eius autem ratio ab Eutocio explicatur. Etiam apud Vitruuium analemma ratio quæda est descriptionis ex obseruatione vmbrarum & verticis elatione supra finitorem, & circulorum aliorum notatione ad horologia comparanda, & alia quædam in mundo accommodata Theon, ὃ πάντων τῶν λοιπῶν τῶν ἐν τῷ ἀναλήμματι ἀποπεμφύων ἀκολούθως τῷ σφαιρικῷ σχήματι. Hæc ego verba excutienda mihi leuiter putaui, vt eorum notio aliqua ex parte ingenuis adolescentibus esset comperta: etsi enim sunt qui hoc subsidio meo non indigent, tamen non deesse arbitror quibus iucundius sit ista à me scripta fuisse, quam prætermissa & tacita.

Iustin. Mart.

Vitruuius lib. 9. cap. 4.

Plut. in Marc.

Eratost. apud Eutocium.

Vitruu. lib. 9. cap 4. 17. & 8.

Theon.

Ex Plinio quædam emendata, Sitanion, saccúlo seri, granatum, faba refriua, flauidus. CAPVT XX.

OCITANTIS more & aliud agentis quædam ex xviij. Plinij hic adponam, ad veterũ & situ obsitorum librorũ fidem exacta, in quibus reperio, *quoniam tamen ipsa materia accedit intus ad reputationem eius parientis & noxia*: vt sit in interiore libro, non tantũ in operis initio totius: qui bellissimus est sensus, sed *accendit* summutauere, quod etsi è sua non eiicio decuria, tamẽ alterũ etiam decuriandũ puto. mox *Limèntq; cornua Elephanti & uri*, hoc vocabulum in publicis desideratur libris sed a me reponitur pro *& duri*, quòd vitiosè in puluerulentis bibliothecis exaratur. Lego etiam, *Inter illos Acca Larentia nutrice sua genitos*: hoc vltimum vocabulũ, cum absit ab omnibus editionibus, sensum immutauit. etiam, *agerentur cum aratro* haud paulo libentius, quàm *cum aratur, legerim*. Et, *maiorem ea æstate messem quàm ante cedentibus*. nomẽ messis subductũ ex editionibus sententiã obscurauit, & à me è pluteis vetustis, in quorũ libris *esse* reperitur erutũ, mirificè sensum illustrauit. & ex antiquorũ etiam scriniorũ chartis, *Aquam, viã, vicinum*, deprompsi: cum publicatum sit, *aquarum vim & vicinum*, minus, vt

Plin. lib. 18. cap. 1.

Plin. ibid.

Plin. iib. 18. cap. 2.

Plin. lib. 18. cap. 3.

Plin. ibid.

Plin. lib. 18. cap 5.

vt opinor, accommodate. Quinetiam, *vsque ad detrectationem hæredis*, è forulorum libris prisci expiscatus sum, cum ad detractionem, per exemplaria propagatum sit, commodiore illa dicendi ratione, cum significet hæredem detractasse & recusasse hæreditatem. Et *humidiorem agrum fossis concidi atque siccari*: hodie *fossione* non tam apte editum censeo. pro *trimenon Græci vocant, sitanion* etiam reperi: ac certè sitanium trimestre frumentum Græcis est: & quanquam trimenon trimestre significat, tamen sitanion, propriè triticum sic appellant, vt propensior in hanc vocem sim quàm in alteram, & centuriandam potius putem, alteram edecuriandam. Et *hordeum saculo seri dicunt*, non vt euulgatũ est *farculo*, quod nõ cibariis, vt triticũ, sed loculis seratur, foráſq; vendatur. Et, *si non exacta maturitate tollatur* hodie *exacta* obtinet: sed excoctum vtique, si quis est iudicij intelligentis, aptius multo putabit. etiam, *alitique, & tota Bæotia*, non vt receptum est, *& tota Bætica*: quod & Theophrasti auctoritate facilè probabitur. Etiam lego, *cum semilaginis heminis*, non vt inoleuit, *cum semilagine seminis*, inepto & insulso sensu. Ne quis autem à me potius hoc inuentum, & excogitatum putet, quam aliunde sumptum: testificor in antiquis antigraphis scribi, *cum semilagine seminis*, sed literam, s, auulsam, dictioni superiori adglutinaui, & veram reconcinnaui, nisi fallor, scripturam. Et, *ex zea fit pulchrius quàm ex tritico granatum*, non vt hodie *granum*. Nam granatum pulmentum è grano tritici cocto vocari potest, vel frumentacea ptisana. Plinio quiddam est alicæ simile: imo alicæ vitium, vt ipse declarat. Etiam lego, *quæ ideo refriua appellatur*, non *referina*. Nã refriua à referendo dicitur, quia è segete domũ referebatur. Et *flauidorum quoque, & in horreis enecatorum*, Hodie *flaccidorum* editur: & tamen quemadmodum è flacco flaccidus, è rauo rauidus, quidni è flauo flauidus, deriuari possit? Constat autem rapacia, vt & frondes, arescentia flauescere, cum antè virerent. Hactenus è Plinio.

Plin. lib. 18. cap. 6.

Plin. ibidem.

Plin. lib. 18. cap. 7

Plin. lib. 18. ca. 7.

Plin. ibidem

Plini. lib. 18. cap. 10.

Plin. lib. 18. cap. 11

Plin. ibidem;

Plin. ibidem.

Plin l.b. 18. cap. 12.

Plin. lib. 18. ca. 13.

Quædam ex Cicerone emendata, digamma tuum videram, soli non dicere. CAPVT XXI.

LIBRO nono Epistolarum ad Atticum, vt in eo leuiter aliquid expungam, mallem equidem legere, *Minucia* quàm *Numicia*: nam Numicius apud maronem, cæteróſque poëtas secundam producit, vt in Horatio legendum sit.

Cic ad Attic. lib. 9. epist. 4.

Horat. lib. 1. epist. 18.

Brunduſium Minuci melius via ducat, an Appi?

Qui quidem syllabæ modulus apud Ciceronem eandem etiam vocem constituit. si enim apud Flaccum constat de scriptura, apud Tullium non dubitabitur. Eodem in libro inspectis apicibus veteris scripturæ propius

&

Cic. ad Attic. lib. 9. epist. 6. & diligentius, erui legendum videri, *Quæ mihi quiddam quasi animi à te instillarunt*: vel, *quasi animatæ instillarunt*. Dicit enim, vt non planè recreatum se illis literis, ita nescio quid animatum esse, cum ante despondens animũ Cic. ad Attic. lib. 9. epist. 11. desperaret, inópsque consilii iaceret & stuperet. Quòd autem ait, *festiuo enim simili vrus decurro*: valet, festiua similitudine & imagine, quis me vrum Virgil. 2. Geo. decurrentem dicere potest: de quo Maro,

Syluestres viti assidue capreæ que sequaces
Illudunt qui sic rura peragro, animali inepto

& stupido & illepido & tardo persimilis. Vetus tamen editio, *festino similimus*, probare studiosis conatur. Quod autem in eodem libro obscurè per Cic. ad Attic. lib. 9. epist. 14. ænigma scribitur, *Neque solum Romæ, sed etiam Deli tuum digãma videram*, significat eum non esse prædiorum emptorem, sed fœneratorem, cuius in vocabuli literatura, prima collocatur, f, quæ digamma est: Deli autem cũ Strabo lib. 14. celeberrimus esset mercatus, vt à Strabone scribitur, ibi etiam fœnus mercatus temporibus exercebat Atticus. Huic sententiæ conueniunt, quæ antecedunt, Cic. ad Attic. eadem epist. *sciebam enim de quoto anno, & quantum in solo solere quærere*, quod est, sciebam te quærere quot annos quis fœnebrem pecuniam tenere vellet, & quam in diem mutuaretur, & vt optimè cauta pecunia esset, quantum is in solo posslideret, bene vt collocatũ fœnus esset sponsoribus prædijs. quid quòd, pro *fugámne fidam, an moram defendam*? Legendum videtur Cic. ad Attic. lib. 9. epist. 12. *fugámne fœdam, an moram nefandam*? nisi si quis pro *defendam*, *defædam* legendũ suspicetur, augẽdi significatione, vt in demortuo & demoror. sed hoc non solum esset scripturã librorum, sed etiam linguam Latinam, velut fidiculis quibusdam miserè torquere. ne illud quidem prætereundum videtur, etsi leue, vt quam iactat ventus stipulam, & per auras differt: *Sed* Cic. ad Attic. lib. 9. epist. 18. *qui soli non dicat*. Eum enim esse dicit, qui eloquentia ad vnum vti nolit, sed coronam circulúmue quærat, vt multi audiant: edunt, *sed quis vlli non dicat*? non æquè iucundo fortasse, nec arguto sensu: etsi intelligi potest non esse difficile apud vnum dicere. In epistola proxima sequenti veterẽ scripturam, pro *Trebatio* in mentem facilè veniet legendum videri. *T. Rauillium. Trebatium* tamẽ loco mouere non ausim. Etiam, *quæ Ægypta attulit*, mallem, quàm *quæ descripta attulit*. Lego etiã, *sed quid præripis*? *statim ad te perscribã omnia*. Nõ vt passim *præripi*. Hoc sensu: sed quid anticipas & ante tempus quid aues ista scrire, quę posteaquam conuenero Cæsarem ad te perscribã? *Catacis* autem eleganter suppleta syllaba catacrisis est à Victorio facta. nam κατακλίς æquè non placet, quanquam ne displicet quidem. nos quoq; hic, vt alios, lusisse iuuet. etsi κλάκρισις, ita mihi probatur, vt aliud non putem quærendum: quia tamen fortasse, quod diuinabimus, alijs magis quàm nobis ipsis acceptum esse poterit & probatum, vt dixi, nos hic

hic tanquam ludentes aliquid experiri iuuet. quid igitur, si κατακλείς legamus? vt sit clausula: sed hoc, vt dixi, nec probare cuiquam, nec commendare volumus.

Ouidij versus, explicati & emendati. CAPVT. XXII.

VERSVS tres sunt apud Ouidium lib. 15. Metamorphoseon, in quibus crucem fixisse videtur, de qua pẽderent grammatici, vel fidiculas, & eculeum posuisse, vbi torquerentur, atque cruciarentur. eos subscribam.

Liquit Iapigiam, læuisque Amphisia remis Ouid. lib. 15. Metam.
Saxa legit, dextra prærupta Celennia parte.
Romechiúmque legit, Caulonáque, Naritiámque.

FVERE tamen, qui se supplicio facile liberarint, velut renedia quadã securi, & has tres infœlices arbores succiderint, & euerterint bipẽni: sed ruina quæsita salus, & euersione non placet: alij malo nodo malum adhibuerunt cuneum, & amphrysia Cerauniaque scripserunt, ita vt se commodè extricare non possent, ac nomina nota pro ignotis substituisse satis haberent, nullo sententiæ respectu. quid enim ad Italicum littus pertinẽt Epiri mõtes aut Thessaliæ flumina? Littus enim Italiæ legitur, cuius præternauiganti quædam dextra sunt, quædam læua. Ei enim qui præterue-hitur Siciliam versus aut fretum, lęua sunt remiganti Septẽtrionalia, dextra Meridiana, si è naui frontem littoris spectes: quæ cùm ita sint, facilè adducor, vt eos sequar qui Amphissia legunt, vt promontorium Locrorum intelligatur. Nam cùm Locri Italiæ populi è Locris Græciæ oriundi sint, & constet Amphissam in Græcia Locrorum oppidum esse, ex eorum originibus & natalibus, iure poëtarum repetita adiectio est, quam qui poëtas peruolutant, facilè agnoscunt: cùm præsertim multò longius ducta appellatione, Sibilla vates Amphrysia à Marone vocetur, quòd instinctu Appollinis afflaretur, qui aliquando ad Amphrysum armentum Admeti pauerat. In Celenijs tamen miserè pendentes hærebimus, nisi faci-nore audaci & nobili nos liberemus. Igitur Columnia legendum puto, vt significetur columna Rhegia, quæ à Strabone στήλις, id est Columella Strabo. vocatur: aut igitur dicitur columnium, vt intercolumnium, aut potiùs per adiectionem saxa columnia pro columna ponuntur. Sed enim Romechium illud Caucasus est grammaticorum, vbi aquila eorum viscera semper epulis rimatur. Scio fuisse qui Rumẽtum scriberent, eo nomine Rhegium intelligentes. sed non tam distat Chius à Coo, quantum Romechium à Rumẽto. nam vt præcipiunt Rhetores oportere verecũdam esse translationem, sic mutationem vocum inuerecundam arbitror in auctoribus esse non debere, quo vitio laborat, qui dissonum quiddam & discre-

Virgil. lib. 2. Æneid.

pans reponit, ſed nos faciles omnibus in rebus reprehẽdendi partes non cenſendi ſuſcepiſſe videbimur, niſi aliquid noſtrum afferamus. Libentiſſime igitur (ne dicam dolo) legerem *Remigióque legit*, vt ſit remigatione: quanquam nec *remigiúmque legit* à ſenſu abhorret, vt remiges ſignificentur vel remigatio, & hac quidem ſtabimus ſententia, dum meliorem vel didicerimus vel inuenerimus.

Venti hominum internuntij, Ceruus ſurgens in cornua, fulminei apri, formoſior ſeipſo, flexipedes ederæ. CAPVT XXIII.

VENTOS exiſtimaſſe videntur antiqui, interpretes & internuntios eſſe, & noſtras preces votaq́; ad deorum aures deferre, noſtraque in ſumma verba omnia: hinc illa poëtarum, vt Maronis,

Virg. Eclog. 3. *Partem vtinam venti diuûm referatis ad aures.* & Ouidij:

Ouid. 10. Metamorph. *Detulit aura preces ad me non inuida blandas.*

Quæ autem vota non eueniebant & irrita cadebant, ea ad deos non eſſe perlata à ventis, ſed vel diſſipata, vel procul in regionem lõginquam auecta arbitrabantur: hinc illud Tibulli,

Tibullus li. 1. Eleg. 5. *Quæ nunc caurúſque notúſque,*
Iactat odoratos vota per Armenios.

Denique quicquid euenire nolebant, aut auerſabantur & abominabantur, vento differri, diſijcique optare ſolebant, aut eius pernici curſu procul amandari & aſportari iubebant, vt Tibullus, ſomnia,

Tibull. lib. 3. Eleg. 4. *Hæc*, inquit, *Deus in melius crudelia ſomnia vertat,*
Et iubeat tepidos irrita ferre notos.

Huius tamen mihi obſeruatiunculæ auctor fuit locus ille Ouidianus, quem citaui è decimo Metamorphoſeon, quo è libro, quid apud Maronem ſit,

Virg. 10 Aene. *Et ſurgentem in cornua ceruum,*

nullius negotij eſt declarare, & Ouidij interpretatione fretum, aliud ſentientium ſupercilium non formidare tanti magiſtri fiducia, eandem enim ſententiam ita eloquitur, —*Aut celſum in cornua ceruum,*

Ouid. 10. Met. Ex eodem etiam libro, homini non tardo facilè eſt conijcere, quamobrem fulmineos dixerint apros antiqui Poëtæ: cùm enim exertas habeant minaces dentium eminentium ſicas, velut cuſpidem fulminis imitantes, & eius impotentem præcipitemque in vulnerando impetum referentes, à tali quadam cogitatione veterum & ſenſu fulmen eis tributum arbitror: vt quemadmodum Iupiter triſulco armatus telo, & manubijs ſuis ferire ſolet, ſic apri obuia ſuis dentibus tanquam fulmine vulnerent: leones enim & pleræque feræ exertos forasque eiectos dentes non habent, vt apri: *Fulmen habent*, inquit, *acres in aduncis dentibus apri*. vel potius quòd

quòd afflatu calido oris veluti igne fulminis adurere videntur: Ouidius, Ouid. 8. Metamorph.

Dentes æquantur dentibus Indis.
Fulmen ab ore venit, frondes afflatibus ardent:

Et ab impetu, *Fertur vt excuſſis eliſus nubibus ignis.* Ouid. ibid. 8.

Quod eodem in libro ſcriptum eſt.

Iam iuuenis, iam vir, iam ſe formoſior ipſo, Ouid. 10. Met. tamorph.

Græcorum olet ſermonem, qui dicunt, καλλίων ἑαυτῦ, & καλλιος ἑαυτῦ cùm quem in eo eſſe pulchritudinis ſuæ flore ſignificant, vt nulla poſtea parte ætatis parem formæ dignitatem habiturus ſit. Quod autem ſcribitur, *Vos quoque flexibiles hederæ veniſtis,* Ouid. 10. Metamorph.

non tam bellum nec concinnum eſt, ac quod in libris forulorum arcanorum non editis patet, *Vox quoque flexipedes.*

Cùm enim hedera flexuoſis & errabũdis flagellis per humum ſerpat, velutque pedibus flexis & curuis erret, flexipes accommodatiſſimè dicta eſt, vt & ἕλικτὸς à Græcis appellatur. velut in epigrammate, Epigram. li. 3. εἰς Ἑρμοκλῆ

πολλάκις ἐνθυμέλησι, χ' ἐν ξείνῃσι τεθηλὼς,
βλαισὸς ἀχαρνείτης πυκνὸς ἑρεψε κομᾶν.

Reperi etiam hunc locum aliter exaratum manu, quàm forma excuſum: Ouidius li. 10. Metamorph.

—*Túque ô confixa figuræ*
Infœlix Lethæa tua.

Quod eſt, tu ô Lethæa, quæ cum tua figura & forma in lapidem obriguiſti & induruiſti: quam ſententiam quia non poſſum improbare, eius etiam ſcripturam è puluere eruere non dubitaui: nec tamen à me reijcitur ea ſcriptura quæ publicum meruit,

—*Túque ô confiſa figura*
Infœlix Lethæa tua.

Tantum admoneo, quam nunc proferimus, non incommodam neque ineptam eſſe, neque indignam, quæ ab Ouidio ſcripta eſſe videatur.

Multa è ſermone Horatij, vnde & quo Catius? explicata ponere ſigna, conchylia lubrica, promulſis, ante cœnam, cœna, cœna piſcium, cœna auium, molle Tarentum, Tarentinæ oues, ſtare, cœna pomorum, toral. CAPVT XXIIII.

CVLINARIA Catij Epicurei philoſophia ab Horatio ſcitè irridetur, qui non ſapientiæ doctrinam, ſed voluptatis indulgentiam profitetur, & non tam intelligendi quàm cœnandi ſcientiam & artem docet. Is igitur conuiuium ſuum à promulſide incipit: ſic enim eos cibos vocabant, quibus ante primum hauſtum veſcebantur, quem è mulſo ducebant, quòd vacuis & inanibus venis initio dulcem eſſe potionem putarẽt infundendam. Itaque ex auſtero vino mulſum conditum reprehenditur. Horat. lib. 2 ſaty. 4.

Horat.lib.2. satyr.4. *Aufidius*, inquit, *forti miſcebat mella falerno*,

Mendoſe. alij *promulſidem* interpretantur, quod vice mulſi conuiuis ad appetentiam prouocandam dabatur. Ponere autem ſigna, eſt literis conſignare & conſcribere. Inſtituerat enim hæc literis mandare Catius, ſed tamen ante mauult Horatio ea reddere & narrare, vt quæ accepit recomminiſcatur, cùm vereatur, ne quid è memoria excidat: id enim eſt quod ſcribit, Horat.ibid. *Quin id erat curæ quo pacto cuncta tenerem*,

Et tibi narrando, inquit, memoriæ infigam meæ tenacius & firmius. Promulſidem autem, quam Macrobius etiam antecœnam vocat, appellare Macrob lib.3. Satur.cap.13. videtur feſtiue prandium, quòd quàm propriè cœnam vocabant, antecedat. primam enim illam menſam æſtate terminari ſalubriter moris ait,

Horat.li.2.ſat. 4. *—ille ſalubres, Æſtates peraget, qui nigris prandia moris*

Finiet: Niſi quis cenſeat æſtate nihil vltra mora prandendum eſſe, abſtinendumque tum pulmẽto & alio obſonio: quod & verius videtur. Cum autem breue lapathum dicitur, intelligo rumicem minorem, vt oxylapathum, & oxalida, ad maioris rumicis, quem hippolapathum vocant, diſtinctionem. Lubrica conchylia dicuntur, intus polita, leuia, nitida, & ſi quædam foris ſcabra ſunt, & aſpera, vt ex his, quæ ſubijcit Flaccus, apparet: alioquin ſunt politæ foris conchæ, & quędam ab hiſtoricis vocantur Horat.ibid. lioſtrea, quod eorum ſit leuigatior, & æquabilior foris teſta. *Molle* autem Macr.li.1.Satur.cap.8. *Tarentum* cùm dixit, ſi Macrobio credimus, erraſſe videri poteſt, qui etymologiam reſpiciens, idem eſſe Terẽtum, & Tarentum, crediderit. Nam quæ dicuntur oues Tarentinæ, eas Terentinas dici debere credit, quòd Terentum Sabinorum lingua ſit molle: Sed Flaccus potius ad populi fortaſſe mores, quam vocis notationem reſpexit.

Horat.lib.2. ſaty.4. *Nec ſibi*, inquit, *cœnarum quiuis temerè arroget artem*.

Ecce, quæ adhuc dixit, & memorauit, ante cœnam eſſe putat, quæ ſequũtur cœnæ fercula cenſet. Nam & Macrobius cœnam, & antecœnam diHorat lib. 2. ſaty 4. ſtinguit: ſed & miſſus piſcium, cœna piſcium, miſſus auium, cœna auium dicebatur. *Ignarum*, quod ait, *quibus ius aptius*, de patinarijs piſcibus, qui in patina iure merſi apponebantur, dicit.

Plaut.Aſinaria Sc.vnum iſtorum quodque verbum. *Eum*, inquit Comicus, *quouis pacto condias, vel patinarium, vel aſſum*.

Si, inquit Flaccus, Surrentino vino falernũ fæcatum, & turbidius miſceas, aut ei fæcem vini falerni, vt eius ſaporem cõbibat, & vt iucundior potio tẽperetur, addas, ſine colo vinario defæcare vinum poteris ouo colũbino. Nam fæcem deuoluet vitellus: hodie tamen, qui limpidas, defæcatasque reddunt potiones, decocta, & diluta, albumine potius, quam vitello ſolent vti. At, *Corycióque croco ſparſum ſtetit*, eleganter dixit. Nam quæ liquidiora erãt, & humidiora, vt aliquam adepta ſunt coquẽdo concretionem

cretionem, ſtare dicuntur. Hinc deſcribit ſecundam mẽſam, quæ & menſa pomorum dicitur. *Picenis*, inquit, *cedunt pomis Tiburtia ſucco*. Horat.ibidem.

Scobem porrò à Catio credo imperari, vt ſi in pauimento lacuna ſit facta effuſo humore, inſperſa protinus ſcobs humorem exiccet. Toralibus Horat.ibidem. autem lectorum, veſtes ſtragulæ, aut conchyliatæ, aut purpureæ, aut Babylonicæ à locupletiſſimis patribus familias circundabantur: ſed tam honeſta veſtis parum decebat, ſi toral, quod ſubeſſet, turpe & ſordidum, aliqua parte non opertum, vel retectum appareret. Toral enim inuolucrum erat thori, id eſt, congeſtæ plumę, vel herbę, vel arundinis operimentum, quod & elegantiore rurſus ſtragulo obducebatur, conuiuij cauſa, aut feriarum. Ouidius.

Ouid lib.8. Metam. *—In medio torus eſt de mollibus vluis,*
Impoſitus lecto, ſponda pedibúſque ſalignis,
Veſtibus hunc velant, quas non niſi tempore feſto
Sternere conſuerant.

Vltro tributa, monopodia, plagulæ, viuum ſulphur, ἄπυρον, magiſter ſacrorum, facta formulæ Theſſalorum, tacitum ſignum, inædificata, immolita. CAPVT XXV.

DE cenſura Marci Porcij Catonis & Valerij Flacci, ita ſcribit Liuius, Liu.lib.39. *Vectigalia ſummis pretijs, vltrotributa infimis locauerunt*, vbi ambigi video, quid iſta inter ſe differant: eadem enim ſi eſſent, ijſdem pretijs locata oportuit: ſed vectigalia omnibus nota confido, vltrotributorum ignoratio ſententiæ cognitioni officit. Ego vltrotributa eſſe puto, impenſas & attributiones operum publicorum faciendorum, & ſartorum tectorum præſtandorum, mãcipibus & redemptoribus certa mercede locatorum. ita vectigalia, quibus reditus & fructus populi Romani conſtabat, quantum potuerunt, cẽſores auxerunt: vltrotributa, quibus impenſæ ſumptúſque, & erogationes pecuniæ publicæ ex ærario hauriebantur, quantum potuerunt, pretijs diminuerunt, & ad minimam ſummam perduxerunt. huic autem noſtræ ſententiæ, ſi adſtipulator quæritur, præſto Plutarchus Plutar.in Cat. cenſor. erit, qui non aliter Liuium quàm nos explicabit. Nam de eadem cenſura Liuium ſecutus ita ſcribit. συγέλλων δὲ τοῖς μισθοῖς τὰς ἐργολαβίας. τὰ δὲ τέλη Liuius lib. 43. τοῖς πρώτοις ὑπὲρ τὰς ἐσχάτας ἐλαύνων τιμάς. Itaque iſtud libro xliij. *Qui publica vectigalia, aut vltrotributa conduxiſſent*: in eandem ſententiam accipiendum etiam arbitror. Quocirca eleganter à Seneca libro 4. de beneſi- Seneca lib.4. de benefic.c.1. cijs ſcriptum eſt. *Cùm virtutem, nec lucrum inuitet, nec damnum abſterreat, adeóque neminem ſpe, ac pollicitatione corrumpat, vt cuncta in ſe impendere iu-*

beat, ac ſæpius in vltrotributis ſit. ſignificat enim ſumptum magnum, impenſasque virtutis cauſa ſæpe eſſe faciendas. Sed vt illius libri, in quo de Catonis cenſura Liuius ſcripſit, tanquam cuiuſdam ambulationis ſpatia conficiamus, & emetiamur, ſcribit: *Monopodia, & abacos Romam adduxerunt*, vbi monopodia menſæ ſunt, quæ vno pede ſuſtinentur, quæ ea tempeſtate pulcherrimæ lautiſſimæque cenſebantur. *Plagulæ* autem ibidem, vela ſunt & textilia, quibus lecticæ & lecti intendebãtur aut inuoluebantur, vt apud Tranquillum in Tit. *Lectica dimotis plagulis.* Nonius plagas interpretatur grandia linthea, & toral, & lecticariam ſindonem, vnde per diminutionem *plagulæ*, inquit, dicuntur. Viuum autem ſulphur eo in libro, ſulphur eſt, Plinio auctore, quod ignem nõ eſt expertum, ἄπυρον Græcis vocatum: nam reliqua genera coctione parantur, hoc glebоſum, ſolidumque effoditur, auidiſſimeq; flammam corripit. Cum autem ſcribit, *Ne quis magiſter ſacrorum, aut ſacerdos eſſet*, magiſter videtur velut princeps, & ſacri ipſius pontifex, alijsque ſacerdotibus maior. Apud Capitolinum quoq; ſcribitur in Antonini vita, de Saliorum ſacerdotio, *Fuit in eo ſacerdotio, & præſul, & vates, & magiſter.* Et in inſcriptione antiqua legitur, *Salius Albanus, idem magiſter Saliorum*. Etiam illud elegans eſt, & obſeruandum, *Nullo iure Theſſalorum formulæ factam*, quod eſt inique iuris Theſſalorum factam, credo à formulis iuris tranſlatione ducta, aut formulis fœderum, ſocietatum, pactionum. *Silentio*, inquit Liuius, *noctis tacito ſigno exercitum abduxerunt.* Hîc tacitum ſignum accipio, non vocale, quod tuba, aut claſſico, aut cornu dari ſolebat, ſed mutum, clandeſtinumque ſine vllo ſono, ſtrepituque, ne hoſtis exaudiret. *Quæ*, inquit Liuius, *in loca publica inædificata, immolitáue priuati habebant*: inædificata ſunt, quæ aliquo in loco ædificata ſunt: ſed cùm *in loca* dixit, ſignificauit ædificia è priuato in publicum procurrentia, & aliquid loci publici occupantia Plutarcho teſte, cuius verba ſunt, ἀναιρέπων δὲ καὶ καταβάλλων ὅσα προύβαινεν εἰς τὸ δημόσιον οἰκοδομήματα. Immolita autem ſunt quæ quis vſpiam molitus eſt. ſi quis igitur priuatus ante ædes ſuas in publico podium poſuiſſet, aut menianum proieciſſet, eum id demoliri, & diruere tollereque Cato iubebat.

Liuius li. 39.

Suet. in Tit. ca. 10.

Noni. in plagæ

Liuius lib. 39.

Plinius li. 35. cap. 15.

Liu. lib. 39.

Capitolinus in Antonino.

Inſcriptio antiqua.

Liuius lib. 39.

Liuius ibidẽ.

Liuius ibidẽ.

Plutarch. in Cat. Cenſor.

Argumentum primæ Maronis Eclogæ, & quædam in ea explicata. frondator, vites arbuſtiuæ, Ambo, En vnquam, Regnum. CAPVT XXVI.

PRIMAE Maronis Eclogæ, argumentum hoc eſſe arbitror. Cùm Maro agrum vicinum Cremonæ amiſiſſet, Romam venit, & carminibus Mæcenati commendatus, & per Mæcenatem Auguſto, agrum recuperauit.

rauit. Sic enim Martialis ſcribit,

Iugera perdiderat miſeræ vicina Cremonæ,
Flebat & abductas Tytirus æger oues:
Riſit Thuſcus eques, paupertatémque malignam
Reppulit, & celeri iuſſit abire fuga.
Accipe diuitias, & vatum maximus eſto:
Tu licet, & noſtrum, dixit, Alexin ames.

Mart. li. 8. epigram. 55.

Quanquam & Quintilij Vari etiam opera ad id vſus eſſe dicitur. ea de re poëma cõpoſiturus, fingit ſe Maro ſeruum, qui libertatis cupiditate ductus, Romam profectus ſit, & ea tandem ſit potitus in ſenectute: vbi imaginem ſeruorum adũbrauit, qui in vltima ætate & ſenectute ſi frugi erant, & attenti, ſuo peculio libertatem à dominis volentibus emebant, aut dominorum libertate conſequebantur. Itaque quãquam Maro iuuenis erat, de ſe tamen vt ſene loquitur, quod ferè non niſi ineunte ſenectute ad libertatẽ ſerui peruenirẽt. Ergo hac poſita ſpecie, enodatu facilia ſunt iſta.

Libertas, quæ ſera, tamen reſpexit inertem,
Candidior poſtquam tondenti barba cadebat:
Reſpexit tamen, & longo poſt tempore venit,
Poſtquam nos Amaryllis habet Galathea reliquit.

Virg. Eclog. 1.

Cùm enim contubernalem habebat Galatheam, nihil admodum peculij colligere poterat, vnde ſe tandem liberaret: Amaryllidem nactus attentiorem & diligentiorem dimiſſa Galathea, quæ diſſolutior & negligentior in re peculiari augenda erat, tandem aliquando libertatem adeptus eſt. Huic interpretationi congruit illud,

Fortunate ſenex, ergo tua rura manebunt
Et tibi magna ſatis, quamuis lapis omnia durus
Limosóque palus obducat paſcua iunco.

Virg. Eclog. 1.

Quo ex loco apparet, Maroni duntaxat eam agri partem fuiſſe recuperatam, quæ quòd ſterilior eſſet, aſſignari non potuerit. nec enim campus frumẽtarius eſſe poterat, cùm eſſet lapis nudus: nec paſcua aut prata commoda erant, cùm omnia obducta eſſent & limo & iunco: quæ autem huius generis erant ſubſeciuis annumerabantur, nec militi aſſignabantur.

Bis ſenos cui noſtra dies altaria fumant.

Virg. ibidem.

valet, cui quot menſibus rem diuinam facio, vt magnis dijs Iunoni & Ioui Reſpub. & optimates ſolent: non enim ſemel vt alijs dijs quotannis.

Hinc alta ſub rupe canet frondator ad auras

Virg. ibidem.

Frondator eſt arbuſti putator, de quo dixerat.

-ipſa hæc arbuſta vocabant.

Virg. ibidem.

Intelligo autem vites arbuſtiuas, id eſt arboribus maritas.

Virgil.ibidem. *Nec tamen interea raucæ tua cura palumbes,*

Fingitur huius eclogæ argumentum æstiuo tempore, vnde ad captãdum frigus, æstumque defendendum, Tytirus sub patulæ fagi tegmine recubat. Idem tempus hic indicatur palumbium gemitu. Plinius, *Palumbium*

Plin.lib 18.ca. 28. *vtique exaudi gemitus: transisse solstitium caueto putes, nisi cùm incubantem videris palumbem.*

Ante pererratis amborum finibus exul.

Virg.Eclog.1. Apparet amborum hic esse, quod Græci ἀμφότερων dicũt, vt pererret Germanus Parthorum, Parthus germanorum fines.

Virg.Eclog.1. *En vnquam patrios longo post tempore fines,*

En vnquam, valet vnquamne, estque archaismus.

Virg.ibidem. *—Mea regna videns,*

Cic.1.de Orat. statim in initio. dixit, vt Cicero libro primo de Oratore, *Nisi in tuo regno essemus.* suas enim possessiones, suos fundos homines lepide iocantes regna sua vocare solent, quod imitatus est.

Quædam è Vitruuio emendata & declarata, harpaginetuli, tomices, numidæ, Catacecaumene. CAPVT XXVII.

QVAERVNT doctissimi viri qui sint, in Vitruuio *harpaginetuli striati:*

Vitruuius lib. 7.cap.5. & sedulam nauant operam in eruenda vocis obscuræ significatione: parum proficiunt tamen. ad sacram anchoram decurrendum in rebus perditis, & prope desperatis, id est, ad libros veteres, in quibus legitur, *apaginæ oculi strati*: ex his vestigijs emendo, *aparinæ oculi strati*, vel *aparinæ coliculi*: oculos enim, & in arundinibus, & stirpibus dici non est ignotum:

Vitruu. ibidẽ. eos pro fastigio poni, id est, quod Vitruuio reprehendendum videtur. Non magnopere hanc emendationem vendito, ad auctoris tamen sensum propius quàm recepta scriptura accedit. Eodem autẽ etiam in loco legendũ crediderim, præsertim antiquorũ codicum testimonio fretus, *vti inertia malũ iudicis conniuerent artium virtutes*, non vt profertur, *conniueant.* Quid quod *sedentia sigilla* quàm *sidentia* elegantius non iniuria arbitror, & proprium magis in hac quidem re qua de loquitur? Quod autẽ theatrum appellat ἐκκλησιαστήριον Vitruuius, id Græcorum consuetudine & instituto facit, qui plerumque conciones de Repub. in theatris habebant.

Vitruu. ibidẽ

Vitruu.lib.7. cap.3. Itaque Trallibus ille locus populi illicium vocandi & de Republica deliberandi erat. *Thomices* autem ex sparto, restes sunt è sparto tortæ, quas

Horat.de art. poëtic. Græci θόμιγγας vocant. Itaq; verbum est, vt Flaccus loquitur, Græco fonte detortum, & in Latinam formam effictum. Numidarum nomen Latinis, non eos tantum populos qui certam Africæ partem Numidiam vocatam

catam tenuerunt significat, qui quòd initio pastoritiam vitam colebant, hoc nomen obtinuerunt: verũetiam alios populos, qui pecuarij erant. Ac numidiæ vox est è Græco deflexa, hi enim populi νομάδες dicũtur. sic etiã Vitruuius Arabes vocat his verbis. *Item Ioppæ in Syria, Arabiáque Numi-* Vitruu.lib. 8. cap.3.

darum, lacus sunt immani magnitudine. Nicander τῶ μὲν γειραῖοι νομάδες χαλκήρεες αἰχμαὶ. Ferè adducor vt in eodem scriptore legam, *sed animaduertimus apud insulam Lesbon vinum prodromum, Ioniam Catacecaumeniten.* Nam Catacecaumene regio in agro Ephesio erat, qui Ioniæ pars est. Nec tamen hæc sic accipi velim, quasi aliquid de nomine & fama eorum decerpere velim, qui Mæoniam legunt & Protropon. Ea enim reponunt quæ & proxima sunt deformatis vocibus, & quæ nemo inficiari possit, quin accommodata sint. pro *regno Cotti*, in veteribus libris *Crobi* legi constanter animaduerto, cui assimile esset si *Orobi* legeremus, vt de Orobijs Liguribus intelligeremus, sed amplius pronuntiãdum, quoniam Orobium illic regnasse nondum legimus, vt Cottum, secundum quem libenter litem darem & Cottum legèrem. Etiam emendare locum conabor Vitruuij eodem capite, *Eorúmque*, inquit, *inter se cohærentes naturali significatione ex generum discriminibus efficere qualitates.* Quis non videt *cohærentias* non *cohærentes* legendum esse? Accedit veterum librorum auctoritas. hæc ego carptim vellicatímq; hinc inde collegi, vt in mentem quicque veniebat huic allinens capiti. sic enim mihi capita crescunt, varia tanquam confarcinando, vt centonum imitari videar sutelam. sed hoc genus scriptionis iam olim pro suo iure sic varia consuere consueuit: quod & nos aliorum exemplo si facimus, culpa vacamus.

Vitruu.ibidem. Vitruu.eod.lib. & cap.

Vitruu.ibid.lib. 8.cap.3.

Manum de tabula, Catomum, proscribere inter senes coemptionales. CAPVT XXVIII.

ÆNIGMATIS præ se fert speciem illud Ciceronis, *Sed heus tu, manum de tabula: magister adest citius, quam putaramus*, nec tamen ita istud de industria obscurat, vt non appareat eum de Cæsare loqui. Gallus Catonis laudationem Vticensis scribebat, quod sine Cæsaris offensione fieri non poterat, cuius hostis Cato fuerat. monet igitur Gallum, vt desinat scribere laudationem Catonis, cùm reuertatur in vrbem Cæsar. Est autem translatio, vel à tabula literaria, in qua pueri literas discebant: in qua absente magistro ludere manu ducendis, non literis, sed lineamentis, vt pueris visitatum est, solebant: deinde subito præceptore redeunte, alter alterum monebant, vt manum de tabula tollerent: vel à pueris pictorum, qui absente magistro pulcherrimis interdum illudunt tabulis, & illinunt temerè

Cic lib.7.epi. famil.ep.26.

temerè pigmenta. Manum de tabula dixit Apelles Protogenem pictorem tollere non posse, nimiam eius & anxiam in pingendo curam reprehendens. veriorem tamen suspicor priorem interpretationem: nisi si vt de pictore loquatur, in hanc sententiam: Tu Catonem laudibus pingere & exornare, expolireque pigmentis orationis niteris: sed vide ne argumentum picturæ non probetur magistro officinæ, id est Cæsari dictatori: nam pictores non ferunt æquo animo in suis tabulis alia, quàm quæ probant argumenta, depingi: atque hoc sane sensu incommodior non fuerit translatio, neque inscitior quàm superior, ac mediusfidius etiam fortasse probabilior. *Ne in Catomum Cato nos*, quod ait, insolẽtia vocis *Catomum*, est obscurum, quæ vinculum, & catenam significat, vt legi in quodam in Iuuenalem scholio. Vsurpatur, & à Laberio apud Gellium in versu catalectico, *Tollet bona fidè vos orcus nudas in catomum*. Illud verò denso caliginis nimbo inuolutum est. *Ergo fructus est tuus, mancipium illius: quod quidem si inter senes coemptionales venale proscripserit, egerit non multum*. Etsi autem perdifficilis est informatio, & cogitatio veri sensus, qui latet in antiquitatis aliqua consuetudine, & imagine, tamen nihil vetat aliquid, non illiteratum, nec indoctum commodè excogitare ad enodandam loci difficultatem. videtur igitur hîc proscribere venale inter senes coemptionales, esse in tabula auctionis proponere se rem hac conditione venditurum, vt proprietas tantum penes emptorem sit, nec res tota proscribatur & alienetur: quod si Atticus, inquit Curius, faceret, non multum suis rebus adderet, quod magni pretij mancipium non sit. Senes autem coemptionales dicit, qui ad coemptiones libenter accedunt, & libẽter emunt. Plautus Bacchid. *Coemptionalem senem vendam ego*. Iurisconsulti etiam, vt ad interimenda sacra rationes quasdam excogitauerant, & ad liberandas tutela mulieres: sic ad perimendum in seruitijs vsumfructum coemptionem quandam senum fortassis inuenerant. Cur autem senes adhibebantur? an quòd ob eorum ætatem, res plus auctoritatis habitura esset? an ob priuilegium & vacationẽ ætatis? an quòd à senibus emptiones & coemptiones potius moribus Romanis tractarentur, quàm à iunioribus, quod plus vsu rerum saperent, minúsque deciperentur: & si quid in mancipio contra ius fieret, callidi veteratoréque ita obtegerent, ne in fraude deprehendi possent? An denique ob aliam causam? parum, vt ne quid dissimulem, mihi compertum est, & alijs quærendum relinquo.

Cic. ad. epist. 26. lib. 7.

Iuuen. Scholia. Gell. lib. 16. cap. 7.

Cic. lib. 7. epi. fam. epi. Si vales benè est, sũ enim.

Plaut. Bacchid. lib. Sc. Atridæ duo fratres, &c.

Horatius emendatur, prunæ batillus, tempus notabatur magistratuum nominibus.

CAPVT XXIX.

IN

IN itinerario sermone Horatij, nónne, obsecro, multo accommodatius legetur, *Græcorum linguæ doctissimus*, quàm quomodo est promulgatum, *Græcorum longè doctissimus?* Nam Rhetori linguæ cognitio conuenit, summa doctrina non item: nec tamen meum hoc inuentum est, sed antiquorum librorum scriptum. Quod autem ait,

Horat. lib. 1. sat. 5.

Ora manúsque tua lauimus Feronia lympha,

Horat. lib. 1. sat. 5.

religione quadam & cerimonia factum esse existimo, vt se viua sacráque Feroniæ aqua lauarent, purificaréntque cùm in conspectum eius fani venissent. Nam se flumine viuo abluere in parte religionis ponebant, vt è Marone & poëtis alijs est notissimum.

Virg. 2. Aeneid.

Millia tum pransi tria repimus.

Horat. lib. 1. sat. 5.

quam *repsimus* malo, cùm mox sequatur, *subimus*, atq; ita Lambinus legit:

Horat. ibidem

Fundos Aufidio Fusco prætore libenter inquit, *Linquimus*,

hîc venustè Aufidium ridet, qui cùm Fundis in oppido exiguo præturam gereret, insana arrogantia & animis elatis fastúque insolenti & inaudito erat, & insignibus magistratus consules Romanos superabat, cùm tamen Romæ tantum scriba esset, qui ordo vilis & vulgaris erat, patebátque hominibus libertinis, vt in eodem sermone

Horat. ibidem

—scriba quòd esset, Deterius nihilo dominæ ius esse. Itaq; prætextam & latum clauum, vt Prætor aut Consul Romanus gerebat, æquare studens amplitudinem, & dignitatem fastigij Romani. Ignis autem ei præferebatur (id enim est, quod scribit,

Horat. ibidem.

—prunæque batillum) quod supra humanam prope conditionem erat, & diuinum religiosúmque habebatur. Sic Imperatoribus Romanis & eorum vxoribus, interdum fororibus, ignis præferri solebat. Herodianus in Ant. Cõmodo.

Herodianus in Ant. Cõmodo.

nus de sorore Commodi Imperatoris, ὃ ἀυτῆς τὸ πῦρ προεπόμπευε. Videtur autem Horatius, cùm ait, *Fundos Aufidio Fusco prætore*, in eo iocari, quòd sic tempus notare solebant magistratuum nominibus: vt si diceres, Veni Romam Cicerone consule. at,

Horat. lib. 1. sat. 5.

Conuiuas auidos cœnam seruósque timentes,
Tum rapere, atque omnes restinguere velle videres.

Horat. ibid.

etiam iocosè dictum accipio: nam primum auidi conuiuæ ex incendio, & flamma rapiebant cœnam, & serui, qui si cœna vreretur, timebant, ne ab heris verberarentur: quo facto cœnaque in tuto posita, tum denique cum omnibus ignem cœperunt restinguere, cùm epulis potissimùm timerent ne perirent.

LIBRI PRIMI FINIS.

ADRIA-

ADRIANI TVRNEBI ADVERSARIORVM LIBER SECVNDVS.

Apud Horatium flumen hibernum χειμάῤῥους. fertur quò rara securis, vocare cucullum. CAPVT I.

PETRVS Gallandius (cuius ego tum eximia liberalitate & beneficentia semper adiutus, tum opera & labore absens ad cathedram regiam, nihil tale vel cogitans vel expectans, sum vocatus) multo plus in literis videbat, quàm eius calumniatores & obtrectatores existimari volebant: ita enim eum negotijs, quæ multa amplectebatur, obrui dicebant, vt professionis muneri negarent parem esse posse: sed profectò ignorabant, quanta in eo homine vis ingenij esset, quanta diligentia, quàm omnium rerum capax natura: quam ita facilè regebat, & versabat, vt quicquid ageret, vnum illud curæ habere tractareque putaretur. Sed nunc eius laudes commemorare non decreuimus, quas nec oratione sequi possemus. Eum aliquando quendam Horatij locum explicantem audiui ita acute & ingeniosè, vt omnes cum eo comparati, plumbei stupidique esse videremur. Sed verba Horatij profe-

Horat. lib. 1. satyr. 7. ramus, —*ruebat Flumen vt hibernum, fertur quô rara securis*:

Hîc sensum esse dicebat Gallandius, cui & assentior, tam concitata oratione & veloci rapidáque decurrisse, quam torrens hibernus deuolui & præcipitari solet per loca abrupta & abscissa, quò rarò solent lignatores accedere, propter arduam & erectam inaccessarum rupium montiumque eminentiam. Flumen autem hibernum, est torrens, qui & Græcè, quòd hyeme fluat, æstate siccetur, χειμάῤῥους vocatur: de torrente enim hyemis aquis abundantè Ouidius amorum libro tertio scribit,

Ouid. li. 3. amorũ eleg. 5.
Fontis habes instar pluuiásque niuésque solutas,
Quas tibi diuitias pigra ministrat hyems. Addit.

Horat. lib. 1. satyr. 7.
Tum prænestinus salso multúmque fluenti
Expressa arbusto regerit conuitia.

Arbustum dicitur multum fluere, quod multum vini fundit: sed per allegoriam,

goriam, hoc ad dicacia vinitorum & vindemiatorum retulit cõuitia, quibus vel lacessunt prætereuntes viatores, vel prouocati vlciscuntur, & remordent. Ergo vindemiatorijs probris & dictis petulanter ei Rupilius respondit, —*Cui*, inquit, *sæpe viator* Horat. ibid.

Cessisset, magna compellans voce cucullum.

viatores solebant cultores & vinitores fero colentes, appellare cucullos, in desidiæ probrum: Plinius decimo octauo, *Dum sciat inde natam exprobrationem fœdam putantium vites per imitationem cantus alitis temporariæ, quam cucullum vocant: dedecus enim habetur opprobriúmque meritum falcem ab illa volucre in vite deprehendi, vt ob id petulantiæ sales, etiam cum primo vere laudantur, auspicio tamen detestabiles videantur.* Plinius li. 18. cap. 26. Ausonius quoque in Mosella istius petulantiæ ita meminit. —*Inde viator* Ausonius Mosella.

Riparum subiecta terens, hinc nauita labens,
Probra canunt seris cultoribus.

Præbet aquam apud Horatium, cogemus in hanc concedere turbam. CAPVT II.

QVOD ab Horatio dicitur, *præter eum qui præbet aquam*, grammatici Horat. lib. 1. satyr. 4. eruditissimi vix concoquere possunt: mirum enim eis videtur conuiuatorem aquæ præbitorem appellari. sed Dionysius Lambinus, alijs hîc caligantibus, primus lucem dispexit, viditque conuiuatorem solitum balneum præbere conuiuis: quam eruditissimi viri interpretationem nemo reprehendere, nisi improbus, vel indoctus potest, licet tamen in antiquis auctoribus præter aliorum sententiam, iusque est & fas interdum aliquid excogitare, modo probabile sit, Quid igitur, si dicat hominem tam esse procacem & petulantem in iocando, vt nec conuiuis, nec ministris abstineat vllis, quin eos perstringat, præter eum, qui ipsi pocula miscet ministratque aquam? ait enim Martialis:

Mart. li. 1. epigram. 12.
Iam defecissent portantes calda ministros,
Si non potares Tongiliane merum.

Sed omnino præstiterit locum per allegoriam interpretari, inflexione verborum & inuersione ducta à lusu, quo aliquo in situla aut vrceo nobis aquam ministrante, alios ea aspergimus, aut perfundimus per lasciuiam, quod cùm facimus, eo qui aquã nobis præbet interim abstinemus. Aquæ igitur præbitori similem voluit esse Flaccus conuiuatorem. huic inuersioni *aspergere*, & *aqua* fauere videntur: & hac tanquam constituta allegoriæ imagine nobis diu quærendum non putabimus, cur conuiuatorem aquæ præbitorem dixerit. Cogitationem enim ad lusus speciem refere- Horat. lib. 1. satyr. 4.

mus, vnde genus dicendi tractum pronuntiabimus. In eodem sermone non est facilè, quod ita scribitur perquam venustè,

Horat. lib. 1 saty. 4. *Multa poëtarum veniat manus, auxilióque*
Sit mihi: nam multo plures sumus: ac veluti, te,
Iudæi cogemus in hanc concedere turbam.

Putò autem perfacetè ab Horatio dici, si poëticum tibi displicet studiũ, & poëtæ tibi inuisi sunt, vt vulgò Iudęos omnibus hominibus videmus, nos poëtæ, qui plurimi sumus, exercitumque conficere possumus iustum, pertinacesque, vt Iudæi in religione sua & cerimonijs, ita in studio poëtico & proposito sumus, non modo non de sententia deducemur, sed te vltro ad poëtas traducemus, & vnum è turba poëtarum, quãuis inuitum, reddemus, vt illud studium, quod improbas, posthac celebraturus culturusque sis, & carmina scripturus. Interim autem multitudinem eorum qui versus scribebant, lepide illudit more suo, malim autem, vt & reperi in antiquis libris, *auxilióque* legere adposita coniunctione, quam prouocabulo adiuncto *auxilio quæ*: quanquam non magni refert, nec id magni momenti est, cùm vtroque modo sensus idem explicetur.

Æsculapium in Vitruuio ἀσκληπιεῖον, sessimonium, statumen, rudus, nucleus, mataxa, abacorum diuisiones & speculorum.

CAPVT III.

Vitru. in præfat. lib. 7. ÆSCVLAPIVM apud Vitruuium libro septimo, est templum Æsculapij, Græca imitatione: nam Graijs ἀσκληπιεῖον in neutro genere illius dei templum est. Cùm autem exemplum illud prope singulare apud Latinos viderem, admonere lectorem placuit, qui fortasse oscitans, aliudq; agens non animaduertisset. Mineruium tamen, & Dianium apud Latinos similia ei sunt: sed locum Vitruuij adscribamus. Vitru. ibid. *Item*, inquit, *Argelius de symmetrijs Corinthijs, & Ionico Trallibus Æsculapio, quod etiam ipse dicitur sua manu fecisse.* Eodem in libro Sessimonium est templum & sedes, deducturque à sessu vel sede sessimonium, vt à merce mercimonium: Ita enim Vitru. ibid. scribit, *Suspectus habent in deorum sessimonio*, id est, in deorum ædificandis templis, & sedibus statuendis: ac sessimonium dici videtur, vt ἕδος Græcè. Verbis autem Budęi, quæ in Memmiani codicis margine manu Budęi scripta inueni, libet explicare statuminationem, & ruderationem Vitruuij in pauimentis: Sic igitur scripsit Budæus, Statuminatio, vt hic apparet, fit lapidibus & cemẽtis libralibus & manualibus sine calce & arena: Ruderatio verò statumini superinducitur cum calce & arena, aut rudere nouo aut rediuiuo, id est ex vetere ędificio sumpto, non nuper effosso, quod

Vitru. lib. 7. cap. 1. Budeus in Vitru. lib. 7. c. 1.

constat è cemento, vt hic apparet, ad differentiam nuclei, qui è testa contusa constat, & tertio loco inducitur. Hęc doctissimi hominis oratio non tam docet, vt intelligamus, quam manu prope ducit, vt quid ista sint apud Vitruuium pene palpemus. Sic autem Vitruuius ait, *Tunc insuper statumi-* Vitruu. lib. 7. *netur, non minore saxo, quam quod possit manum implere: statuminibus inductis* cap. 1. *ruderetur.* & mox, *Insuper ex testa nucleus inducatur.* Cùm autem eodem libro à Vitruuio scribitur, & *mataxæ tomice ad iustam longitudinem vna crassitudine alligationibus temperentur*, Vitru. ibid. eodem Budęo velut Mercurio interprete, mataxæ sunt manipuli & fasciculi cannarum, quos Vitruuius tomice alligari iubet. *Ipsaque*, inquit Vitruuius, *tectoria abacorum, & speculorum diuisionibus, circa se prominentes habent expressiones*: hic non assentior ijs, qui abacos sessiones, vel scabella ad sessum habilia, aut podia esse censent: sed Æmari Ranconeti sententiam approbo, existimantis abacorum diuisiones formas esse quadratas in tectorio prominentes: speculorum autem diuisiones, formas esse rotundas. Istas ab interitu interpretationes duorum doctissimorum nostra ætate virorum volui vindicare: malui tamen ingenuè ipsis eas reddere, quàm improbo furto clam eas interuertere, cùm potiùs si quid possum, de meo eorum memoriæ liberaliter elargiturus sim, quàm quicquam per fraudationem eis adempturus.

Vitru. lib. 7. c. 3. Vitru. lib. 7. c. 3.

In Catapultæ descriptione quædam apud Vitruuium explicata, tonus quid, hemitonium, brachia, plinthium, syrinx, epitoxis manulea, plinthis, capreoli, antefixa, subiectio, tracheli.

CAPVT IIII.

PLACET tentare quarundam in catapultæ descriptione apud Vitruuium vocum explicationem, maximè cùm inciderim in quædam schedia Ctesibij, vel Heronis (nam dubia inscriptio erat) tormentum idem declarantia. ait Vitruuius, *Eius nonæ partis fit foraminum in capitulis magnitudo, per* Vitru. lib. 10. cap. 15 *quæ tenduntur nerui torti, qui brachia continere catapultarum debent*, hic foramina sunt, quæ Græci τρήματα appellant, quibus inseruntur nerui torti, quos Græci τόνους appellant. In instrumentis autem παλιντόνοις, quæ lapides mittunt, vt balliſtæ: dimetiens foraminis, quod pondo lapidem mittunt, tot centenorum digitorum multiplicatione, eiusque lateris cubica sumptione, & lateri decimæ partis adiunctione constabit. vt si lapis sit 80. librarum, centies multiplicari hæc summa debet: sic in assem octo millia fient, quorum latus cubicum sunt 20. quibus decumam addo 2. ita dimetiens foraminis erit viginti duorum digitorum. in εὐθυτόνοις quæ sagittas mittunt, sumitur è nona parte sagittæ dimetiens foraminis: eo enim ma-

ius foramen esse oportet, quo moles est maior, vel magnitudo lapidis aut sagittæ: cùm oporteat brachia quæ ἀγκῶνας Græci vocant, crassioribus robustioribusque neruis intẽdi. neruos autem non solùm τόνους, sed etiam ἡμιτόνια appellabant. Vitruuius lib. 1. *In capitulis enim dextra ac sinistra sunt foramina hemitoniorum*, id est, vt interpretor, neruorum. Hero ἐκάλουν δὲ τὰ ἔχοντα μὲν συνέχοντα τοὺς ἀγκῶνας νευρὰ, τόνον. ἔνιοι δὲ ἐνάτονον, ἔνιοι δὲ ἡμιτόνιον. ait Vitruuius, *Tabulæ quæ sunt in summo & imo capituli*: & mox, *Parastatæ dextra & sinistra*: hæc vt intelligantur quoquo modo, sciendum est, huius instrumenti corpus esse laterculum, Græcis plinthium appellatum, ita arrectariæ tabulæ dextra & sinistra vocantur parastatæ: transuersariæ tabulæ in imo & summo positæ sunt: Græci parietes quatuor appellant. Transuersi autem isti parietes ἀντῆνται appellantur, habentque, vt ait Vitruuius, tabulas pararellas. parastatæ incumbit brachium catapultæ: parastatæ antistates adhæret compaginatus, qua est (vt Græci loquuntur) ipsius brachij πλέυρα. id est calx: in parastatæ medio excauatur sinus in semicirculum. Cardines parastarum Græci τόρμους appellant, quos esse in parastata duos præcipiũt & διτορμίαν vocant, inquit Vitruuius, *Canaliculi, qui Græcè strix dicitur*. Hoc falsum: neque enim sic Græcè appellatur, sed σύριγξ. Nulla autem inuidia sit opinor legere *securiclatis cardinibus fixa*. nam fixã accusandi casu merito accusare licet. scribitur in Vitruuio, *crassitudo scutulæ*, sed Budęi manu in libro Memmij suculę emendatum reperi, cuius sententiæ refragari pudet. Epitoxis est cauus, qui sagittam recipit. *Item*, inquit Vitruuius, *chelo sine manucla dicitur*, puto χηλὴ legẽdum esse, cùm præsertim ita in Herone legam, ταύτην δὲ ἡ καλάγυσα χεὶρ διαπλῆ γίνεται, κεχηλωμένη πρὸς τὸ μέλαζυ τῶν χηλῶν δέζασθαι τὸ τῦ βέλυς πάχος. manulea autem in editionibus antiquis extat, vnde & manuleatæ tunicæ sunt. Basis sedes est in qua statuitur columella, quæ machinam sustinet. columellæ autem basis, sic enim lego, in solo latior est: plinthis autem, id est laterculus, quadratum est superius ipsius basis, qui laterculus, qua accipit columellã, quę τυλίσκος vocatur suo cauo, eam habere debet quam dicit latitudinem. Capreoli, qui à Græcis συγκύπλοι appellantur, tigilla sunt fastigata, & in columellam suis capitibus nitentia, eamque hinc inde firmãtia ne nutet aut vacillet. addit Vitruuius, *antefixa latitudo foraminis*: antefixa Festo sunt quę ex opere figlino tectis adfiguntur sub stillicidio: sed hic antefixa videtur columella quędam anterior, quæ etiam sustinet plinthium, & antefixa videtur vocari, quod sit ante columellam illam, quam ante explicauimus. adfixa est autem plinthio catapultæ, vnde & nomen. potest esse & tanquam fibula, quæ ab interiore plinthio perueniat ad columellam. Est & posterior columna, quæ antibasis dicitur, sustinetque etiam catapultam.

Vitruuius lib. 1. cap. 1. Heron. Sched. Vitru. lib. 10. cap. 15.

Vitru. lib. 10. cap. 15. Vitru. ibid. Vitru. ibidẽ Vitru. ibidẽ. Vitruu. ibidẽ. Vitru. ibidẽ. Hero siue Ctesibius. Vitruu. lib. 10. cap. 15. Fest. lib. 1. in litera a.

subiecto,

subiecto, inquit, *foraminum xij*. Hic mihi videtur suctiectio legendum, vt sit tanquam ὑπόθεμα & basis aut ὑπόβλημα aut ὑπόθεσις) certè ὑπόθεμα vocatur à Philone) aut subiecta, vt supra antefixa dicebatur. nam talia pro substantiuis plerumq; Latini habent. *Carcheli*, inquit, *suculorum*. Hic tracheli, id est, colli suculorum legendum auguror, collum autem est, qua sunt graciliores. *Quo*, inquit Vitruuius, *est mollior tonus*, id est, vt interpretor, neruus, qui tum est prolixior. Dodrantes autem quadrati & rotundi interpositi sunt ab hominibus, qui vel se multis vini dodrantibus proluerant, vel lectoribus voluerant molestiam creare. Hæc omnia magna ex parte diuinaui: itaque veniam peto, sicubi, quod necesse est, in re tam obscura, erraui. nam Græca quæ vidi, & mutila erant, & dissimilia: tantum in quibusdam adiuuere, in alijs coniecturæ indulgendum fuit.

Vitru. lib. 10. cap. 15. Philon. Vitru. lib. 10. cap. 15 Vitru. ibid.

Quædam in descriptione ballistæ apud Vitruuium explicata, περίτρητος, *scutula, toni, epizygis, modioli*, χοινικίδες, χηλὴ, *mensa climaris, pteryx, eschara*. CAPVT V.

EXPERIAMVR & ipsi ecquidnam in fabrica ballistæ explicare apud Vitruuium possimus, partim coniectura, partim auxilio Græcorum scheVitru. lib. 10. cap. 17.
diorum? *describatur*, inquit Vitruuius, *scutula, quæ Græcè* ἀσπίτρητος *appellatur*. hæc scutula est in summo & imo capitulo, dextra & sinistra: atque inde nomen habet Græcum, quod multis locis pertusa & perterrebrata est. Itaque & perinfirma est, sed laminis ferreis, & regulis, & clauis confixa continetur firmaturque. in ea est foramen quo tenduntur toni, id est nerui, qui brachia ballistarum continent. Insunt & foramina, quibus induntur cardines. Melius autem fortasse legeretur & commodiùs, *longitudinis* Vitru. ibid. *sexta parte*, & mox, *quarta parte*, quam accusandi casu, idque ita placebat Æmaro Ranconneto, vt & non multò post *sexta parte* scribitur. Inquit Vi- Vitru. lib. 10. truuius: *quantam epizygis habet crassitudinem*: sic vocatur axiculus, vel, vt cap. 17. Vitruuius vocat, cuneolus, qui neruos vertit & tendit. Ctesibius, siue etiã est Hero, τὰ ὀπισθόφυλα τὸν τόνον ἀζόνια ἔχειν ὀπίζυγίδας. quod sequitur, Heron. Sched. sic ferè legendum suspicor: *cùm deformatum fuerit, circum leuigentur extre-* Vitru. lib. 10. *ma, vt habeat curuaturam molliter circumactam*. Nam *circum diuidatur extre-* cap. 17. *mam*, non satis quid sibi velit possum attendere, & nisi erro, quod quidem est facile, præcipit vt foramem poliatur lęueturque, vt absque scabritia & asperitate sit. *Constituantur*, inquit, *modioli foraminum* ij: modioli sunt, qui Vitru. ibid. à Græcis appellantur χοινικίδες, suntque formæ rotundæ & turbinatæ, indunturque foramini: idque perspici potest è sequenti Vitruuij capite, in Vitru. lib. 10. quo ita scribitur, *Tum verò modioli ærei in ea capitula includuntur, & in eos*

cuneoli ferrei, quos ὀπισχίδας *Græci vocant, collocãtur*: ego ὀπιζυγίδας scribendum esse puto, non ὀπισχίδας. Nam Ctesibius sic scribit, ὅταν οὖν βελώμεθα ἐνλεῖναι ἤτοι τὰ τῦ παλινλόνε ἡμιτόνια, ἢ τῦ ἐνθυτόνε, τὸ πλινθίον σωπθέντες, ὡς προείρηται, τόν τε παρεφάτην καὶ ἀντιφάτην, καὶ τὰ δύο πεζίσκια, καὶ προθέντες τὰς ὀπιζυγίδας, καταπλινθῦμεν ὅπι τὰ μέσα διαπηγμάτα. Parastatæ quales sint & qui, in catapulta exposuimus. addit Vitruuius, *Regulæ, quæ in mensa, longitudo foraminum octo*. Mensa interior est, & media inter duas hinc & inde scutulas, constatque regulis diapegmatis, & tabula, inter regulas & diapegmata collocata: estque in summo & imo capitulo, vt & peritreta. Ctesibius vel Hero καλεῖται δὲ τὸ φῆγμα τὸ ζυγκείμενον ἔκ τε τῶν κανόνων καὶ τῶν διαπηγμάτων, καὶ τῆς σανίδος, τράπεζα. inquit Vitruuius, *Climacidos scapi longitudo foraminum xiij*. Climacis ea est, quæ in catapulta vocatur σύριγξ, id est canalis. nam in ballistis nomen mutat, propter amplitudinem & latitudinem, & κλιμακὶς, id est scalula vocatur. Ctesibius, ἡ δὲ σύριγξ, ἐν ᾗ ἐστὶν ἡ διόπρα, καὶ τὸ χελωνάριον, καὶ ἡ χειρ, ὅπι μὲν τῶν εὐθυτόνων σύριγξ κέκληται, ὅπι δὲ τῶν παλιντόνων κλιμακὶς. ἕτερον δήπου πλεῖόν πλάτος ἔχει, καὶ διαπήγμασι ζωέχεται πλείοσι, καθάπερ καὶ ἡ τράπεζα. γίνεται δὲ ἡ κλιμακὶς οὕτως. διάτηγμα κατασκευάζεται ἐκ τεσσάρων κανόνων ζωεχῶς, ὅπι δὲ τὸ μέσον ἔχον κατὰ τὸ πλάτος ἄλλους κανόνας πεπηγότας ὅπι τῶν κατὰ τὸ μῆκος κανόνων, ἵνα ᾖ τὸ γνόμονον κλιμακὶς. *Ex his*, inquit, *detur duæ partes ei mẽbro, quod Græci* χηλὸν *vocant*. hic, vt & superiore capite lego, χηλὼ, quo etiam modo hic Ranconetus emendarat. inquit Vitruuius, *plentigomatos foraminis*: ego priorem dictionem non intelligo. quid si pterygomatos, vel πλερώμαλος? præsertim cùm totum instrumentum pteryga vocari legamus. Ctesibius, καλεῖται δὲ πλέυξ αὐτὸ τὸ ὄργανον ὅλον. securicula est πελεκῖνος, vt securiclata, πελκινωτὰ à Græcis vocantur: ea est inclusa & insita, operiturque chelonij puluino. basis hic, quæ sustinet, & in qua sedet instrumentũ, vocatur, ait Vitruuius, eschara: additur & antibasis, vt & catapultæ. Hæc ego pauca annotaui ex obscurissima & molestissima Vitruuij descriptione, adiutus Græcis scriptoribus Bitone, Herone, Ctesibio, quorum scripta quædam dieculas aliquot mihi tractare contigit, quibus si frui diutius potuissem, huic fortasse loco maiorem lucem attulissem. ea autem scripta mihi videre magis licuit, quam inspicere: quæ etiam qua me parte adiuuare maximè debuerunt, deseruêre, vel temporis iniuria violata, vel hominum improbitate lacerata.

Ctesibius. Vitru. lib. 10. cap. 17. Ctesibius vel Hero. Vitru. lib. 10. cap. 17. Ctesibius. Vitru. lib. 10. cap. 17. Vitru. ibid. Ctesibius. Vitruuius. lib. 10. cap. 17. Bito. Hero & Ctesibius

Respondet imago gloriæ quid, in lucem editi & susceptι, conturbatus oculus, apud Ciceronem, τάραξις. CAPVT VI.

NON est publici gustus nec palati sentire, quæ sit huius loci suauitas, & quam dulcis sapor de gloria: *ea virtuti resonat, vt imago gloriæ*. itaque vltimo

Cic. lib. 3. Tusc. in præfat.

timo, nomine multi, vt acido & inuiso offensi, *voci* scripserũt: qui mihi videtur nimium iuris sibi sumere, si ius dici debet licẽtia. Ego *gloriæ* nomen in suo domicilio suisque penatibus retinendum esse existimo, & locum sic interpretor: gloriam virtuti sic solere resonare, vt imago solet gloriæ, id est, vt plausui & significationibus & gratulationibus, quibus populus voce læta & mirabunda & hilari aliquem celebrat, respondet Echo, quæ Latinè dicitur imago. huius gloriæ hoc exemplum apud Flaccum extat,

Horat. lib. 1. od. 20.

Datus in theatro,
Cùm tibi plausus,
Care Mæcenas eques: vt paterni
Fluminis ripæ, simul & iocosa,
Redderet laudes tibi Vaticani
Montis imago.

Non est autem, vt opinor, in controuersia, quin legendum sit eo in libro Ciceronis, *haud erat sane quod quisquam rationem ac doctrinam requireret, ratione* tamen & *doctrina* editur corruptissimè: nam philosophiæ artẽ præceptionemque intelligit. quod autem ait, *simul atque in lucem editi & susceptι sumus*, de vtroque parente intelligẽdum puto. edit enim mater, quæ parit: suscipit pater qui tollit. Terentius in Andria:

Cic. lib. 3. Tusc. Cic. ibid.

Puerum autem ne resciscat mihi esse ex illa cautio est.
Nam pollicitus sum susceptυrum.

Terent. And. act. 2. scena. 3.

Iterum, *Nam quod peperisset iussit tolli.*

Terent. And. act. 3. scena 1.

vbi mater tollit, & ab ea sublatum pater etiam suscipit. Eminens autem effigies, dici potest pictura ita expressa, vt extare & eminere videatur: sed exculptum simulachrum potius sit, cùm paulò post rem solidam dicat: nam adumbrata est ἐσκιαγραφημένη, id est primis lineis ducta & delineata. Leue esset monere legendum videri, *& ægrotum animum quem appellarunt insanum*, nisi *quam appellauerunt insaniam*, errore non ferendo per omnia propagatum exemplaria esset. nihilo secius lego *his rebus mentem vacuam appellarunt insanam*: hodie *insaniam* perscriptum est inuita, vt opinor, Minerua. quod autem ait, *Itaque non est scriptum, si insanus, sed si furiosus esse incipit*: pro interpretatione legis erit, cuius ita ad Herẽnium concepta verba sunt, *Si furiosus existit*, id enim est, esse incipit. Cõturbatus autem oculus est, qui caligat, & cõfusius videt, laboratque ophthalmia. Scribonius, *ad cõturbationes & epiphoras oculorũ scio multa collyria, & si tardè, magnos tamen effectus habere*. Iterum, *hoc maximè probo ad recentes epiphoras, & conturbationes oculorum, tumoréque & dolores*. vocat & perturbationes. *Collyrium psoricum ad caliginem & ad asperitudinem oculorum siccámque perturbationem sine tumore, quam* ξηροφθαλμίαν *appellant*. Propriè tamen est conturbatio

Cic. lib. 3. Tusc. Cic. ibid. Cic. ibid. Auctor ad Herenn. lib. 1. cap. de confirmat. & confutat. Scribonius. Scribonius. Scribonius.

batio minor ophthalmia, & τάραξις Græcè vocatur, definiturque oculorum tumor cum rubore & calore ex causa obortus externa, vt fumo, sole, puluere, oleo, leuisque ophthalmia appellatur. Lego etiam *omnem enim abstinentiam, omnem innocentiam,* quod quidem necesse est, vt à tanto scriptore & oratore remoueatur solœcismi fœditas & deformitas.

Cic. lib. 3. Tusc. quæst.

Exponitur epigramma quoddam Maronis, natio madens pingui, adipata dictio, scholasticus, cymbalum iuuentutis, mittere vela ad portus beatos. CAPVT VII.

IVCVNDVM est epigramma, quo dimittit rhetoras Maro, & ad philosophos se confert, si modo Maro is est, ac non alius quispiam: sed interueniunt, vt gemmis nitentibus nubeculæ quædam earum splendorem nubilo fuscantes, sic ei vitia nitorem lædentia. nam primus statim versus syllaba curtior est, *Ite hinc inanes rhetorum manipli,* quæ supplebitur repetito initio *ite*, hoc modo,

Virg. Priapeijs

Ite hinc inanes rhetorum manipli, ite
Inflata rore non Achaico verba,

Virg. Priapeijs

non satis assequor, & commodiùs scribi posse putarem,

Inflata rore non Achaico turba.

vt Latinorum significet rhetorum eloquentiæ transmarinæ rudium auditores inanes & indisertos. Ac rorem Achaicum dixit, vt ad cicadas fortasse respiciens, quæ roræ vesci feruntur, canoræque sunt & stridulæ, vt illi loquaces & garruli. Sed & cicadis disertos Troianorum principes Homerus comparauit.

Homerus.

Et vos, inquit, *Seliquati, Arquitique, Varróque.*

Virg. Priapeijs

putem scribendum,

Et vos Seli, Cati, Arquitique, Varróque,

Virgil. ibidem.

vt nomina propria sint Selius, Catius, Arquitius, Varro.

Scholasticorum, inquit, *vario madens pingui.*

natio madens pingui legendum puto: vt Rhetores illos Græcæ facundiæ ignaros, vt hebetes & obtusos, pingui madere dicat irridens. adipatæ dictionis genus Cicero in Oratore dixit, genus pinguis elocutionis & insuauis & inconcinnę, ab adipatis cibis translatione ducta, id est adipe vnctis & opimatis. Iam rhetores & declamatores Seneca & Quintilianus non rarò scholasticos appellant: apud Synesium tamen, & in Hesychij antibolem scholasticus causarum est actor. eos iuuentutis cymbalũ ignominiosè vocat, vt cymbalum mundi Appion Grammaticus vocatus à Tiberio Cæsare fuit: quòd ad aures iuuentutis streperent loquaciter & iniquo

Cic. in Orator. ad Brutum.

Senes. in epist. 155. & 156.

Hesychius.

Plin. in præfat. Nat. Hist.

niter, vt Gallorum in matris ideæ sacris cymbala crepabant: habebantur autem omnium vilissimi & abiectissimi mortalium, molles & castrati illi Cybelæ & matris ideæ ministri.

Nos, inquit, *ad beatos vela mittimus portus.*

Virg. Priapeijs

id est, ad philosophiam pergimus, quæ nos suis præceptis fœlices beatosque reddet, & omni liberabit perturbatione & molestia. addit,

Ite hinc Camœnæ, vos quoque limite sæuæ:
Dulces Camœnæ, animum fatebimur verum,
Dulces fuistis.

Virg. ibidem.

hæc bonam non interpretãtur sententiam, verum audemus, si veram non possumus scripturam reddere, probabilem saltem comminisci, quæ commodum sensum eloquatur.

Ite hinc Camœnæ, vos quoque hinc leues ite,
Dulces Camœnæ: nam fatebimur verum.

etsi vos nunc inhumanius & asperius eijcio: tamen non tam improbus ingratusque vnquam ero, quin semper fatear vos mihi dulces & iucundas fuisse: & quanquam vos nunc exigo, attamen meas chartas reuisitote, sed prudenter & rarò. Quibusdam etiam videtur dicere, vos mihi antea dulces fuistis, nunc molestæ, &, vt verum proloquar, ad alia me accingo studia vobis dimissis: & tamen quamuis vos dimittam, reuisitote me aliquando, verum pudenter & raro.

Apud Ciceronem vecors, Oenei partu edita, rixatur, moles gigantum. Clepse dolo. CAPVT VIII.

MIHI quidem verba Ciceronis 2. Tuscul. inspicienti, & apud me exigenti, ferè venit in mentem existimare ex ijs Ennianum versum integrari suis iustis modulis posse,

Cic. 2. Tusc. statim in principio.

Philosophandum est mi paucis: nam omnino haud placet.

Itaque, vt omnes qui diuinant, aut somnia sibi fingunt, sibi placent in suis ludibrijs: ita mihi quoque vsuuenit, neq; teneri potui quominus, id huic chartæ mandarem, etsi vanissimum fortasse somnium est. Non longè, vnius absentia præpositionis, desiderio sui sententiam malè perdit. sic enim editur. *Magna habere possit auxilia reliquorum philosophorum etiam disciplinis,* vox auxilia absorbuit hausitque, *a,* quod interserẽdum est, vt orationem fulciat vacillãtem. *Refellere* autem *sine pertinatia, & refelli sine iracundia,* ideo defendimus, nec mutari patimur: quod tamen homines magnæ in literis auctoritatis conari videmus, quia & paulò ante dixit, eos, qui certis destinatisque sententijs addicti, & tãquam consecrati sunt, iniquo

Cic. 2. Tusculo.

Cic. 2. Tusculo.

quo animo pati ſolere ſe refelli,cùm cõtra ſe id æquo animo eſſe patienterque laturũ oſtendat:& alij quoq; philoſophi ſuis decretis magnopere confidentes,neque de eis vllo modo dubitantes, pertinaciſſimè aliorum placita oppugnant, & omnibus modis euerſum ire conantur, quod Academici leuius multo minusque obſtinate faciunt, probabilia tantum eis opponentes,quibus tamen nec ipſi multum fidei tribuunt. Eſt autem leue monere legendum eſſe. *In manus ſumit.* &, *commendari lectioni*: cùm hodie *manu* & *lectione edatur*: &, *nec ſi id minus*: *munus* enim peruerſiſſimè edunt multi. In verſibus autem Iambicis, quos è Trachinijs cõuertit, *corpore exanclato* eſt corpore fatigato & ærumnoſo exhauſtoq;, etſi non deſunt,qui *exanclata* malunt,& tolerata & perpetrata explicãt. *Vecors Oenei partu edita*, Deïanira eſt Oenei filia, doloſa & aſtuta,hîc vecors dicitur, cùm δολῶπις à Sophocle vocetur. Partus autem hic etiam viris tribuitur more Græcorum,apud quos etiam τίκτειν de viris vſurpatũ reperitur.nam apud Homerum extat ὃν ἀθάνατος τέκετο Ζεύς. Id etiam obſeruauit Fabius apud tragicos, quorum hîc ſermonem imitatur Tullius: ſic enim ſcribit. *Et apud tragicos,& iam leo pariet, at pater eſt. Moles gigantum eſt* multitudo. nam Græcè ſcribitur τραλὸς. *Nec me occidentem*, lego, non *ne me*. Libenter quoque ſcripſerim,*corpori inflixit meo*: etſi vix *infixit*,ſummouere audeo.

Hæc dextra Lernam tetra mactata excetra,

lego. Nam quòd *terram* alij malunt,improbo: *tetram* etiam non incommodè legi poſſe video. Echidnam vertit hydram Cicero, cùm Higinus ſcribat è Typhone & Echidna,hydram natam fuiſſe: ante hydram appellarat excetram. Addam & huic capiti periclitatam emendationem magno diſcrimine & audaci facinore. *eum dictus Prometheus*

Clepſe dolo pœnáſque Ioui expendiſſe ſupremo.

Fato enim illud,quod interponitur,fatale huius loci malum videtur. Mihi quidem *doctus*, id eſt, aſtutus & ſolers placeret, ſed cum expendiſſe non bene cohæreret.

Sublime auolans,adulat ſanguinem κολακεύω,ϑωπεύω, *adulari, ex quo liquatæ apud Ciceronem.* CAPVT IX.

VERSVS tranſtulit Cicero 2. Tuſcul. è Prometheo Æſchyli, vt reor λυομένῳ, ſanè quàm elegãter & diſertè, vt hominem facundiæ Latinæ vnicum & ſingulare prope exemplum dicebat: nonnuſquam tamen eſt cur in eis hæreas, quòd partim ab interpunctionibus laborant, partim temporis iniuriam ſenſerunt. nam, *—nauem vt horriſono freto*
Noctem pauentes timidi adnectunt nautæ:

Saturnius

Saturnius me ſic infixit Iupiter,
Iouiſque numen Mulcibri adſciuit manus.

vt vna circunductione comprehenſum & vna ſimilitudine comparatum, ſic & interpunctionibus notandum arbitror, ſecus quam in editionibus extat. Quod autem ſcribitur.

Clangorem fundit vaſtum & ſublime aduolans,

in vitio eſt, niſi me tranſuerſum amentia rapit in errorem: puto enim cùm aquilæ aduolatum ante ſcripſerit,auolatum eius nunc narrãdum eſſe. Ergo nulla tot editionum & myſticorum librorum verecundia ductus, veluti perfricta fronte, *ſublime auolans*, legendum eſſe adſeuerabo. Cæterùm, *pinnata cauda noſtrum adulat ſanguinem*, Græciam olet: vt enim κολακεύω,& ϑωπεύω cum accuſationis declinatu Graij iungunt,ſic & Latinè fecit,ſecutus auctorem actium, cuius verſum è Prometheo mutuatus eſt à Nonio prolatum,

Pinnata cauda noſtrum adulat ſanguinem.

Tragici igitur audaciam non eſt veritus emulari. ſed quo tãdem ſenſu hîc adulat dicitur? Et audiui qui adulare per diminutionem pro adorare dictum crederet, & interpretaretur ſanguinem expetit, eique caudæ motu blanditur: non deeſt,qui lambit exponat. Ego tamen aliter interpretor: cùm enim blandimentum caudæ adulatio ſit, & auolans aquila ſoleret tractu caudæ ſanguinolenta Promethei vulnera perſtringere, cruorisque aliquid detergere,eleganter & venuſtè tactum caudæ attingentis,& tanquam palpantis ſanguinem, adulationem eſſe appellatum cenſeo, quod adulari propriè caudæ ſit. In ijſdem verſibus pro palæſtra grammaticos exercet.

Ex quo liquatæ ſolis ardore excidunt
Guttæ,quæ ſaxa aſſidue inſtillant Caucaſi.

mihi aliorum ſententiam, nec reprehendere, nec approbare animus eſt, ſed quid mihi videatur in medium afferre: puto enim dici è Promethei viſceribus laniatis,& ſolis ardore tepefactis,& tabefactis, ſanioſas delabi in Caucaſi cautes guttas: idque eò audacius affirmo, quòd ſciam auctores Græcos ex ea ſanie oriri tradere herbam medicatam,& veneficijs aptam,qua vnctum à Medea Iaſonem flamma taurorũ æripedum nihil fuiſſe læſum, nec ſatis Hydri dentibus terrigenarum ferro violatum: meminit & Seneca in Medea,ita ſcribens,

Quæ fert opertis hyeme perpetua iugis
Sparſus cruore Caucaſus Promethei.

Ex quo,igitur ad Promethei corpus cenſeo referendum, non ad tempus.

Columbus dioneus,ſuauiari oculos,plenus ſacculus aranearum.

CAPVT X. CATVL-

CATVLLVM apppellari doctum ferè ſcimus ab alijs poëtis, credo, quòd literis elegantioribus penitus imbutus erat, & ſuo poëmati aſpergebat multa, imitabaturq; ex antiquis ſumpta aut efficta præſertim Græcis: eorum exemplum vnum & alterum proferam: *Vt albulus columbulus dioneus*, videtur ab Alexide ſumptum, cuius Atheneus refert hũc verſum,

Catull. epigr. 27.
Atheneus lib. 9. dipnoſoph. cap. 16.

Ὁ λευκὸς ἀφροδίτης εἰμὶ γὰρ ϖερεύς.

Nam & columbum potius, quàm columbam, & Albulum & Venerium, vt Alexis dixit, penè verſu ad verbum expreſſo. Alio loco ait, *Iucũdum os oculóſque ſuauiabor*, vbi verſum Homericũ prope conuertit ex Odyſſea ϖ.

Catul. epig. 9.
Homerus odiſſ. ϖ.

κύσσε δέ μιν φαλιώτε᾽ ἐπ᾽ ἄμφω φάεα καλά.

Sic cùm ſcripſit, *Plenus ſacculus eſt aranearum*, imitatum Homerum eſſe cenſeas, qui eodem libro ſcripſit,

—ὀδυσσῆος δέ ϖυ εὐνὴ
κήτει ἐνευναίων καὶ ἀράχνια κεῖται ἔχουσα.

Nam araneis obſidentur & opplentur, quæ inania ſoláque ſunt, vt loculi dicuntur iocosè araneoſi, & cubilia Homerus dixit, vidua & deſerta.

Aduerſaria, ὑπομνήματα. laudare teſtem, exire è poteſtate, natura latrat, immune, natalis Mercurij & ſalutis.

CAPVT XI.

ADVERSARIA quæ M. Tullius nominat, videntur libelli fuiſſe & commentarioli & chartę, quæ homines aduertebãt, & (vt ita dicam) memoralia erant, ne res aliqua eis excideret. eos enim commonefaciebant, & memoriæ ipſorum ſubſidio erant. Demoſthenes videtur appellare ὑπομνήματα, ſic contra Aphobum ſcribens, ἦν εἰς τὰ γράμματα ταῦτα ἐπανελθεῖν, καὶ τὴν ἀλήθειαν πάντων εὑρεῖν. mox ſubijcit, νῦν δὲ ἕτερα μὲν ὑπομνήματα ἐξήσαν, ἐν οἷς πολλὰ τῶν καταλειπομένων ἐκ ἐγέγραπτο ὑπομνήματα δ᾽ ἦν, id eſt aduerſaria erant. Sed hic huius capitis finem non faciemus, multaq; alia præterea miſcebimus, vt in mentem venient. Laudare teſtem, quod eſt nominare, credo ex eo ductum eſſe, quòd quem quis teſtem nominabat, vnà & laudem quoque eius commemorabat, ne indignus cuius audiretur teſtimonium videretur. Id è Fabij declamationibus intelligi poteſt, vbi ſcribitur, *Si ab vniuerſis tamen ad ſingulos vocamur, & tyrannum teſtem dabo: illum quidem neque ego laudo, ſed ipſa vitia, ipſa ſcelera facient huic rei auctoritatem.* M. Tullius inſanos, furioſos, iracundos, exiſſe dicit è poteſtate: hoc loquẽdi genus ex eo natum ſuſpicor, quòd qui furioſi erant, agnatorum & gentilium poteſtati permittebantur, & domini rerum ſuarum eſſe vetabantur. Ita exierant è poteſtate ſua. rationem enim loquendi,

Cic. pro Roſc.
Demoſt. contra Aphobum.
Demoſt. ibid.
Quintil. in declamat. 9.
Cic. de Inuent. & li. 3. Tuſ.

di, quæ poſtea manauit latius, hanc originem, hũc fontem habuiſſe auguror. Nam & filij qui parentum poteſtati ſubiecti erant, tamen quibus in rebus ſuæ ſpõtis & arbitrij erant, ſuæ poteſtatis dicebantur eſſe. Quintilianus, *Filios verò quis dubitauit vnquam eſſe plerumq; ſuæ poteſtatis?* Cicero autem eleganter dicit furioſos exiſſe ex poteſtate dici, quia non ſunt in poteſtate mentis, cui regnum totius animi à natura tributum eſt. *Nil aliud ſibi naturam latrare*, cùm Lucretius ſcribit, vtitur Enniano verbo, quod interprete Feſto, apud Ennium, eſt poſcere: & fortaſſe ille ſit verſus Ennianus, qui citatur à Varrone,

Quintil. in declamationib. 9. declam.
Cic. 2. de Inuẽt. & 3. Tuſ.
Lucret. lib. 2.
Feſt. lib. 10 in litera L
Ennius apud Var. lib. 6. de ling. lat.

—*animus cum pectore latrat.*

vt ſit animus cum pectore poſcit: etſi quiſpiam fortaſſe etiam aliorſum interpretari poſſit. Profecto in Trinummo Plauti legendum eſt: *Immune eſt facinus*, vt elegãter vir huius memoriæ politiſſimus, & doctiſſimus vtriuſque linguæ Ioachimus Camerarius emendauit, cuius ego ſentẽtiam confirmo auctoritate Feſti, qui ita ſcribit, *Immunis vacans munere, aliquoties pro improbo ponitur*, vt apud Plautum, *Immune eſt facinus*. Ita tanti grammatici approbatione ſibi de emendatione ſua meritiſſimo gratulari Ioachimus debet. *Maie Mercurium creaſtis idus.* cùm à Martiale ſcribitur, haud equidem reor eo die ſignificari natũ fuiſſe Mercurium: quanquã eum ſenſum verba præſe ferũt, ſed eo die ei dicatũ templum: templi autem dicatio natalis erat numinis. Id vt credam & Liuius libro ſecundo facit, & Feſtus, cuius verba ſunt, *Maijs idibus mercatorum dies feſtus erat, quòd eo die Mercurij ædes eſſet dedicata*: niſi ſi quis eo die ædem dedicatam conijciat, quo natus fuerat. Cicero quoque prima epiſtola libri quarti ad Atticum, natalem Salutis dicit, quo die Saluti fuerat dicatum templum. Sed ne plures præterea libros hoc capite compilem, ei verbum amplius non addam.

Feſt. lib. 9. in litera I.
Mart. lib. 12. epig. 68.
Liuius lib. 2.
Feſt. lib. 9. in litera I.
Cic. lib. 4. ad Attic. epiſtola 1.

Natura ſolo ſubeſt apud Maronem, loca nullius trita ſolo, & conſiſtere vitam apud Lucretium, inſiſtere viam, è portis occurrere, delibata numina, diuidere cœlum, hiatus, chaſma, præſcripta candida calcis, imber pluuiæ, & grandinis. Nimbus.

CAPVT XII.

CVR ſtirpes ſilueſtres lætæ fortesque proueniant cauſam reddens Maro, ſic canit, *Quippe ſolo natura ſubeſt*: quæ verba quam vim hebeant, vt oraculorum ambages, quæri ſolet. Sed ego (vt ſoleo) prętermiſſis aliorum ſententijs, quid ſentiam eloquar: nunquam enim eorum mihi placuit ſtudium & inſtitutum, qui tempus refutandis aliorum ſententijs te-

Virg. 2. Georg.

runt,& improbè ex aliorũ contumelia laudem venantur. Exiſtimo igitur hîc *ſolùm* radicem eſſe, cuius in ſilueſtribus viuida & animoſa eſt natura, ad eliciendum è terra ſuccum, & concoquendum, totiſque plantæ diſpenſandum: radicem autem hîc *ſolum* dici puto,vt plantam & pedem arboris: nam apud Lucretium,

Lucret.lib.4. *Auia Pieridum peragro loca,nullius ante*
Trita ſolo.

valet nullius pede calcata. Et quia hanc tanquam telam Lucretius Maronem interpretans,exorſus eſt,is eam pertexat.Igitur libro 6.ſcribit,

Lucret.lib.6. *Et per quæ poſſent vitam conſiſtere tutam,*

vbi conſiſtere à veteri ſcriptore nouè vſurpatum eſt pro conſtituere & reddere, vt & Comicus —*Quam inſiſtam viam?* pro quam inſtituam viam, ſcribit. Et Liuius, *ſubſiſtere feras* pro excipere & ſuſtinere. Conſiſtere igitur dixit,vt ſi Græcè κατασῆσαι dixiſſet.Idem eodem libro ſcribit,

Terent. Phormioact.1.sc.4. Liu.lib.1.ab vrbe cond. Lucret.lib.6. *Et quibus è portis occurri cuique deceret,*

Quod exprimit prouerbium Græcũ ab Ariſtotele poſitum libro quarto.

Ariſtot.lib.4. phyſic. Ακριβέστερος φυσικῆς: ἔστι μὲν γὰρ ἡ τῆς θύρας πρὸς τὸ πρόβλημα ἀπαντῶσα: niſi quod Ariſtoteles id de foribus domorum dixit,Lucretius,de portis vrbium aut caſtrorum, quibus in hoſtem eruptio fit & ei occurritur. Epicurei ad ſtabiliendam ſuam impietatem firmamdamque, imprimis hoc ponebant nihil admirandum eſſe. Lucretius.

Lucret. lib.6. *Si tamen interea mirantur qua ratione*
Quæque geri poſſunt,præſertim rebus in illis,
Quæ ſupra caput ætheriis cernuntur in oris. Et Horatius.

Horat.li.1.epi.6. *Nil admirari propè res eſt vna Numici,*
Soláque,quæ poſſit facere & ſeruare beatum.

Lucret.lib.6. *Delibata deum per te tibi numina ſancta*
Sæpe aderunt.

id eſt,contaminata,diminuta,violata, non ea integritate, qua ſunt & placida pace: vt in Rhetoricis ad Herennium, *Ille nulla voce delibans inſitam virtutem.*

Auctor ad Heren.lib.4. Lucret.lib.6. *Nec de corpore quæ ſancto ſimulachra feruntur*
In mentes hominum diuinæ nuntia formæ
Suſcipere hæc animi tranquilla pace valebis.

imagines ex dijs effluere, quæ mentem noſtram laceſſant, & notitiam Dei afferant Lucretius dicit: Cicero eas ad deos affluere, in quas mentem noſtram intentam deorum intelligentiam capere,vt Velleius Epicureus apud eum diſſerit.

Cic.1.de nat.deor. & 1.de Finibus bon. & malorum. Lucret.lib.6. *Ne trepides cœli diuiſis partibus amens.*

Cœlum peruolitantes fulgetræ diuidere videntur, & fulmina, de quibus id

id Lucretius canit: etiã hiatus,quod chaſma dicitur,vt apud Maronem, Virg.lib.9. Aeneid.

—Vnde hæc tam clara repentè
Tempeſtas? video medium diſcedere cœlum
Pallantéſque pollo ſtellas.
Tu mihi ſupremæ præſcripta ad candida callis
Currenti,ſpatium præmonſtra callida muſa. Lucret. lib. 6.

Putem potius *calcis* legi debere, vt à M.Tullio ſcriptum eſt, *Nunc video calcem,ad quem cùm peruentum ſit:* Ex eo autem ſic curriculi finis vocatus eſt, quòd creta, aut etiam calce notaretur: quod & Lucretius indicauit, cùm *præſcripta candida* dixit, intelligens præſcriptum velut cretatum finem.Seneca in Epiſtolis, *deinde tranſit ad ea, quæ conſuetudo ſeculi mutauit, tanquam quod ait Cicero, Quoniam ſumus ab ipſa calce eius interpellatione reuocati: hanc, quam nunc in circo cretam vocamus,antiqui calcem dicebant.* Imber,pluuiæ eſt aut grandinis lapſus & agmen, vnde imber pluuiæ & imber grandinis dicitur: Lucretius, Cic.1.Tuſcul. Seneca lib.19. epiſtola 109.

Nec cohibere niues gelidas,nec grandinis imbres. Lucret.lib.6.

Cicero, *vt aqua pluuia vltimo genere ea eſt,quæ de cœlo veniens creſcit imbri.* Nimbus etiam ferè tale quiddam dicitur. Liuius, *ſubito coorta tempeſtas cum magno fragore tonitribúſque tam denſo regem operuit nimbo.* cic in topicis. Liu.lib.40.

Farris libra,foſſatum,camelatia,ſagariam & ſaccariam facere,curioſus, glandem legere,optio fabricæ,optio carceris,manceps carceris,prærogare,inſtituere vineam. CAPVT XIII.

VETERES frumentum non ſolum metiri,ſed & appendere ſolebant, quod nunc quoque in panificio obſeruamus. hinc illud Horatianum. Horat.lib.1.ſat.5.

Cui ſatis vnà
Farris libra foret,tenui ſic támque puſillo.

Et Liuius, *Frumentarium diuitem bilibri farris ſperaſſe libertatem ſe ſuorum ciuium emiſſe.* Iterum, *ſelibríſne farris gratiam ſeruatori relaturum.* In lege xij. tabul. *Si volet ſuo viuito,ni viuit, qui eum vinctum habebit, libram farris in dies dato,* Farris autem nomine etiam farina intelligitur. Itaque apud Iuriſconſultum legendum cenſeo, *frumentúmue publicè dandum, præbendum, appendendum,* non vt vulgò *apprehendendum,* aut vt quidam emendant, *approbandum:* quibus nec aſſentior illud Iuriſconſulti mutantibus, *aut qui à foſſato recedit:* nam foſſatum recentiores ſcriptores vocauerũt caſtra, quia foſſa cingi ſolebant: Capitolinus in Gordianis, *Caſtra omnia foſſato circuibat.* Quin & apud Suidam hoc vocabulum reperitur, & apud Leonem Imperatorẽ. Crediderim verò in titulo de muneribus, pro camelaſia camelariam

Liu.lib.4.ab vrb.cond. Gell.lib.2. cap.1. L.7.§.1.ff. ad legem Iul. repetund. L. deſertorem §.is qui in exploratione ff. de re milit. Capitolinus in Gordianis. Suidas. Leo Imperat.

melariam non iniusta circunscriptione locum sibi vendicare posse. Cur enim non vt sagaria, & saccaria dicitur, substantiuis, vt sagariam facere, facere saccariam, vocabulis, & camelaria dici possit? Qui autē in Codice Iustiniani curiosi vocantur, eorum, vt apud Suidam refertur, in vita Diui Ioannis Chrysostomi erat mentio his verbis, ἐλκόμενος ὑπὸ τῶν κυριόντων τῆς πόλεως ἐν μέσῃ τῇ πόλει. Iurisconsultis glandis appellatione omnis fructus significari videtur, in xij. tabul. non assentiente Plinio, cuius ideo verba adscribam, vt quantum interfit inter consultorum interpretationem, & viri doctissimi explicationem intelligatur: *Cautum est*, inquit, *præterea duodecim tab. vt glandem in alienum fundum procidentem liceret colligere*. ac mehercule crediderim veram esse & sinceram Plinij interpretationem: sed prudentissimos iuris intelligentiam longius, & significationem porrexisse, vt iuris eadē valeret auctoritas in omnibus fructibus, cùm de glande tamen disertè tantùm lex cauisset. Optio fabricæ apud eosdem esse videtur, qui Imperatoriæ fabricæ, à qua fabricenses vocantur, aut fabricis legionum scutarijs & loricarijs custos præest, vt & custos carceris à Prudentio manceps carceris, & à Diuo Ambrosio, optio carceris appellatur: sic enim scribit, *neque Paulus, & Silas tempus distulerunt, quo optionem carceris baptizarent cum omnibus eius*. Prærogauit apud Iurisconsultum est prærogauit, vt in illo loco, *qui pensionem integram prærogauit*. In ijsdem Iurisconsultis instituere, est vel arbores, vel vineas in aliquo loco ponere, vt illo in loco, *In conducto fundo si conductor sua opera aliquid necessario, vel vtiliter auxerit, vel ædificarit, vel instituerit*. Iterum, *Colonus cum lege locationis non esset comprehensum, vt vineas poneret: nihilominus vineas instituit*. Cicero in Rullum, *vtrum hæc lex est, an tabula Neratianæ auctionis? in qua scriptum fuisse aiunt, Iugera. CL. in quibus oliuetum fieri potest: Iugera. CCC. vbi institui vineæ possunt*.

L. 1. & l. Munerum ff. de munerib. & honor.
In Codic. Iustiniani lib 12. tit. 23. de Curiosis.
Suid. in vita D. Io. Chryso.
L. vnic. ff. de gland. leg.
Plin lib 16. ca. 5.
L. vnic. ff. de gland leg.
L. vlt. ff. de Iure immunitatis.
Prudentius περὶ στεφάνων.
Diuus Ambro.
L. sed. addes. §. si quis cum. ff. locat. & conduct.
L. Domin°. §. in conducto ff. locat & conduct.
L. Colon. ff. eod.
Cic. 2. in Rull.

Virgatis lucent sagulis apud Maronem, virgatæ vestes, ducere sacra, sacra ferre, vigilem ignem sacrare apud Maronem, studio anili celerare. CAPVT XIIII.

SOLET interdum in literis nimia diligentia grammaticos in errorem auferre, vt in illo Maronis versu,

Virg. 8. æneid.

Virgatis lucent sagulis, tum lactea colla.

virgata sagula non acquiescunt grammatici, vt ea tantùm intelligamus quæ discoloribus tanquam currentibus regulis colorum & ductibus, varia cernuntur: etiam aiunt ad Gallorum respectum esse linguam, quibus virga purpuram significat, vt virgata sint purpurea. Ego intellectu simplici &

ci & Latino, virgatum ῥαβδωτὸν significare puto, quòd virgas quasdam in longum aut latum varia serie, & colore porrectas habet, vt in concharum genere sunt virgulatæ, id est ῥαβδωταὶ. Valerius certè Flaccus Thracum mulieribus virgatas vestes tribuēs, purpureas non intellexit, sed barbarorum ritu discolores, & veluti virgatis segmentis contextas: eius sunt versus,

Iam veniet durata gelu, sed me quoque pulsam
Fama viro: nostrósque thoros virgata tenebit.

Valerius Flac. lib. 1. Argon.

Nos & aliud Maronis doctissimi poëtæ explicemus.

castæ ducebant sacra per vrbem,
Pilentis matres in mollibus.

Virg. lib. 8. æneid.

ducere sacra, & ferre sacra dicuntur, qui res sacras, & quæ ad sacrum vtilia sunt, remque diuinam ferunt. Sic & apud Ciceronem in Verrem, *quæ manibus sublatis sacra quædam more Athenienſium virginum reposita in capitibus sustinebant canephoræ ipsæ vocantur*: nam canephoræ canistra ferebant, in quibus ea erant posita, quæ ad quinquatria, aut cerialia pertinebant. Horatius, *—vt Attica virgo*

Cic. 6 in Verr.

Cum sacris Cereris, procedit fuscus hydaspes. Idem,
—Sæpe velut qui Iunonis sacra ferret.

Horat. lib. 1. sat. 9. Horat. lib. 1. sat 3.

Varro de sacra via. *qua sacra quot mensibus feruntur in arcem*. Ferunt & sacra sacerdotes, id est res sacras, aut sacris vtiles & dijs consecratas dedicatáque, dijsque sacrificant. Maro.

Varr. lib 4. de ling. Latin. Virg. 2. Georg.

Me verò dulces primum ante omnia Musæ,
Quarum sacra fero ingenti percussus amore.

Matronæ autem honestæ apud Romanos in publicis sacris vehiculis vehebantur, in quibus sacra ferebant: quò respexit Maro. Liuius de lege Oppia, *neu iuncto vehiculo in vrbe oppidóue aut propius inde mille passus, nisi sacrorum publicorum causa veheretur*. Liuius iterum, *honorémque ob eam munificentiam ferunt matronis habitum, vt pilento ad sacra, ludósque carpentis, festo & profesto vterentur*. Ne illud quidem tacitum prætermittendum est.

Liu. lib. 34. Liuius lib. 5.

Centum aras posuit vigilémque sacrauerat ignem.

Virg. 4. Aeneid.

vt enim in prytaneis Græciæ peruigil erat æternusque ignis: sic & in templo Iouis Ammonis, vel Plutarcho teste, qui in libro de defectu oraculorum sic scribit, νεωστὶ δὲ γεγονὸς παρ' ἄμμωνα, τὰ μὲν ἄλλα τῶν ἐκεῖ δῆλος ὢν μὴ φεύγοντα. τὸν δὲ τῆς λύχνης τῆς ἀσβέστου διηγεῖτο λόγον ἄξιον ἀπόδοσης. Non est igitur illud à poëta ex illa poëticorum figmentorum & mendaciorum licentia & impunitate excogitatum, sed ex fide historiæ commemoratum. Etiam illud quod non ita obscurum prima specie videri potest, tamen interiorem sensum occulit, declaremus.

Plutar. de defect. oracul.

Sic ait, illa gradum studio celerabat anili.

Virg. 4. Aeneid.

videtur enim dicere, illa vt anuum ſedulitas eſt properabat: vide tamen ne ſignificet eius ſtudium ſine effectu fuiſſe, cùm ſtuderet properare, ſed anile ſtudium eſſet, neque voto ſuccederet conatus: ac ne me in alienis venditem, hunc ſenſum Donatus in Terentium audit in verſu Virgiliano: ſic enim ait in hunc Eunuchi locum, *Video, ſed nihil promoues, hinc eſt illud Virgilianum,* *Illa gradum celerans ſtudio properabat anili.* *ſcilicet non re celerabat, ſed ſtudio.*

Donat. in Terent. Eunuch. act. 5. sc. 3.

Naturæ deus, patinarij piſces, ſi vos & liberi valetis, colocynthæ ſeſoſtres. CAPVT XV.

OBSERVASSE videor ab antiquis illis ſcriptoribus, naturæ deum appellari, non eum qui vniuerſæ naturæ ac ſummæ rerum adminiſtrationem curamq́ gerit, quíque cœlo, mari, terræ præeſt: ſed qui naturam hominis cuiuſque, aut hominum regit, fouet, tuetur, curat, ſanat: éſtque quidam hominis genius. extat in Bacchid. prologus non ille quidem à Plauto ſcriptus, qui tamen antiquitatem olet, in quo genialis deus Silenus, naturæ deus dicitur: ſic enim ſcribitur,

Plaut. Bacchid. Prolog.

Naturæ deus ſum, Bromij altor maxumi.

& apud M. Actium in Menęchmis,

Plau. Menæchmis sc. Bene obſonaui.

Nunc ipſi naturæ deo mihi reſponde adoleſcens.

Expreſſius Horatius,

Horat. li. 2. ep. 2.

Scit genius natale comes qui temperat aſtrum,
Naturæ deus humanæ, mortalis in vnum
Quódque caput.

Plaut. Asinaria sc. vltim istorum quodque

Piſcis patinarius qui ſit apud eundem Plautum in quæſtionem vocatur: ego eum puto, qui non aſſatur, nec elixatur, ſed in patina è iure coquitur: id ex Horatio intelligi poteſt, ita ſcribente,

Horat. lib. 1. ſat. 3.

Si quis eum ſeruum, patinam qui tollere iuſſus
Semeſos piſces tepidúmque ligurierit ius.

Nam ſi malè non conijcio, piſces patinarios è iure paratos intellexit. Sed à cœna ad bella, & imperia tranſibimus. Quicquid enim in buccam venit, effutimus. Imperatores qui præerant exercitui in prouincijs, réſque gerebant, cùm ad ſenatum ſcribebant, aut Magiſtratus, præſcribere literis ſolebant, Si vos liberíque veſtri valetis, bene eſt, ego exercitusq́ valemus: quod in epiſtolis Ciceronis ſæpe legimus. Eam conſuetudinem ſic annotat, & obſeruat in hiſtoria Dio, διὸ καὶ ὁ Ἀδριανὸς γράφων πρὸς τὴν βουλὴν οὐκ ἐχρήσατο τῷ προοιμίῳ τῷ Συνήθει τοῖς αὐτοκράτορσιν, ὅτι εἰ αὐτοί γε καὶ οἱ παῖδες ὑμῶν ὑγιαίνετε, εὖ ἂν ἔχοι, ἐγὼ καὶ τὰ στρατεύματα ὑγιαίνομεν. Hæc quæ Ciceronem

cic. multis locis epiſt. fam. & ad Attic. nonnũquam. Dio in Adr.

nem illuſtrãt, etſi Tellenis nugis leuiora, tamẽ quòd prodeſſe alicui poſſunt, non indigna putaui, quæ in hac collocarentur charta. In Aelio autem Spartiano referuntur libri Adriani imperatoris obſcuriſſimi, nomine Catacriani, vel vt in veteribus libris reperiri annotarunt diligentiſſimi librarij catacannas: quorum ego librorum, cùm informare nulla coniectura appellationem potuerim, & eam inſcriptionem vtrobiq; velut vermiculoſam & teredinoſam, vt ita loquar, ſuſpicer, adducor Dionis auctoritate, vt colocynthas ſcribendum putem. nam eo nomine ſcriptum ab Adriano librum ſcribit. εἶπε τῷ Ἀδριανῷ συγκληρήσαντι, ἄπελθε καὶ τὰς κολοκύνθας γράφε. ἐτύγχανε δὲ ἄρα τότε ἐκεῖνος ποιήτῃ τινὶ γράμματι στεμυγόμενος. diu etiam multumq́; quæſiui, apud quem veterum ſcriptorum Vexoris regis Aegypti à Trogo nominati, mentio fieret: ſed cùm apud omnes ſilẽtium eſſet maximum, & Areopagiticum, vel Pythagorica quædam taciturnitas, nomen ſuſpectum habere cœpi, & cùm res, quas ab eo geſtas Trogus commemorat, eas eſſe Seſoſtris apud Herodotum reperiam, pro Vexore Seſoſtrem legendum contenderim. coniecturam confirmat vetus ſcriptura *Suexones*, quæ ad Seſoſtrem propius accedit.

Spartianus in Adriano.

Dio in Adr.

Iuſtin. lib. 1.

Herodot. li. 2.

In Horatio, aurei currus, currus triumphalis, punicum ſagum.

CAPVT XVI.

AVREI in Horatio currus leuiter audiuntur, auréſque penè noſtras præteruehuntur aliud agentibus, nec attendimus tales triumphantium Auguſtorum fuiſſe currus: Sic autem ſcribit in Epodis,

Horat Epod. od. 9.

Io triumphe, tu moraris aureos
Currus & intactas boues.

Mihi nolo credi, ſed Philoſtrato in Dionis vita, quod dixi, tradenti hunc in modum, Τραϊανὸς γοῦν αὐτοκράτωρ ἀναθέμενος αὐτὸν ὅτι τῆς ῥώμης ἐς τὸ ξυσιὼν ἅμαξαν, ἐφ' ἧς οἱ βασιλεῖς τὰς ἐκ τῶν πολέμων πομπὰς πομπεύουσιν, ἔλεγε θαμὰ ὑπορρεφόμενος πρὸς τὸν δίφρον. Etſi autem certa quædam erat triũphalis currus forma, tamen ea imperatori ornatior & pretioſior, quàm alijs ducibus parabatur: forma autem eius neque bellico currui, quo Heroicis temporibus Troiani & Thebani belli, homines vſi ſunt, vt barbari Britanni & Belgæ Couino: neque currui circenſi, quo Romæ ludis equeſtribus quadrigarij vtebantur & agitatores Olympiæ, ſed rotundæ turri aſſimilis erat, vt Zonaras ſcribit, cuius & verba adpoſui, Τὸ δὲ δὴ ἅρμα οὔτε ἀγωνιστηρίῳ ὅτε πολεμιστηρίῳ ἐμφερὲς, ἀλλ' εἰς πύργου πρόσοψιν ἐξείργασο. Illud eiuſdem odes etiam illuſtrandum eſt,

Thilostrat. in Dionis vita.

Zonaras.

Horat. epod. od. 9.

Terra marique victus hoſtis punico

Lugubre mutauit ſagum

Nam apud Romanos qui exercitibus præerant, coccinis vtebantur ſagis militiæ, vt & Lacedæmonij omnes militantes ſagulis rubris: φοινικίδας Græci vocant, partim, vt inquiunt Grammatici Græci, quòd color ille inſignis viros præcipuè decere videatur, partim quòd ſanguineus ille color conſuefaciebat fuſum cruorem contemnere: nec deſunt qui ea veſte Lacedæmonios tradant vti ſolitos eſſe, ne hoſtis ſi quem ſauciaſſet, ſanguinem eius videret, colore ſanguinem manantem ſuffurante. Quin & militaris habebatur chlamys Phœnicis, vt apud Ariſtophanis interpretem ſcribitur, φοινικὶς, χλαμὺς πολεμική. Sed quod de Romanorum ducum veſte diximus, auctoritate confirmemus. Plutarchus in Bruto ita ſcribit, τὸν δὲ Βροῦτον ὁ ἀντώνιος ἀνευρὼν τεθνηκότα, τὸ μὲν σῶμα τῇ πολυτελεστάτῃ τῶν ἑαυτοῦ φοινικίδων περιβαλεῖν ἐκέλευσεν. ὕστερον δὲ πλὴν φοινικίδα κεκλεμμένην αὐθόμβρος, ἀπέκλεινε τὸν ὑφελόμβρον. Ideo enim Imperatoris Bruti iacẽtis corpus induit ſago punico, quod & honorificum & imperatorium putaret veſtimẽtum. Quod autem Horatius feciſſe fugientem victumque canit Antonium, punico ſago lugubre mutaſſe, Plutarchus quoque victum fugientemque Pompeium ex acie pharſalica ſcribit feciſſe, poſuiſſeque imperatoriam veſtem & imperij inſignia.

Ariſtoph. Interpres.

Plutarchus in Bruto.

Horat. 6 pod. od. 9.

Plutarch. in Pompeio.

In Cicerone, ea res agitur, anapeſtum, Iambus, caput cœnæ.

CAPVT XVII.

Qvae nos malà mens impellit, vt antiquitatis elegantia imbutum dicendi genus in libris ferre non poſſimus, & quod in mẽtem venit in chartis hærere malimus? Qua quidem in re ſic interdum ementimur ſcripturam, vt nemo prope deprehẽdere mendacium fucumque poſſit. ita quod corruptum eſt ſinceri verique germanitatem imitatur. vt initio libri ſecundi de Finibus ſic euulgatum eſt. *Omnis autem in quærendo, quæ via quadam & ratione habetur oratio, præſcribere primum debet, vt quibuſdam in formulis ea res agatur, vt inter quos diſſeritur, conueniat quid ſit id de quo diſſeratur.* Quis hîc vllum hærere vitium ſuſpicetur? at vt in ſanctioribus & iurationibus libris ſcriptum eſt, multò & incorruptius & ſincerius eſſe audacter affirmauerim, hunc in modum: *præſcribere primum debet vt in quibuſdam formulis: ea res agitur.* nam iudicibus à Prætore cùm dabantur formulæ iudiciales, interdum præponebatur quod eos admoneret quid quæreretur, & qua de re ageretur, vt quid in iudicando ſequi deberent non ignorarent, nec ab eo aberrarent. Idque formulæ etiam pro titulo præſcribebatur, & ei formula, de qua iudicarent, ſubſcribebatur, aut primo

Cic. lib. 2. de Finibus bon. & malorum.

mo in verſu formulæ notabatur. Cenſeo etiam legendum in illo anapeſtico verſu eiuſdem libri. *Cic. lib. 2. de Finibus bon. & malorum.*

Omnes Danai atque Mycenenſes attica pubes,

Aut, enim ſi ſcribatur, vacillabit numerus. Anapeſtum autem, cùm ſcribit, *Reliquique Græci, qui hoc anapeſto citantur*, appellat carmen ſcriptum anapeſticis verſibus, vt in tertia Tuſculana, *nec ſiletur illud potentiſſimi regis anapeſtum, qui laudat ſenem & fortunatum eſſe dicit*. Sic & iambus in epiſtolis ad Atticum eſt ecloga, aut carmen iambicis verſibus compoſitum: *Ariſtophani*, inquit, *optimus iambus Archilochi videtur qui longiſſimus*. Sed & partem parabaſeos Ariſtophanes anapeſtos vocat verſibus anapeſtis modulatam. Caput autem cœnæ cùm ſcribit. *Sed cedo caput cœnæ*, eſt præcipuus miſſus præcipuumque ferculum cœnæ: hîc ſermo bonus & lepidus, quo conuiuæ melius & iucundius quàm epulis paſcuntur & fruuntur, caput cœnæ dicitur. Idem genus loquendi eſt in quinta Tuſculana. *Vbi quum Tyrannus cœnauiſſet Dionyſius, negauit ſe iure illo nigro, quod cœnæ caput erat, delectatum.*

Cic. lib. 2. de Finib. bon. & mal.

Cic. 3. Tuſcul.

Cic. ad Attic. lib. 16. epiſtol.

Nonis accepi à te.

Ariſtoph. Nebulis.

Cic. 2. de Fini. bon. & mal.

Cic. 5. Tuſcul.

Peccare ſupernè apud Horatium, neruis alienis mobile lignum,
νευροσπαστὸν ξύλον, *teres atque rotundus.*

CAPVT XVIII.

In varios trahitur ſenſus ab hominibus eruditis quod ab Horatio ſcribitur, *Non habitu mutátue loco, peccátue ſupernè.* Nam illud peccare ſupernè in varias deducitur interpretationes: quæ fortaſſe & vna creſcent, ſi quis noſtram fortè aliquo in numero habere dignabitur. hîc ergo peccare ſupernè dicitur, qui quòd inſignis aut nobilis aut dignitate præditus eſt, in ſublimi eminet, vt proinde eius flagitia nullo modo latere poſſint, cùm in ſpecula quadam conſtitutus alta & ardua, vt è ſuperiore loco, ita ex ea peccet, vt eius probra omnibus pateãt. Nam de eo loquitur, qui proiectis inſignibus & annulo equeſtri & toga, è iudice ſelecto, dum libidini laceruatus ſeruit, ſe abijcit infra libertinos damas. mulieris autem vt vulgaris aut libertinæ aut plebeiæ & vilis, minus notum eſt & peruulgatum opprobrium. In eodem ſermone verbum Græcum elegantiſſima circuitione expreſſum animaduertiſſe videor, *Duceris vt neruis alienis mobile lignum.* Id enim Græci dicũt νευροσπαστεῖσθαι. Vt, inquit, fidiculis neuroſpaſta mouentur, ſic tua libidine, vt neruia aut fidicula traheris. Verbũ autem illud Græcum in ea re frequenter vſurpabatur à philoſophis, præſertim Stoicis. Antoninus Imperator de vita ſua, ὅτι κρεῖττόν τι ᾖ δαιμονιώτερον ἔχειν ἐν σαυτῷ τῶν τὰ πάθη ποιούντων, καὶ κατάπαιξ τῶν νευροσπαστῶν.

Horat. lib. 2. ſat. 7.

Horat. lib. 2. ſat. 7.

Ant. Imper. de vita ſua.

Simplicius in Epictetum. νευροσπαστοῦντων σε. & Simplicius in Epictetū, ὅταν μὴ ἑαυτὸν ἐκδῷ τοῖς σώμασι, καὶ τοῖς ἀλόγοις καὶ τοῖς σωματικοῖς κινήμασι, καὶ αὐλὴ νευροσπασεῖται καὶ ὠθεῖται. Quid

Horat. lib. 2. sat. 7. quod, *In se totus teres atque rotundus*, est totus in se conuersus & ex se pendens, non è fortuna, nec foras spectans & vergens? Nam figura rotunda in se tota collecta est, nihilque in ea angulis eminet, quod fortunæ & iniuriæ sit obnoxium, & in quo quicquam externum hærere possit, in læui & conglobata conuexitate. quiddam autem tale etiam per parodiam ex

Anto. Imper. In vita sua. Empedocle scripsit Antoninus ποιήσεις τε σαυτὸν ὅιος ὁ ἐμπεδόκλειος σφαῖρος, κυκλοτερὴς δίνῃ φερέϊηγεϊ γαίων. Hoc quidem, etsi ex adytis non fuit & penetralibus eruendum, tamen vel vt nostram de eo aperiremus sententiam, vel vt hoc caput extenderemus, curtum futurum, adscripsimus: quod si cui non placet, vel è suo codice deleat, vel in nos iram erumpat, qui aliorum incommodo & malo verbosi sumus, dum capita producere malumus, quàm tempestiuè tacere.

Ex Horatio, aut erit, aut non, ante larem gustare, Quinte puta aut Publi, prænomine & cognomine salutare, Pingui tentus omaso, apud Horat. CAPVT XIX.

O *Laertiade quicquid dicam, aut erit aut non,*

Horat. lib. 2. saty. 5. Ita apud Horatium vulgo accipi video, quasi vates illudantur: Sed, nisi fallor, stultissimus esset Tiresias, si vltro sibi fidem detraheret. Potius opiner eum dicere, se non esse alijs vatibus similem, qui diuinorum nomen ementiuntur, hominesque fallunt: idcircoque ambagibus, ne in mendacio deprehendantur, sua responsa inuoluunt, & draconem nescio quem vel aquilam ænigmate inexplicabili loquuntur, nec res suis appellant nominibus: quod se contra facturum Tiresias pollicetur, seque sine figura & anfractu locuturum, id quod erit aut non erit, cùm & sibi ab Apolline diuinandi ars data sit, quæ vulgaribus istis non sit tributa vatibus. Proinde apertè & sine vlla figura captatoris Nasicæ & Corani nomen elocutus est: nec Nasica aut Coranus aliud quidquam, quàm quod recto nudoque sermone sonant, significant. In eodem sermone,

Horat. eod. lib. 2. & sat. *Ante larem gustet venerabilior lare dines,*

ex antiquorum pietate superstitiosa dictum est, qui vt de cœna lari libare solebant, ita & fructuum primitias ei sacrabant libabantque. *Quinte puta*

Horat. lib. 2 saty. 5. Cic. in epist. Polybius. Persius sat. 5. *aut Publi*: quod Horatius ait, expressit mores Romanorum, qui cùm aliquem honorificè, vt liberum aut ingenuum appellabant, prænomine salutabant. Nam salutare cognomine familiaris erat, vt apud Ciceronem Cæsar *Pulchro*: & Polybius in historia semper superiorem Africanum honoris

noris credo gratia, Publium appellat, & apud Persium scribitur falsè & venustè. *Marco spondente, recusas*, &, *—has signa Marce tabellas*, Persius sat. 5. &, *Ingentes trepidare Titos*: & quasi dignitas ingenuorum in prænomine Persius sat. 1. tota posita sit, quo serui carebant, scribit idem, Persius sat. 5.

Verterit hunc dominus, momento temporis exie
Marcus Dama.

Potest tamen & in eo interdum quiddam familiaritatis latere. At verò, *—Seu pingui tentus omaso*, ad contemptum dicitur de eo, qui obsonijs se saturat vilibus, vt alio loco, *—Tabulas cœnabat saty. 5. omasi.* Qui autem è Romanis testamenta faciebant, tabulas, his quos vel Horat. lib. 1. epist. 1. legato vel parte hæreditatis prosequebantur, interdum ostendebant, vt postea obsignatas reponerent, nec nisi ipsis mortuis aperirentur: quibus autem ostendebantur, inspicere abnuebant & recusabant, ne heredipetæ & captatores viderentur. Horatius tamen monet oculis limis primæ cere Horat. lib. 2. secundum versum saltem percurrat captator, ne illudatur vana spe. nam sat. 5. qui testantur & vltro inspectandas offerunt tabulas, cùm putent negaturum, recusaturumque inspicere verecūdè captatorem, cui simulant se aliquid reliquisse, vana spe lactant, nihilque interdum relinquunt: quod deprehensum in Nasica est, cui impudenter captanti tabulas testamenti sui Coranus gener ostendit, legereque sæpius renuentem, tandem coëgit: qui intellexit nil sibi legatum, sed frustra sibi euenisse captatorias artes. Ne igitur qui in testamento aliquid sibi relictum credit fallatur, vt Nasica, obliquo oculo celeriter rapiat quid scriptum sit in prima cera, ne ludibrio habeatur.

Auctorati, auctoramentum, auctorare, apud Horatium auctoratus eas,
Gladiatoria lex & cautio, gladiatorium sacramentum.
CAPVT XX.

In apocolocynthosi à Seneca luditur, *& proximo munere inter nouos* Senec. de mor. te Claud. Cæs. *auctoratos ferulis vapulare placet*. In quo ambigitur à nostris literatis, qui sint auctorati quòd si in eorum tanquam senatulo dicendæ sententiæ mihi ius est, eos existimo qui suam ad gladium operam mercede locarant, & qui se ludo gladiatorio ad depugnandum mercede addixerant: quòd & à veteribus grammaticis in Horatium scriptum esse recordor, vt Helenio Acrone & Porphyrione, qui tradunt eos, qui se vendunt ludo auctoratos appellari, quæ quidem significatio bellissimè conuenit Senecæ loco. Nam & auctoramentum merces est, vt apud Paterculum, *In ea iugulati* Paterc. posteriore volum. *ciuis Reip. constitueretur auctoramentum*. Id est cōstitueretur merces, & præmium ei, qui proscriptum trucidaret. Iterum *auctoramentóque funebri ad*

Horat. interp. in sat. 7. lib. 2. Paterc. ibid.

conserua-

conſeruatoris quondam Reip. tantíque Coſ. irritando necem. Hìc auctoramentum funebre propoſitum præmium funeſtum ſignificat ei, qui Ciceronem iugularet: & auctorare pro præmium mercedemque ſibi quærere idem vſurpauit, vt de Perpẽna Sertorij interfectore: *Romaniſq; certam victoriam, partibus ſuis excidium, ſibi turpiſsimam mortem peſsimo auctorauit facinore.* Id eſt, mortem veluti mercedem ſibi quæſiuit & arceſſiuit vt debitam. Auctorati quoque dicuntur milites & exauctorati, illi ſacramento militiæ, & ſtipendio obligati, hi tanquam ære diruti & ſacramento ſoluti. quin & auctoramentum etiam in artibus mercenarijs & opificijs obligatio quædam eſt interpoſita mercede contracta. inquit enim Tullius, *Merces ipſa in mercenarijs auctoramentum eſt ſeruitutis.* His ita explanatis, quod in Horatio ſalebroſum eſt, & interpunctionibus librariorum tenebroſum, æquatum ad planitiem reddetur, & diſtinctione commoda internotatum lucem accipiet. Nam ſic vulgo diſtinguntur.

Patercul. ibid.

Cic. lib. 1. de offic.

Horat. lib. 2. ſatyr. 7.

Quid refert vri virgis ferróque necari?
Auctoratus eas, an turpi clauſus in arca,
Quo te demiſit peccati conſcia herilis.
Contractum genibus tangas caput?

Ego ſic interpuncta collocanda contendo, *quid refert vri virgis ferróque necari auctoratus eas?* Hoc ſenſu, quid refert vtrum te ludo gladiatorio obligaris & vendideris hac lege, vt ius ſit te virgis cædere & ferro interficere? Conſtrui enim ſic debet, *auctoratus eas vri.* Etiam grammatici veteres poſt *vri* diſtinxiſſe videntur, & coniunxiſſe duo ſequentia, *Virgis ferróque necari.* Legem enim Gladiatoriam & cautionem fuiſſe referunt, vt vrerentur, virgis ſecarentur, ferro necarentur. Hunc Horatij locum adſcripſi, vt ſenſum elegantem incuria ſcripturæ conturbatum atque confuſum digererem atque ordinarem. Concipitur & apud Petronium iuriſiurandi formula, huic, quam grammatici narrant, perſimilis, & ad Horatianam legem compoſita, quæ & gladiatorium ſacramentum quale fuerit oſtendit. *In verba Eumolpi ſacramentum iurauimus vri, vinciri, verberari ferróque necari, & quicquid aliud Eumolpus iuſsiſſet, tanquam legitimi gladiatores domino corpora animóſque religioſiſsimè addicimus.* Scribendum tamen potius in Petronio videtur *virgis ferróque necari.* Hæc ego è Petronio Memmij V.C, deſcripſi, quem domi ſub ſera & clauſtro habet, ne quem foris obſcænus & laſciuus ſcriptor impura ſua petulantia contaminet.

Petron. arbit.

Apud Maronem, Triton exterret freta, Xanthum reddere & Simoenta, Mantua dives avis, dixerat ille aliquid magnum, reducta haſta

CAPVT XXI.

POETICAM

POETICAM ſæpenumero credidi, vt Grammatici loquuntur, eſſe Phantaſiam, cùm à Marone cantatur,

Hunc vehit immanis Triton, & cærula concha Virg. 10. æneid.
Exterrens freta.

Senſum enim mari rei ſurdæ & inanimæ tribui Poëtarum iure credebam, quaſi tam ingens Tritonis eſſet buccinantis ſonus, vt maria terrefacere videretur: nunc in alia ſum ſententia, exiſtimoque id ex opinione veterum & religione interpretandum, credentium buccinatorem Neptuni Tritonem canoro immanique tubæ clangore ſolitum aquas increpare, & tãquam auritas, vt audacter & poëticè loquar, vocare, quæ & imperio ſolitæ ſint parere. Itaq; in carmine Æneo ex ea perſuaſione ſcriptum eſt.

Nam veluti reſonante diu Tritone canoro
Pellit opes collectus aquæ, victúſque mouetur Virg. in Aetna
Spiritus, vt longas emugit buccina voces.

& in Metamorphoſi,

Cæruleum Tritona vocat, conchaque ſonanti Ouid. lib. 1. Metam.
Inſpirare iubet, fluctúſque & flumina ſigno
Iam reuocare dato. Præterea ex eodem decimo edifſeremus id quod ambiguum viſum eſſe intelligo antiquis criticis.

—Xanthum & Simoenta
Redde oro miſeris, iterúmque reuoluere caſus Virg. 10. æneid.
Da pater Iliacos. Puto enim ſedes certas coloniámque peti, quæ antiquæ patriæ effigiem, imaginemque habeat, vt ex locorum, portarum, fluuiorum admonitione idem nomen habentium, veniat in mentem colonis antiquæ patriæ excidijque Troiani & belli. Xanthus enim & Simois ad quos bellatum eſt, & Troia vetuſtæ Troiæ ſimulata, in memoriam redigent eis belli Iliaci conditionem atque fortunam. etiam in receſſu ſenſum occultat iſtud,

—Tum libera fatis,
Claſſem conſcendit iuſsis gens Lydia diuûm. Virg. 10. æneid.

Ego autem auguror ſignificari liberè licuiſſe militatum ire Etruſcis nihil refragantibus fatis, cùm Æneæ externo duci commiſſi eſſent: nam duce Etruſco ne militarent in Mezentium, vatum effatis antè moniti fuerant. Quinetiam *Mantua dives avis* dicitur, quòd olim potens fuerit ea vrbs, cùm Virgilij ætate plurimum amiſiſſet de antiqua dignitate & priſtina magnitudine, eſſetque inferior multis Etrurię vrbibus, quæ iuuene etiam Marone agri parte mulctata ob vicinitatem Cremonæ penè peſſum ierat. In illo autem, Virg. 10. æneid.

Dixerat ille aliquid magnum, vimque adfore verbo

Virg. 10. æneis. *Crediderat, cœlóque animum fortaſſe ferebat.*

ſignificat infeſtam fortaſſe fuiſse ei Nemeſim, aduersari ſolitam ſuperbis, ciusq; insolentiam prouocaſſe deorum inuidiam, quę ei exitij cauſa fuerit & peſtis. At verò illud, Virg. 10. æneis. —*Ille reducta*

Loricam clipeiq́ue ingens onus impedit haſta.

explico, haſta Æneæ transuerberatum fuiſſe clipeum, & ita penetratam loricam, vt in ea hæreret. Ita lorica & clipeus impediebatur. quod autem reducta ait, id nimirum facit, quia lacertos retro reducunt haſtam mittere parantes.

Hydraulicorum explicatio apud Vitruuium, ſcalaris forma, modioli, ancones, delphini, ναῦς δελφινοφόρος, Pnigeus, pleuritides.

CAPVT XXII.

HYDRAVLICORVM inſtrumentorum comparatio & ratiocinatio operoſi laboris eſt, & magnæ obſcuritatis, ſi libros de ijs conſcriptos, vt Vitruuij legas. Quod ſi ad obſcuritatem accedat locorum, vt aſſolet, depraua tio: tum verò res deſperata videtur, neque faciliùs intelligi quàm Sybilæ folium poteſt. Compacta apud Vitruuium baſis eſt de materia, in Vitru. lib. 10. cap. 13. qua ex ære fabricata arca collocatur: ſed in Vitruuio pro *arca*, *ara* legendum puto, cùm ab Herone βωμίσκος χάλκεος ſcribatur. Illa autem ara aquã continet, quæ hydraulico organo nomen dedit. Collocantur dextra & ſiniſtra regulæ ſcalari forma, id eſt in ſcalarum formam inclinatæ, non autem in rectum ſtatutæ. Id enim eſt, quod Heron ſcribit regulam, ad alteram quæ recta deſtituta ſit, oportere κηλωνεῖσθαι, id eſt more celonij trãſuerſam & deuexam ſitam eſſe & collocatam. *Ærei modioli* ſunt quas Heron pyxides vocat. funduli modiolorum ſunt ambulatiles, qui deduci & reduci, qui impelli & depelli poſſunt, cùm ancones eos interdum extollant, interdum deprimant. Ancones autem ferrei & anconiſci (nam ſic etiam Heron vocat) ſunt in cubitum flexi è ferro ſtipites, vel ſtili, vel regulæ. *proximè in verticulis ſunt ærei delphini:* ea pondera videntur delphini forma ex ære, vt delphini in nauibus, vnde δελφινοφόρος ναῦς Thucydidi: & apud Oppianum δελφῖνος μολύβδιο κῦμα δέξατο τέχνη. Nam delphinus ſuo pondere, cùm deducuntur funduli modiolorum deprimit cymbala, & ea in modiolos calcat, vt in libro vetere, quem Ioannes Furdinus amicus meus perdiligenter contulerat, ſcriptum erat: vel chalat, id eſt laxat. Lego igitur *delphini pendentia habent cathenis cymbala ex ære infra foramina calcata, vel chalata*, vt Budæus probat: antiquæ editiones, *infra foramina modiolorum celata* exhibent, quòd & veriùs cenſeo. Infra tamen ſcribitur,

Vitruu. ibidẽ. Vitru. ibidẽ. Hero. Vitru. ibid. Thucydid. Oppian. de piſcatu lib. 4.

tur, *Delphiníque qui ſunt in verticulis* (verticulis autem cum vectibus coniunguntur ancones) *Incluſi calcantes in eos cymbala*, Idq́ue ſincerum puto, quidam tamen chalantes ſcribunt me vehemẽter improbante, fiunt autem cymbala ſua rotũditate & latitudine foraminum modiolorum opercula. Quod ſequitur ſic legendum crediderim. *Intra aram, quo loci aqua ſuſtinetur, ineſt pnigeus, vt infundibulum inuerſum.* eum ſuſtinent taxilli, librãtq́ue ſpatium imum inter ima labra pnigeos, id eſt furni & clibani, & ęre fundum. Sed & coagmentatam arulam quàm arculam malim, hoc ſolo adductus, quòd, vt ſuprà dixi, βωμίσκος ab Herone dicitur. ergo ſuper inuerſi pnigeos ceruiculam coagmentata eſt arula, ibiq́ue ponitur canon muſicus, id eſt regula tranſuerſa, in cuius longitudine ſunt canales, foraminaq́ue habet in tranſuerſo reſpondẽtia naribus quæ ſunt in tabula. Lego autem *epitonia ſunt incluſa manubriis ferreis collocata, quæ manubria cùm torquentur, ex ara patefaciunt.* regulæ autem quæ propelluntur & reducuntur, ituq́ue & reditu ſuo alias obturant, alias aperiunt foramina organorum, id eſt tibiarum, quæ in hydraula ſunt, mouentur pinnis muſici manu tactis: vocantur autem regulæ illæ pleuritides, id eſt laterales: in antiquiſſimis tamen editionibus plinthides reperio, id eſt laterculares. *hæ regulæ habent ferrea choragia*, libẽtiſſimè legerem, *cnodacia* quibus regulæ & pinnæ retinaculis coniungantur atque teneantur. *è modiolis autem, ſunt fiſtulæ continenter coniunctæ ligneis ceruicibus:* cùm fiſtulæ hoc loco ſint σωλῆνες, id eſt canales, non dubito quin pro ligneis ſit legendum *pnigeis*, quod & ceruicis nomen ſatis indicat: quanquam paulò antè ceruiculam diminutiuè extulit: ſed & infra ſimilis occalluit error, *per quas in lignea concurrit*, cùm etiam in *pnigea*, niſi malus ſum coniector, legendum ſit. ſed hæc tota deſcriptio, niſi ſubiecto ſub oculos exemplari vix intelligi poteſt.

Vitru. lib. 10. cap. 13. Vitru. ibid. Vitru. ibidẽ. Vitru. ibidẽ.

Violans, Iantis, ἴον, Hyantes Bœotiæ populi, Hyantea aqua, Horæum, Vacuna, ſtolo, Lucumo, plateſſæ.

CAPVT XXIII.

TERENTIANVS Maurus ſcribit, quem Iolaum Græci vocant, eum Violantem à Cicerone vocatum eſſe, hoc verſu, *Et iolaus ille, violans, crede, M. Tullio:* huius auctoritate adductus, haud dubitem affirmare, quam Iantida nympham Martialis ſtellæ nupſiſſe dixit, eam eſſe vxorem eius Violantillam (eius certè, & Stellę nuptiale carmen Papinius canit) quę nymphę perſona poëtico integumẽto inuolucroq́ue velata diſſimulatur à Martiale, qui *Perpetuam* (inquit) *Stellæ dum iungit Iantida vati*

Læta Venus dixit, plus dare non potui.

Terentianus. Papin. lib. 1. ſyluarum. Mart. lib. 6. epig. 21. Mart. lib. 6. epig. 47.

Iterum, *Nympha mei Stellæ, quæ fonte domestica puro*
Laberis, & domini gemmea tecta subis.

A quam enim Stellæ tecta subeuntem iantida appellarunt Græco verbo, quod violantillam exprimeret, cùm sit, ἴον viola. fuerunt & hyantes populi Bœotiæ, vnde & hyanteam aquam alicubi, pro Hippocrene legisse me recordor sed, cùm vt sæpe testor, nos errones in diuersa rapiat diuersoria quidam animi impetus, & in varios portus æstus appellat, nunc alio feremur. Cùm igitur in Plinio scribitur, *Tritum pelamidum generis magni, ex eo vrea cybia fiunt*: Legendum arbitror ex Athenæo horæa cybia fiunt. Horæum enim vocabatur genus salsamenti è pelamide, vt Athenæus refert: horæa autem vocantur non à tempestiuitate, vt quibusdam placere video primarię eruditionis hominibus, sed à veris tempore, quòd tum salsamentum istud fieret, cuius & mentio est apud Plautum in captiuis, *horæum, scombrum, trygona*. Vacuna antiquorum obsoletum & ridiculum numen non videtur tantum fuisse vacantium & otiosorum dea, sed etiam eorum qui vel crimine, vel calumnia, contumelia denique & maledicto vacui reddebantur: Eam facio coniecturam ex eo, quod Ausonius scribit,

Totam trado tibi simul Vacunam,
Nec iam post metues vbique dictum.

Id est, vacuum te iubeo esse, liberum & immunem ab omni dicto & cõtumelia. in illa autem eadem Ausonij epistola, quod non temerè quisquam alibi vspiam legisse se liquido adiurauerit, stolo pro stolido vsurpatur: & certè à stolone stolidi nomen ortum esse videtur, vltroque originem profitetur suam. *sed iam non potes ô stolo doceri*: nisi si quis pro veteri & antiquo, & sene positum putet, adiũcta tamen etiam significatione stoliditatis & stultitiæ. Illic etiam lucumo stultus & furiosus est: *Anticyrámque bibas Samij lucumonis acumen*. Nam insani se purgabant helleboro. Hæc vox à Pompeio etiam obseruata est. ait enim, *Lucomenes quidam homines ob insaniam dicti, quòd loca, ad quæ venissent, infesta facerent*. Elegati verò pisces qui sint illa in epistola nescio: sed ferè suspicer *elacati* scribendum, vel vt apud Columellam, *elacatæ*. *Tum scombri*, inquit, *Carchariæque, & elacatæ ventriculos*. vocatur & auctore Festo, elacatena. versus Ausonij est, *Vrentes thynni & male spina tecti elegati*. mox etiam scribens, *Carrocho lætha liſque trygon molésque platessæ*, nomine platessarum latos intelligit pisces, passeres & rombos: *carrocho* qui sit, nescio, nisi *carchata*, pro carcharias legatur: quanquam mutare non ausim.

Plin. li. 32. c. 11. Athen. li. 3 dipnc. cap. 19.

Plaut. Captiu. Sc. Iupiter supreme.

Auſon. epi. 21.

Auſon. ead. ep. 21.

Auſon ibid.

Feſt. lib. 10. in litera l.

Auſon. epi. 21.

Columel. li. 8. cap. 17.

Feſt. lib. 5. in litera c.

Auſon. ead. epiſt. 21.

Magni amici, magnus dies, magnæ animæ, Horatius duobus locis explicatur, quales animæ, quale perunctum nardo.

CAPVT XXIIII.

VETERIBVS magni erant amici homines potentes, qui ab inferioribus, vt clientibus patroni, obseruantia omni & officio necessitudinis & obsequij colebantur. Curius ad Ciceronem, *sed amice magne noli hanc epistolam Attico ostendere*, Iuuenalis —*calcas*

Coniugis vrinam magnos visurus amicos:

Id est, dum salutatum is homines potentes. Tacitus, magnum diem fœlicissimæ & lætissimæ victoriæ diem, quo bellum erit totum confectum nullis superstitibus eius reliquijs appellat. *Transigite*, inquit, *cum expeditionibus. Imponite quinquaginta annis magnum diem*. appellat diem & magnas animas, excellentium & præstantium virorum animos & manes, cùm ita scribit, *si, vt sapientibus placet, non cum corpore extinguuntur magnæ animæ*. atque, vt quemadmodum in prouerbio est, linum lino nectam, vbi animas pro hominibus posuit Horatius, genere dicẽdi cùm vsus sit, quod concoquere literatorum quorundam stomachus non potest, id explicare conabor, hominesque his velut plagis, aut cassibus implicatos liberare. sed eius verba proponenda sunt. *Occurrunt animæ, quales, neque candidiores Terra tulit, neque quis me sit deuinctior alter*. extat etiamnum, & locus gemmæ similitudinis in Epodis. *Nardo perunctum, quale non perfectius Meæ laborarunt manus*. Ego ne diutius teneam lectorem, si quis modo ad hæc oculum adijcere dignabitur, arbitror illud *quale* valere cuiusmodi, cuius generis: vt dicat, eo delibutum vnguento Nardino, cuius generis, nunquam ipsa melius perfectiusq; elaborauerit. vt quidem, & indignissimum sit, Varum eius vnguentis perfusum circum aliarum amicarum hostia vagari ipsa contempta. Sic & homines dicit, cuius generis non sint cãdidiores neque meliores: erant enim docti, qui plerumque inter se inuidere & liuere solent: neque semper literis mores respondent. Perfusus igitur ille tali erat vnguento, quale eiusdem generis nunquam melius eo fecerat: & illæ tales erant animæ, quales, id est, cuiusmodi nunquam terra candidiores his tulerat. Scio visum iri interpretatiũculam hanc paulò coactiorem, sed quo te pacto hinc extrices, nisi ita accipias, non video. Nam quale pro quali reddere, & quales pro qualibus, id verò sit stribiliginem flagitiosam accuratissimo, & diligentissimo poëtæ attribuere, & eum hominum ludibrio exponere, qui se censorem alias acrem & aliorum venustum deriſorem libenter præstare soleat. Quare ab auctoritate grammatici prisciani discedere malo, & vtcunque possum dictionum ordinem conseruare, quàm in nobili poëta tam fœdam culpam hærere confiteri. vidi & qui per admirationem *animæ quales*! legeret.

Cic. lib 7. epi. famil. epi. 30. Iuuena. sat. 6.

Tacitus in vit. Iul. Agric.

Tacit. in vita Iulij Agricolæ.

Horat. lib. 1. sat. 5.

Horat. epod. od. 5.

Priscian. li. 17. de constructio.

Horat. lib. 1. saty. 5.

Libratores, colligere & protendere hastam, oraculo vti, ἀγορεύειν occanere, auctores rerum, viginti viri. CAPVT XXV.

NON quadrantaria, nec diobolaris, nec in quadriuijs vſitata eſt, quarundam vocum elegantia pullatæ ignotarum turbæ: vt libratores ſunt apud Tacitum, non qui in hoſtem miſſilia vibrant mittúntue manu, ſed qui è tormentis excutiunt. ſubſcribam eius verba, *remotiſque paulatim legionibus, funditores, libratoréſque excutere tela, & proturbare hoſtem iubet: miſſa è tormentis haſtæ.* Colligere apud eundem haſtam, eſt haſtam reducere, quam antè protenderas, vt hoſtem ferires: atque hæc contraria ſunt protendere & colligere haſtam: ſic enim ſcribit, *cùm ingens multitudo arctis locis prælongas haſtas non protenderet, non colligeret.* Dixit & Græcorum more vti oraculo, pro oraculum conſulere. illi enim dicunt, χρᾶσθαι, ac mihi videtur exoticum illum Græcorum ſermonem imitari voluiſſe, nouitatis aucupio gratiam elocutioni quærens. Sic enim ſcribit, *Appellítque Colophona, vt Clarij Apollinis oraculo vteretur.* Nec verò ſolum nouator eſt hiſtoricus ille, ſed verborum antiquorum & propè obſoletorum reuocator atque renouator: vt qui occanere, quàm occinere malit dicere: ſic enim loquitur. *Tum Sentius occanere cornua tubáſque, & peti aggerem, erigi ſcalas iuſſit.* Id autem æmulatione & ſtudio Salluſtij facit, quem præcipuè videtur rerum ſcriptorem coluiſſe. Nam referente Priſciano ita ſcripſit Salluſtius, *iuſſu Metelli cornicines occanuere*: ſic enim loqui, quàm occinuere maluit. Is tamen ab exemplari videtur diſceſſiſſe, cùm auctorem rerum hiſtoriæ ſcriptorem vocauit, qui Salluſtio eſt rerum adminiſtrator geſtorúque, vt Imperator qui bella gerit. Nam ita Tacitus ſcribit, *matrem Antoniam, non apud auctores rerum, non diurna actorum ſcriptura reperio vllo inſigni officio functam:* at Salluſtius aliter in Catilinario vſurpat, ita ſcribẽs, *ac mihi quidem, tametſi haudquaquam par gloria ſequatur ſcriptorem & auctorem rerum.* Nam Imperatorum maiorem eſſe gloriam intelligit, quàm hiſtoriæ ſcriptorum: niſi ſi quis putet eundem eſſe & ſcriptorem & auctorem rerum in Salluſtio, verborum quadam congeminatione eundem ſenſum exprimẽtium: itáque intellexiſſe in eo Tacitum autumet. ſed ſiue ita quis ipſe putet, ſiue cenſeat Tacitũ cenſuiſſe, ego in alia ſum ſententia, diſcedóque in alia omnia. Scribitur & ab eodem, *vtque munere capeſſendo viginti viratus ſoluerentur.* Viginti autẽ viri erant, vt hoc declaretur, Triumviri capitales, Triumuiri monetales, & Quatuor viri curatores viarum vrbis, & Decemuiri, qui haſtam centumuiralem cogebant. Dio. lib. 53. huius rei auctor eſt, cuius auctoritate & fiducia freti, hoc de viginti viris affirmare non temerè, credo, tutoque poſſumus.

Tacitus li 2.
Tacitus lib. 2.
Tacitus lib. 2.
Tacitus lib. 2.
Salluſt. li. 1. hiſtoriarũ. apud priſc. lib. 10.
Tacit. lib. 3.
Salluſt. in Cat.
Tacitus lib. 3.
Dio. lib. 53.

Sinus in veſte. CAPVT XXVI.

SIC à Tranquillo in referenda nece Cæſaris ſcribitur, *Toga caput obuoluit, ſimul ſiniſtra manu ſinum ad ima crura deduxit:* quibus in verbis, quid ſinus ſit quærendum eſt. Sic enim pars quędam veſtimenti videtur appellata fuiſſe, quod ſi ignoretur, neceſſe eſt animus quoque hallucinetur, & erret, & iſta ita legat, vt non intelligat. videtur igitur fuiſſe pars quædã laxior, & tanquã excurrẽs in dextra lacinia veſtis, vt cùm corpus toga amictum inuolutũq; eſſet, à dextra in ſiniſtrum humerum reijceretur, & è ſiniſtro humero in brachium plerunque deſcenderet, aut ſtatim principio brachio ſiniſtro exciperetur, aut ipſum inuolueret. tum enim ſic ſibi togã inijciebant, vt & in humerum ſiniſtrum ſibi ſinum reijcerent: quem Iulius Cæſar cùm ſibi moriendum videret, ne quid è corpore renudaretur inhoneſtè, deduxit ad crura ſiniſtra manu, qua eum fortaſſe tum gerebat. id autem quod diximus eſſe ſinum, oſtendamus è Quintiliano, cuius hæc verba ſunt è libro vndecimo, *Illud verò non ferendum, quod quidam reiecta in humerum toga, cùm dextra ſinum vſque ad lumbos reduxerunt.* hîc Quintilianus eos improbat, qui ad lumbos vſque ſinum reducunt reiecta in humeros illa parte togæ. Nam non debet tam altè deſcendere ſinus, neque tam deprimi, vt ad lumbos detrahatur. Iterum, *Nam veteribus nulli ſinus, perquàm breues poſt illos fuerunt*: de veterum togis loquitur, quæ eam non habebant laxitatem vltra humeros expatiantem. Rurſus, *procedente verò actu, iam penè ab initio narrationis ſinus ab humero rectè velut ſponte delabitur: & cùm ad argumenta & locos ventum eſt, reijcere à ſiniſtro togam, deijcere etiam ſi hæreat, ſinum, conueniet.* Rurſum, *dextra, cùm iam incipiẽdum erit, paulum prolata vltra ſinum, geſtu quam modeſtiſſimo.* hîc ſinum vocat quicquid veſtis ante pectus natat, brachioque vel humero innatat. Nam vltra eum ſinum humero & brachio læuo iniectum, paulum proferenda dextra eſt. Rurſum, *ſinum verò in dextrum humerum ab imo reijcere ſolutum ac delicatum.* Romanorum moribus erat ſoluti & delitijs diffluentis ſinum, qui in ſiniſtrum humerum reijci ſolebat, in dextrum reijcere. Eſt & ſinus quæcunque veſtis laxitas, hæc & dilucidam quandam perſpicuitatem Fabio afferunt, & clariſſimam lucem Tranquillum legentibus oſtendunt, veluti è Pharo nauigijs ad curſus dirigendos ignes nocturni.

Suet. in Iul. Cæſar. ca. 82.
Quintil. lib. 11. cap. 3.
Quintil. lib. 11. cap. 3.
Quintil. lib. 11. cap. 3.
Quintil. ibid.
Quintil. ibid.

Pallium, palliati, Sagum, ſagati, Togati, Serui peculiares, pecora ſacra, ζῶα ἀφιερωτά, teſtatio, conſignatio, Nouius quæſtor.

CAPVT XXVII.

TRANQVILLVS Iulium Cæſarem *duobus aſſiduè triclinijs per prouincias epulatum* ſcribit, *vno quo ſagati palliatique, altero quo togati cum illuſtribus prouinciarum diſcumberent.* hîc quos ſagatos vocet quęritur. Nam palliati

Suet. in Iul. Cæſ. cap. 48.

liati iuris controuersi non sunt, cùm constet pallium habitum Græcorum fuisse: igitur vt palliatos Græcos intelligimus, sic sagatos Gallos libentissimè intellexerim. sagum enim Gallorum vestis erat. Strabo, σαγοφόροι δὲ καὶ κομητοφόροι: sic & togatos pro Romanis posuit, è vestitu gentem indicans. Et quòd asperior esset sagorum lana crassiorque, eoque pinguior & inornatior vestitus, Martialis scripsit,

Strabo lib. 4. Geograph.

Vis te purpureum Marce sagatus amem?

Mart. li. 6. epigram. 11.

Idem Cæsarem ait *seruos peculiares* præposuisse monetæ, publicisque vectigalibus: vbi peculiares seruos, seruos Cæsaris proprios intelligit (nam & serui erant publici) hoc autem ipso multorum offensionem contraxit Cæsar, quòd monetæ, cui triumuiri monetales præerant, seruos suos præfecerat, & vectigalibus pro publicanis & mancipibus. Superlationis esse putatur poëticæ, & extra veritatem longo tractu spatioque excurrētis iumētis lachrymas tribuere, quod Homerus facit, & æmulus eius Virgilius,

Suet. in Iul. Cæsar. ca. 76.

Virg. 11. æneid.

— Positis insignibus Æthon
It lachrymans guttisque irrorat grandibus ora.

Id tamen in historia scribit Tranquillus mendacis opinionem æquè formidans, ac impostoris & plani. Nam ita scribit, *equorum greges, quos in flumine Rubicone traijciendo consecrarat, ac vagos sine custode dimiserat, comperit pertinacissimè pabulo abstinere, vbertimque flere.* Atque, vt hoc non intactum relinquatur, è veterum religione id dixit Tranquillus, equos consecratos vagos esse dimissos: quæ enim animalia sacrabant dijs, ea è manu dimittebant, mancipioque suo abiudicabant, ac ea suo iuri libertatique reddebant, quæ & ζῶα ἄφετα à Græcis ideo vocabātur. equos etiam consecratos Mineruæ puto fuisse quatuor illos lib. 3. Æneid. niuali candore currum velut quadrijugum Mineruæ aliquando subituros, aut etiam simulantes. Inquit enim,

Suet. in Iul. Cæsar. ca. 81.

Virg lib. 3. Aeneid.

Quatuor hîc primum omen equos in gramine vidi,
Tondentes campum latè candore niuali. Ait rursum Tranquillus,
Cùm quid per iocum testandi gratia signarent.

Virg. 3. Aneid.

Testationes hîc intelligit, quæ erant quædam præscriptiones & tabulæ testificandi gratia factæ & obsignatæ. Quintilianus, *Itaque eum nec inutilem, si ad horam forte constiterit, nec in testationibus faciendis esse imperitum velim.* Cicero pro Quintio, *Testificantur isti Pub. Quintium non stitisse, & se stitisse: tabulæ maximæ signis hominum nobilium consignantur.* Consignationes etiam vocasse videtur Fabius. *promittit enim*, inquit, *litigator omnia, testem, populum, paratissimas consignationes.* Nouius autem quæstor apud eundem, non est qui pecuniam publicam tractat, sed qui iudicium publicum exercet, & quæsitor sæpius dicitur, apud quem nominari maiorem potestatem,

Suet. in Iul. Cæsar. ca. 20.

Quint. lib. 12. cap. 3.

Cic. pro quintio.

Quintil lib. 11. cap. 8.

Suet. in Iul. Cæs. cap. 17.

potestatem, vt prætorem (id enim est compellari maiorem potestatem) non oportuit.

Ora commentari, absque te esset, panicula tectoria, latera lorea, os columnatum, poëta barbarus, lex barbarica.

CAPVT XXVIII.

Havd nihil est interdum genera dicendi verbis elata non obscuris, sed de medio sumptis, explicare: quin ea interdum plus negotij nobis exhibent, quàm reconditæ voces, & ex vltima repetitæ origine linguæ Latinæ. Id adeò mihi venit in mentem, ex eo quòd Plautus scribit in Menæchmis his verbis, *Nimis autem bene ora commentaui, atque ex mea sententia.* Ex quibus non ita procliuè est sensum elegantem elicere, mihi saltem, qui in his diutiùs hæsi, dum sententiam indago. Puto autem ad eos qui fingunt comicum respexisse, qui cùm os alicuius statuæ, ita vt volunt adfabre & graphicè expressérunt lineamentis omnibus emendatissimis, gaudent: quod quidem se fecisse dicit Messenio, contuso pugnis ore, & in aliam formam mutato eorum, qui Menæchmum comprehenderant. sese enim dicit pulchrè ora velut statuarum commentatum esse. Sic Amphitruone,

Plaut. Menæch Sc. per ego vobis deos atque &c.

Plaut. Amphitruone Sc. Qui me alter est audacior. & cetera.

Alia forma esse oportet, quem tu pugno legeris.
So. *Illic homo me interpolabit, mcúmque os finget denuò.*

Mox autem in Menæchmis lego. *Nam absque te esset, hodie nunquam ad solem occasum viuerem*: loquutio enim antiqua est, eáque perelegans, qua & Terentium vsum obseruaui in Phor. *Nam absque te esset, rectè ego mihi euidissem.* In milite autem glorioso, quódnam est paniculum tectorium: ego paniculam potius tectoriam legerim: vt paniculæ leuissimæ arundinis, qua integi villaticę domus solent, intelligantur. Plinius de arundinibus, *Tegulo*, inquit, *earum domus suas Septentrionales populi operiunt.* nec mul tò post subijcit, *Cæterùm gracilitas nodis distincta, leui fastigio tenuatur in cacumina crassiore paniculæ coma, neque hac superuacua.* scio equidē esse apud Plinium mentionem penicillorum tectoriorū, quibus in tectorio aliquid pingitur, sed non conuenire huic loco crediderim: sed & legendum mox suadet lex versus, *vnum epityrum apud illum esuriens insane edam*, vt enim versus hodie legitur perturbatis numeris, ad mensionem senarij non quadrat. Lego & mox, *Dum talem facies, qualem adhuc, assiduo edes*: hoc sensu,

Plaut. Militeo Sc. per ego vobis deos &c.

Terent. Phormio. act 1. Sc 4.

Plaut. Milit. c. Curate vt splendor.

Plin. lib 16. cap. 6.

Plin. ibid.

Plaut. Milit. Sc. Curate vt splendor.

Plaut. Militeo ibid.

Plaut. Milit. Sc. Ni herele defregeritis tabulas.

Dum talem me prędicabis, qualem adhuc prędicasti, tibi quòd comedas non deerit, semper enim te mea mensa communicabo. *Latera autem vestra lorea faciam*, quod senex dicit, significat se corium eorum verberibus conscissurum in lora. *Illud sis vide*, credo in eo poëta eáque fabula scribendum pro *illic sis vide*. quid si paulò ante legamus? *quo nemo nisi eapse*

Plaut. Milit. cad. Sc.

Plaut. Milit. Sc. Mihi ad eum.

inferret

Plaut. Milit. Sc. Ni hercle defregeritis talos.

inferret pedem: vt sit ea ipsa. Nam *ea se*, alienius aliquanto est, quod si quis probat, inferret subaudiendum erit. Illud verò ænigmati persimile est. *Nam os columnatum poëtæ inesse audiui barbaro, cui bini custodes semper totis horis accubant*: quod & à Donato in Phormione citatur, non explicatur tamẽ: hoc autem cùm vt malum omen auersetur senex, laboro vt credam de Nęuio ea dici, qui ob linguæ petulantiam in ciuitatis principes, in carcerem à triumviris coniectus fuerat, vbi & fabulas etiam duas Ariolum & Leontem scripserat, vt Gellius refert. Sed is in scribendo commẽtandoque, solebat manum mento suffulcire velut columnam, vnde iocans columnatum eius os fuisse dicit, non enim putem columnatum dici, quòd vinculis de columna religatis, capitique annexis in carcere, adpositis etiam binis per vices custodibus seruaretur. Poëta porrò barbarus, Latinus est: vt *Marcus vertit barbarè*, id est Latinè, & in eodem poëta, lex barbarica, Romana est.

Donat. in Terent. Phormiõ.

Gell. lib. 3. c. 3.

Plaut. Asinar. in prolog.

Plaut. Captiu. Sc. Miser homo &c.

Deũm virtute, Fartores, Elephanti corio circuntegi, fictores, præcantatrix, coniectrix, patrica, patricè, sermones serere, amphora Nardini, capite sistere, casare, hama, pithecium spinturnicium, apud Plautum. CAPVT XXIX.

NEMO vt opinor, ita errores purgabit è Plautinis codicibus, vt non supersit aliorum industrię negotium: ac vellem mediusfidius qui eis emẽdãdis operã nauarunt, quibus in locis dubitarunt, nobis veterem scripturam repręsentassent, vt coniecturæ nostræ sagacitatẽ & ingenij vim experiremur. Nunc quia eam non retulerunt in codices suos, sed fiducia constitutæ à se scripturæ freti, exulem extorremque fugarunt, de mendo interdum suspectare libros, verùm emendare non possumus: quibus quidem in locis eam conseruarunt, aliquid non incommodè comminisci fortasse possumus: velut in Milite vbi scribitur, *Tibi ego dico, an heriatus nescis?* reponendum suspicamur, *Tibi ego dico, an heri ius nescis?* Hoc sensu, Nescis hero licere loris te cædere virgisque variare? Nisi quis *heriatus* pro herilibus imperijs accipiat, ea forma qua cẽturiatus & decurionatus dicebant, sed heratus profectò dici deberet, vt dominatus, non heriatus. & heriatus quidem in libris dicunt veteribus extare, sed *aneuritatus* excudunt, quod non magis intelligimus, quàm magorum susurros. *Lucet hoc inquam*, valet, Dies iam lucet, cœlumque subauditur, vt apud Terentium, *Lucescit hoc iam. Herus meus elephanti corio circunctus est, non suo*: Sensus est, Herus meus nihil sentit. nam cùm elephanti corium durissimum sit & crassissimũ, proinde fit, vt elephanti minus sentiant. *Incipis, & magna munis*

Plaut. Milit. Sc. Ni hercle defregeritis talos.

Plaut. Milit. ibidem.

Terent. Heautont. act. 3. Sc. 1.

Plaut. Milit. Sc. Ni hercle.

Plaut. Milit. ibid.

munis mœnia, in Plauto legendum prope affirmauerim. *Mirum est lolio vlcitare te tam vili tritico*, valet cùm tam vile sit triticum, vt, *pudere quam pigere præstat, totidem literis*, id est, cùm totidem sint literæ. formæ enim istæ loquendi absolutæ sunt sine participio. *Tamen deũm virtute transeuntem hospitio accipi apud me est comitas*, genus hoc orationis est, quo grati & memores dijs accepta bona sua ferebant, & se eorum ope beneficio & munere ea adeptos profitebantur: sic in Trinummo, *Deũm virtute dicam pater, & maiorum, & tua, Multa bona bene parta habemus. Da qui faciat, da qui condiat*, valet, Da mihi fartores, da coquum: fartor enim facit, coquus condit. Plautus, Truculento *sæpe de nostro edunt quod fartores faciunt*: nisi, *qui farciat*, legas. sunt & fictores qui liba operaque dulciaria faciunt. Ennius apud Var. *Libáque, fictores, argeos, & tutulatos*. Præcantatrix autem, ibi est mulier quæ cantionibus vtitur, id est carminibus & incantamentis, quibus plurimum superstitiosi veteres tribuebant: vt coniectrix, quæ interpretatur significationem somniorum: apparetque viros coniectoribus, mulieres coniectricibus vsas fuisse, ac sexibus officia artiũ distincta fuisse. *Tum patricam clemẽter non potest hinc quin munerem*: ferè existimauerim patriciam emendandum. plebeiæ enim mulieres patricijs mulieribus donacertis diebus missitabant, vt plebeij viris patricijs. Quanquam & patrica patricia erit, vnde & patricè pro magnificè & splendidè in Casina dixit, *atat cesso magnificè patricèque amicèque, ita hero meo ire auorsum. Quæ huius similes sermones serunt*, legendum censeo: atque hęc loquutio est vsitata Plauto, sermonem serere: & à serendo sermonem declinatum esse Varro censet. Sic & in Curculione dixit, *Quod quidem mihi pollutus virgis seruos sermonem serat? dimisit nardini amphoram cellarius*: vinum nardinum est, quod, vel nardo, vel vnguento nardino conditum est. veteres enim, vt Theophrastus auctor est, vnguentum miscebant vino, idque nonnulli in compotatione ipsa subito faciebant, alij autem iam ante sic medicatum & curatum habebant.

Plaut. Milit. Sc. Cohibete intra limen, Var. lib. 5. de ling. Lat. Plaut. Curcul. Sc. Placidè egredere. Plaut. Milit. Sc. Quantas res. Theophrastus. Plaut. Milit. Sc. Quantas res turbo. Plaut. Curcul. Sc. Date viam mihi. Plaut. Milit. Sc. Quantas res &c. Varro. Plaut. Milit. Sc. Quantas res Turbo. Iuuen. sat. 4.

Huic illecebroso capite sistebas cadum.

Sistere capite, est capite præbere, & in caput inuergere, & inclinare cadum, cuius quidem caput illecebrosum erat, quod est ad potandum illiciebat. Est & capite sistere, in caput cadere: vt in Curculione, *Quin cadat, quin capite sistat. Non hercle tam istoc valide quassabunt cadi*: quia eos capite sistebam, non tam validè cadebant, quod fecissent, cùm sit illic lubricus locus. Itaque casare non quassare scripsisse comicum puto: vt & apud Var. ex antiquo poëta, *Nisi egomet casabundum ire ebrium*: quod Varro à cadẽdo interpretatur. *Bacchabatur*, inquit, *auia, casabant cadi*, quid vetat emendare hama? quod vas aquarium est. Iuuenalis, *Dispositis prædiues hamis*,

Plaut. Milit. Sc. Cohibete intra limen, Var. lib. 5. de ling. Lat. Plaut. Curcul. Sc. Placidè egredere. Plaut. Milit. Sc. Quantas res. Theophrastus. Plaut. Milit. Sc. Quantas res turbo. Plaut. Curcul. Sc. Date viam mihi. Plaut. Milit. Sc. Quantas res &c. Varro. Plaut. Milit. Sc. Quantas res Turbo. Iuuen. sat. 4.

hamis, de homine dicit, incendium metuente, & vasa aquaria contra incendium parata habente. Hîc cùm inuerterentur cadi, & tota vinaria, magna erat aquæ copia opus, adeò, vt hamæ baccharentur. fortasse etiam vino implebantur. *Pithecium, hæc est præ illa, & spinturnicium*. fœdæ sunt simiæ, & spinturnix, incendiaria auis, deformis, & inauspicata. Inde per diminutionem, simiolam Græco verbo effinxit, & eius similitudine paruam spinturnicem, spinturnicium appellauit, quę forma etiam Græcanica est.

Plaut. Milite. Sc. volupe est quod agas.

Scaphium, insigne, corona plectilis, cœna viatica & aduentitia, præligatum pectus, Apollo vicinus, symbolum, domum cupiens, domuitio, impensius, vtrum velis licet, gymnasij præfectus, cincticulus, factiosus. CAPVT XXX.

Plaut. Bacchid. Sc. Quid si hoc potius.

PRO *galea scaphium, pro insigni sit corolla plectilis*, inquit in Bacchidibus Plautus, vbi scaphium non videtur vas illud esse, cui solent immeiere mulieres: Apagesis. de quo satyricus poëta,

Iuuen. sat. 6.

Et ride positis scaphium cùm sumitur armis,

Nec ornamentum capitis meretricij videtur, quod forma scaphæ & rotunditate colligeret capillum. Scribunt & grammatici Græci genus esse tonsuræ meretriciæ. hîc poculum est oblongioris figuræ laterumque in scaphæ similitudinem flexorum. Plautus in Persa,

Plaut. Persa. Sc. Omnem rẽ inueni.

Ampullam, strigilem, scaphium, soccos, pallium.

habet autem aliquam similitudinem eius forma cum galeæ figura, vt pro ea indui posse videatur. Insigne autem, crista est quæ in galea figitur: corona plectilis, quæ ex herbis odoratis plectitur, non conseritur neque suitur. Itaque à sertis floribus & sutilibus coronis differt. *Ego*, in eadem fabula inquit, *sorori meæ cœnam hodie dare volo viaticam*, viatica cœna est aduentitia. Nam peregrè redeuntes, solebant conuiuio excipere amici. *Saluos*, inquit, *cùm peregrè aduenis, cœna detur*. Id & de epistola Martialis dixit,

Plaut. Bacchid. Sc. Quid si hoc potius. Plaut. Bacchid. Sc. Reddidi patri omne aurum. Mart. in epist. lib. 11. præposit.

Vt familiarissimas mihi aures tuas exciperem aduentoria.

O *præligatum pectus*, puto esse, ô insanum pectus: ab his qui venefi-

Plaut. Bacch. Sc. Iamdudum Pistoclere tacitus.

cijs ceu vinculis ligati vidẽtur, & illecebris quibusdã velut defixi tenentur. *Saluto te vicine Apollo, qui ædibus propinquus nostris accolis, venerórque te*: Apollinem prostaterium intelligit, quem veluti præsidem, in vestibulo domus Athenienses colebant: Bacchides autem Athenis agi finguntur.

Plau. Bacchid. Sc. Herilis patria salue.

Quid? vbi ei ostendit symbolum? vt in Palliata hîc etiam loquutus est. Solebant enim Græci in pactis conuentis tesseris quibusdã vti, quæ σύμβολα

Plaut. Bacchid. Sc. Ibo in Pyr. Aristoteles.

vocabantur, quæ loco tabularum & syngrapharum erant, atque ex his ius dicebatur. Aristoteles, ὑδὲ οἱ τῶν δικαίων μετέχοντες οὕτως, ὥστε ὁ δίκαιον ὑπέχειν

ὁ

ὁ διδόναι. τοῦτο γὰρ ὑπάρχει ὁ τοῖς ἀπὸ συμβόλων κοινωνοῦσι. Meminit & Demosthenes in Philippicis. *Domum cupientes, fortè vt adsedi in stega*: domum cupere est in patriam reuerti velle, vnde & domuitio. *Iam domuitionem reges Atridæ parant* apud Cornificium. simile est illud Ciceronis pro Ligario.

Demost. in Philip. Plaut. Bacchid Sc. Ibo in Pyræum. Cornificius lib. 3. ad Heren. Cic. pro Ligar. Plaut. Bacchi. Sc. Ibo in Pyræum.

Tum Ligarius domum spectans, & ad suos redire cupiens, nullo se implicari negotio passus est. Id mihi aut vtrum velim licere intelligo, id est haud mihi istud liberum esse video, ac nauigare cogor. vis enim & sententia ista est huius loquutionis. Cicero in Vatinium, *Teque, cùm tibi vtrum velles liceret, dicti-*

Cic. in Vatin. Plau. Bacchid. Sc. Multimodis. Plaut. Bacchi. Sc. Nunc expectariar

taris causam dicere maluisse. *Ingrato homine nihil impensius est*, id est nihil quod minus pensi habeat, quodque incogitantius & imprudentiùs fit, *Gymnasij præfecto haud mediocres pœnas penderes*. præfectum gymnasij gymnasiarcham intelligit, qui in adolescentes animaduertebat, vt ex Axiocho intelligi potest, vbi scribitur, ὁ γυμνασιαρχία, ὁ ῥάδδοι, ὁ κακῶν ἀμεταξία. *Cincticulo* mox *præcinctus* scribitur, quòd discinctum esse soluto-

Plat. in Axiocho. Plaut. Bacchi. Sc. Nunc expectariar. Plaut. Bacchid Sc. Reddidi patri omne aurum.

rum & fluentiũ morum videretur, cinctum esse disciplinę modestę: sed & adstrictus zona, togę cinctus nihil è corpore nudari turpiter sinebat. *Linguam factiosi, inertes opera*, cùm Plautus scribit, homines intelligit qui lingua prompti ad promittendum sunt se aliorum causa lubentissimè esse facturos, qui tamen cùm ad rem ventum est, opera inertes sunt, neque fidem & diligentiam amico promissam præstant. hæc velut libantes inter legendum è comico excerpebamus, annotabamusque, & alijs transmissa voluimus.

LIBRI SECVNDI FINIS.

ADRIANI TVRNEBI ADVERSARIORVM LIBER TERTIVS.

Ostendere, locus, Tricala, pulchra acta, antiquior locus sententiæ dicendæ, lex censoria, acta, anchoræ, oram soluere, myoparones.

CAPVT I.

NON est ostendere tantùm, id quod in consuetudine frequenter significat, demonstrare: sed quod verbi potius compositio prę se fert, obtendere & opponere interdum. cuius significationis testimonium apud Ciceronem in Verrem, in promptu occurrit.

Cic. 7. in verr.

rit. *Sed quædam mihi magnifica, & præclara eius defensio ostenditur*. Ibidem locus, materiam quandam significat, & tractatum disputationemq́; quandam. *Noui locum, video vbi se iactaturus sit Hortensius.* Multi in ea oratione Tricalinum mutandum censent esse in Triocalinum adducti Silij auctoritate, *Et mox seruili vexata Triocala bello:* Tricalinum tamen quidni retineam, cùm in Stephano, si auctor citandus est, reperiam? Itaque vt illud alterum non improbo: ita istud cur expungendum sit, non video. Aristodamus autem Apolloniẽsis, ciuis illius Apolloniæ existimandus est, quæ in Sicilia Leontinis propinqua, & Pulchrè Actę erat, vt Stephanus prodidit: Pulchrè autem Actę etiam mentio apud Diodorum est libro duodecimo. Halicyensis autem ex eodem Stephano, non Haliciẽsis scribendum est, ab Halicyis vrbe Sicilię. Ludos cùm sibi dicit Ioui, Iunoni, Mineruę, esse faciendos: numina quę cellas in capitolio habebant nominat. medium enim templum Iouis erat: hinc & inde Iunonis & Mineruæ cellæ. tres hi dij tutela vrbis erant, quos & intelligit in gripho Ausonius, cùm ait, *Trina in Tarpeio fulgent consortia templo.*

Antiquior locus sententiæ dicendę est honestior, quàm vel quęstoribus, vel quæstorijs, vel Senatoribus, qui honores non gesserant. *Lex* autem censoria, est conditio illa pactumque, quo censores agros publicos, vel vectigalia fruenda locabant. *Tot in acta dies*, cùm scripsit Siculorum Gręco sermone est vsus, vt & Maro de eadem Sicilia loquens, *At procul in sola secretæ Troades acta*, quo nomine littus intelligitur: sed quibus interim nominibus res aliena in lingua vocantur, iis à nobis appellantur, cùm de exteris loquimur rebus vel locis. Cùm autem *præcidi anchoras* scribit, anchoralia significatione anchoræ etiam cõplexus est, vnde anchora pendet. At oram soluere, vt hoc interea interponam, quod variè exponi, & pro suo cuique captu declarari animaduerto, non aliud quicquam esse credo, quam è littore nauigare, ipsumque littus & oram liberare & soluere. vt enim ab Horatio scriptum est, *Mala soluta nauis exit alite*, quòd antè in littore retinaculo esset religata: sic cum eodem retinaculo ora ipsa æquè ac nauis ligata sit, eo sublato cùm incipit nauigatio, solui merito ora dicitur, vt & nauis. Vtraque enim ante vincta erat. Sed vt è diuerticulo redeam, myoparones lembi sunt piratici nomen adepti è Paro insula, & Myunte vrbe. nam & Paron nauigij genus est, & cõposito nomine Myoparon. Multo plura potuissem ex ea oratione huc conferre, sed his contentus sum, velut inde libatis primitijs dicatisque: reliqua & ab interpretibus eruditis, iam ante dicta sunt fœlici musarum alite, vt poëticum sermonem imiter, & quondam ab alijs, si quid reliqui restat, in eandem incumbentibus operam interpretandi Ciceronis dicentur nos scripta

Cic. ibid.
Cic. bid. Silius Italic. lib. 14. de bell. Punic.
Stephanus de vrbibus.
Stephanus de vrb. in Apollo. Diodor. li. 12.
Auson. Edyllio 15.
Cic. 7. in Ver.
Virg. 5. æneid.
Horat. epod. od. 10.

pta peruolitamus apum more, & leuiter eorum veluti flosculis insidemus.

Anaurus apud Lucanum, Enipheus, Ionus, Itonus, Qualis vbi hibernam Lyciam, apud Maronem. CAPVT II.

VIDETVR in Lucanum censoria destringi meritò virgula debere, cùm lib. 6. scribit,

Quique nec humentes nebulas, nec rore madentem
Aëra, nec tenues ventos suspirat Anauros. Lucan. lib. 6.

Anaurus enim ab eo vt Thessaliæ fluuius recensetur: & tamen, quod sciam, nec Strabo, nec Plinius eum nominat in Thessalia reddenda. Vnde igitur ingeniosissimo poëtæ natus iste fluuius est, qui à diligentissimis Geographis prætermissus est? videtur eum in errorem induxisse Apollonius, cuius versus est,

Apollonius li. 1. Argon.

Χειμερίοιο ῥέεθρα καὶ ἀμφ' ἤματι ἀναύρου.

Sed eo nomine non perennis nec iugis fluuius, sed torrẽs & hibernus intelligitur, vel eius interprete authore: cuius hæc verba subscripsi, ἄναυρον λέγει τὸν χείμαῤῥον. οἱ γὰρ ἐξ ὑετῶν ζωγράφοι ποταμοὶ οὕτω καλοῦνται· quin & ex eo nomen habere videntur, quòd nullas gignant auras. Lucanum tamen insciticæ (non enim in tam doctum poëtam cadere potest) magnis testibus absoluere possumus: Hesychio, cuius interpretatio est, ἄναυρος ὄνομα πόλεμου. & Callimacho, cuius versus est:

Apollonij interpres.
Hesychius.
Callimachus hym. in Dianã.

Αἰὲν ἐϑυχολέοντο μελαμφιφῖδος ἀναύρου.

Callimachi interpres.

Cuius interpres ait, ποταμὸς Θεσσαλίας ὁ ἄναυρος. Ergo Geographorum potius notanda est incuria, quàm poëtæ eruditissimi insimulanda diligentia. quòd si fluuius perennis non esset, tamen cùm certò quotannis hibernis mensibus alueo ex eminentissimis illis iugis decurrere rapidus soleret torrens, culpari poëta iure non posset. Fluuius autem iste Anaurus si nullas gignit auras, vt nominis confessio indicat, verum non est quod de Nilo à multis refertur, cuius hoc proprium esse credi volunt. In eo autem poëta Enipheus pro Enipeo scribitur, more Latinis celebrato, vt plerunque p, Græco aspirationem adiungant. Itaque etsi scio à multis Latinorum Enipeum scribi, tamen Enipheum illa Latini sermonis consuetudine etiam defendendum existimo. Sed cùm scribit, Lucan. lib. 6.

Primus Thessaliæ rector telluris Ionos,
In formam calidæ percussit pondera massæ:

vereor ne non Ionos, sed Iolcos legendum sit. Iolcus enim Iolco vrbi Thessaliæ nomen dedit. fuit & Itonos heros Deucalionis filius, à quo, vt ait interpres Apollonij, vrbs Thessaliæ nomen habuit: sed quod de Iolco Apollon. interpres.

& de Itono modo dixi, tale opto esse, vt in eo album prætoris corrupisse non videar. quanquam, si à vero aberramus, præstare nolumus: atque, vt in quibusdam alienationibus, istud mancipio, nec datur, nec accipitur, ne de euictione fortè teneamur. Sed ad supplementum huius capitis, vt è poëta aliquid addam, nobilis illa Maronis comparatio:

Virg. 4. Æneid. *Qualis vbi hibernam Licyam, xantique fluenta*
Deserit, ac Delum maternam inuisit Apollo:

sumpta est ex Apollonij libro primo,

Apollon. lib. 2. Argon. Οἷος δ' ἐκ νηοῦ θυώδεος ἔισιν Ἀπόλλων,
Δῆλον ἀν' ἠγαθέην, ἢ κλάρον, ἢ ὄγε πυθὼ.

quod quia luculentum mihi videbatur & insigne, idcirco dignum censui de quo iuuentutem admonerem. habet enim & nonnihil eruditionis attendere, quid è quo poëta aut scriptore bonus auctor sit imitatus.

Munimentis insistere apud Tacitum, constat ratio, dare famæ, flamines, augustales ludi, missionem dari, exauctorari, subsignani, pagi, vici, pagani, pagatim habitare, centuriones primorum ordinum.

CAPVT III.

VT si in Erythræo littore gemmas pelluentes legerem, ita quoque mihi visum est quædam legere è primo annali Taciti, quæ huius sint scriptionis & instituti: quędam etiam nitori suo reddere & tergere, quæ sordibus inquinata sunt, nec gemmarum nitorem præ se ferunt. *Sed quo pluribus*, inquit, *monimentis insisteret*: emaculabitur hîc tanquam vnio, si *munimentis* scribamus, cùm ista se ratione magis munijsse dicat. Cõstare autem ratio dicitur, quod genus dicendi vsurpat, cùm quãtum impensæ quibusque nominibus fiat, non ignoratur. Seneca, *fatebor ingenuè, quod apud luxuriosum, sed diligentem euenit, ratio mihi constat impensæ*: quod est, scio quantũ impendo. Hinc traducto genere dicendi aliam in sententiam perquam eleganter dixit Tacitus, *eam esse conditionem imperandi, vt non aliter ratio constet, quam si vni reddatur*. quo significat, non aliter bene imperium geri & administrari, quàm si vni ratio administrationis reddatur. Illa tanquam gemma pollienda est, quæ scabritia quadam & rubigine sordescit. *ne læti excessu principis, neu tristior primordio lachrymas*. quis enim non videt loquendi rationem sensumque non postulare tãtùm, sed etiam flagitare, *neu tristiores primordio*. sed verendum est ne quis nos algam & vluam, aut vmbilicos & calculos legere cauilletur, pro lapillis preciosis. *Dabat*, inquit *& famæ*: id Græcorum more dictum suspicor, præsertim Atticorum sic loquentium, vt Euripidis, ὅδ' ἡδονῇ δίδως: quod dicendi genus, vt dixi, Atticæ

Tacit. li. 1. annal. Seneca. Tacitus lib. 1. Tacit. lib. 1.

ticæ est eloquentiæ. Q. autem *Vedij Pollionis luxus*, à me hîc legi debere non diceretur, nisi non tam lapillus videretur gemmeus & pellucidus, quàm scabrum & putre rudus libros occupasse. Perpoliendum & illud, *grauius domui Cæsarum nouerca*, non multa lima. *grauior* enim concinnum erit. Quod autem ait, *effigie numinum per flammines & sacerdotes coli*, velut flaminum nomine principes sacerdotum & antistites intelligit, quibus sacerdotes parebant. Flamen enim erat augustalis, cui sacerdotes augustales subiecti erant. sacerdotium etiam augustalium sodalium postea institutum fuit, vt Tacitus refert. Illud autem non pro gemma habendum, sed pro topho rudi aut molari: *mox celebratio annuum ad prætorem translata*: sed gemmæ fulgorem & nitorem recuperabit, insignietque locum, si *augustalium ad prætorem*, expoliendo exculpas. radendum & illud lima, *præcipua in Ausidienum Rufum*: *Nasidienum* enim ad politionem erit accuratum, vt apud Flaccum, *Nasidieni qui iuuit te cœna beati*. ait idem, *missionem dari vicena stipendia meritis, exauctorari qui sena dena feciſſent*. quid hîc ergo interest inter missionem dare, & exauctorare? missio nimirum ijs datur, qui penitus dimittuntur. Exauctorantur, qui soluuntur stipendio, nec tamen dimittuntur: sed habentur sub vexillo, non sub aquila, aut signis legionis: neque iam legionarij sunt, retinentur tamen, donec emerita soluantur, aut agri assignentur. Sed & qui subsignis habebantur, à legionarijs distinguntur, & subsignani vocantur, quia non sunt sub aquila: Tacitus lib. 17. *Pœnino itinere subsignanum militem, & graue legionum agmen hibernis adhuc niuibus traduxit*. ait idem, *reliqui omissis pagis vicisque*: quid hæc duo differunt? nempe pagi villæ sunt, vici autem multæ iunctæ domus. Et in libro de moribus Germanorum, *eliguntur in eisdem concilijs & principes, qui iura per pagos, vicósque reddant*. atque ex eo regio quæ sic pagatim incolitur, pagus vocatur. quin etsi vrbes insunt & vici, quod origo à pagis, id est villis. Sunt & qui à Gręcis δῆμοι vocantur, vnde pagatim habitare Liuio. Erant & pagi castella quædam & munitiones iuxta Romam in locis editis, quô se plebs rustica hoste in agrum Romanum incursiones faciente, recipiebat: & in certos pagos erat contributa, vt Dionysius scribit. Cicero etiam in plebe Romana paganos & montanos numerat. Regio Heluetiorum in quatuor pagos erat diuisa, id est in quatuor partes: Plutarchus regionem quam Romani septem pagos vocabant, appellat ἑπταχώριον, aut ἑπταμόριον: Sueuorum apud Cæsarem plusquam cẽtum sunt pagi: eorum enim regio & ditio in eas partes diuisa erat. Illud Gręcæ facundiæ etiam est, *vt quibusque bellum inuitis aut volentibus erat*, quod est ὡς ἑκάστῳ ἢ βουλομένῳ ἢ ἄκοντι πόλεμος. Centuriones autem primorum ordinum, cùm scribitur, *ac primorum ordinum centuriones*, sunt centurio primi

Tacit. lib. 1. Tacit. lib. 17 annal. Tacitus lib. 1. Tac. lib. de morib. Germ. Liuius li 22. & alijs multis locis. Dionysius, Cic. pro domo sua. Plutarchus. Cæsar. li. 1. & 4. de bell. Gall. Tacit. li. 1. annal. Tacit. li. 1.

Tacitus lib. 1. pili, primus princeps, primus haſtatus, quorum maior erat dignitas in legione. Iterum eodem libro, *Iuſtúſque Catonius primi ordinis centurio. Proruunt* autem *foſſas*, nauſeam mouet, cùm hoc loquendi genus puteat. Igitur lego, *igitur orta die proruunt, foſsis ingerunt crates.*

Tacit. lib. 1.

Myrmillo, d in l mutari, fides, Semurium, ſtatua palmaris, Conſules deſignati primi omnium in Senatu ſententiam rogabantur. CAPVT IIII.

MYRMILLO in amphitrealibus ſpectaculis Gallica erat armatura: vox autem de Græco deflexa, vt quæ in aliud ſolum tranſplantata ſunt, ingenio loci & cœli mutantur, leuiter quoque mutata eſt. Nam quòd ea armatura fortiſſimorum erat hominum, quales opinione hominum fuerant antiqui Myrmidones Achillis milites, & habebantur Romanorum ſententia Galli, Myrmillonesque de Græca illa fortiſſima natione appellabantur: idcirco gladiatoribus hoc nomen hæſerat. Nam d in l mutari Vlyſſes perſpicuè oſtendit, qui eſt Græcè ὀδυσσεύς, ne plura commemorem. hæc ſic venit in mentem mihi inueſtigare legenti in 6. Philippica.

Cic. 6. Philip. *Etiámne ab hoc Myrmillone Aſiatico ſenatus mandata, legatorum verba audientur?* qua quidem in oratione illud, *ô fides! hoc enim opinor Trebellium*

Cic. 6. Philip. *ſumpſiſſe cognomen*: elegantiſſimam habet cum illuſione coniũctam diſſimulationem, veluti ironicè exclamãtis: ô bonum ſolutorem! Nam creditis in pecunijs fidei nomen plerunque ponitur: & quaſi fidei vocabulo

Cic. ibid. fingit cognominatum Trebellium, qui malum tamen nomen, & malus ſolutor, & fraudator, inficiatorque erat. *ijs quoque*, inquit *diuiſit, Semurium*, ſic vocabatur ager quem poſt exceſſum ſuum populo Romano reliquerat Larentia. Turacem enim Semurium, Lincerium, Solonium Pop. vt à

Macrob. lib. 1. Saturn. cap. 18. Macrobio ſcribitur, legauerat teſtamento. ſubijci, *Sed illa ſtatua palmaris.*

Cic. 6. Philip. Palmarem autẽ hîc ſtatuam accipio, nobiliſſimam, maximeq; inſignem, vt quæ victori palmamque adepto honoris ergo ſtatuitur: quẽadmodum victoribus Olympiæ ponebantur: atque hîc non leuiter perſtrinxit Lucium Antonium orator, vt gladiatorem, ſed atrociter oratione vulnerauit. *Primus*, inquit, *in hoc ordine, quo ad magiſtratum iniret, ſententiam dicere*,

Cic. 6. Philip. Solebant enim Conſules deſignati primi omnium in Senatu ſententiam rogari, vt & apud Salluſtium in Catilinario his verbis ſcribitur: *Tum De-*

Salluſtius in Catil. bell. *cius Iunius Sillanus primus ſententiam rogatus, quòd eo tempore Conſul deſignatus erat, de ijs qui in cuſtodijs tenebantur*. Ænigmatis autem inuolutum & implicatum cõtinere ſenſum videtur, *nequitia eſt ſcelere*: quod hanc complectitur, vt exiſtimo, ſententiam, recte facere ſcelere, nequitia eſt. vt cùm

Cic. 6. Philip.

quis per ſcelus partas opes, nequiter profuſeq; diſperdit, rectè facere videtur quam quidem interpretationem cum hac exceptione accipi volo, ſi incolumis eius loci & ſalua integritas eſt. Nam vt addubitem, facit Muretus, qui paruam quandam in libris vetuſtis ibi patere lacunam affirmat.

Ennam, En vnquam, En iam, Inebra, Inebre aues, Nyctegreſia, anclabris, egeria, Ciſtophorus, endiæon, enema, clyſter, exterricineus, expretus, explicatus Plautus, ſumptum excercere, erctum citum. CAPVT V.

COMPENDIVM Feſti in Verrium legens, incidi in literam E, cuius vocabula percurrens, quædam quæ occurrebant, mihique non indigna attentione & hominum cognitione videbantur, velut aliud agens enotabam. Scribit igitur, *Ennam* eſſe etiámne, videlicet, vt en vnquam pro vn-

Feſt. li. 5. in litera e. quam ne, Maro. *En vnquam patrios longo poſt tempore fines.*

Virg. Eclog. 1. mihi videbatur Plautus in Penulo ennam vſurpaſſe prima ſtatim ſpecie

Plaut. Pœnu. Sc. Negotij ſibi. hoc in verſu,

Neque vnquam lauando neque fricando ſcimus facere ennam.

ſed in membranis peruetuſtis reperi, en iam: quo quidem verba exprimuntur eorum, qui aliquo perfuncti negotio ſunt, ad finemque rei peruenerunt: En iam perfeci, En iam laui. *Enubro*, inquit Feſtus, *inhibenti*: alio

Feſt lib. 5. in litera e. loco *inebr.as aues* dicit, quæ in augurijs prohibent, ac omnia tardantia &

Feſt. li. 9. in litera i. remorantia inebra vocari. ſic E & I hîc ſine diſcrimine ponuntur, itemque V, & E. *Egeriam dictam eſſe ſcribit*, quòd aluo cõceptum egerat: aluo enim

Feſt. li. 5. in lit. e legendum cenſeo, non aluum: & *anclabris, ex qua in ſacrificando dijs anclatur.* velabra eo in libro, quod adnotandum & attendẽdum diligenter eſt,

Feſt lib. 5. in litera e. legimus ventilabra eſſe, proinde quaſi vocabulo imminuto curtatoque

Feſt. ibid. li. 5. extrita videlicet ſyllaba. Nyctegreſia, ea Homeri rhapſodia vocatur, qua

Feſt. ibid. lib. 5. maximo metu perculſis omnibus & cõſternatis ob offenſionem pugnæ, noctu in caſtris ab Agamemnone excitantur è ſtratis duces, & ad concilium vocantur. Denarius Romanus parum aberat quin duplo ſuperaret æſtimationem Ciſtophori Aſianorum nummi, ſic appellati, quòd in eo ciſtiferi eſſent ſculpti, qui ſacrorum myſticorum ciſtis incluſorum arcana ferebant, vt in Cybelæ myſterijs, Bacchi orgijs, Cereris initijs. quatuor enim denarij ſeptem ciſtophoros cum ſemiſſe valebãt. Feſtus, *Euboicum*

Feſt. ibid. li. 5. *talentum numo græco ſeptem millium & quingentorum ciſtophorûm eſt, noſtro*

Feſt. ibid. li. 5. *quatuor milliûm denarium. Endiæon*, inquit, *lineum filum eſt, quod Medici in extremo clyſterio relinquunt, per quod clyſmos emittitur*. ſic Græci foramen vocant in naui, per quod emittitur ſentina: vnde & per tranſlationem, vt

opinor, medici in clysterio, id est instrumento, quo aluus perluitur, sic vocarunt. Aliud enim enema, quàm clyster & clysterium. illud, id quod
Fest.ibid. li.5. inijcitur: hoc instrumentum quod inijcit. *Exterricineus*, inquit, *est qui ante tempus natus, vel potius eiectus est.* Is ergo est qui à Græcis ἠλιτόμηνος voca-
Fest.ibid.li.5. tur, qualem fuisse Euristheum Homerus canit. *Expreta*, inquit, *antiqui dicebant, quasi experitia habita*: hinc illud Bacchidum Plauti explicãdum: est
Plau.Bacchid. Sc.Nunc.experiar. *It magister quasi lucerna, expretus uncto lintheo*:
id est expertus: experimur enim lucernas uncto lintheo, quam bene luceant accenso ellychnio: non me latet tamen quosdam emendare in Fe-
Fest.lib.5.in litera e. sto *experta*. *Exiles & ilia à tenuitate inarum* in Festo lego. *Exercirent*, inquit, *id est sarcirent*: hinc in Terentio scribendum aliquando credidi, quod
Teren.Heautont.act.1.Sc.1. & quibusdam video persuasum:

Qui opere faciundo sumptum exercirent suum,

D.Ambros.2. officio. id est *sarcirent*. Verùm Diuus Ambrosius lib. 2. officiorum scribens, *sed direptione alicuius & amissione patrimonij in eam recidere iniuriam, vt sumptum exerceere non queat.* Exercere sumptum vsurpat, Terentium imitatus, nisi mendum in eo quis putet: quod non censeo. nos igitur sumptum exercirent non ita amplectamur, vt exercerent sumptum damnemus: præsertim cùm dicatur, vt à Græcis ἔστιν ἔργα ζεσθαι, ἔργα ζεσθαι τὰ ἱππικά. *Exercionem, exercitum*: emendandum reor sic, *exercitionem, exercitationem*: &,
Fest.lib.5.in litera c. *equo publico merere. Erctum, citum*, inquit, *inter consortes, vt in libro legum Romanarum legitur.* Id autem valere arbitror, patrimonium diuisum, diuisam
Fest.ibid. hereditatem. scribit enim Seruius in iure esse scriptum, *ercto non cito*, quod
Serui.in oct. interpretatur matrimonio vel hæreditate non diuisa. *Exfilatum, exertum*,
Fest.lib.5.in litera e. lego: *quòd scilicet omnes exerto brachio sint exfilati, id est extra vestimentum*
æneid. *filo contextum.*

Collecta ἔρανος, repotia, παιδοτροφία, amphidromia, initiare.

CAPVT VI.

Cic.2.de Ora. LIBRO de Oratore secundo videtur apud Ciceronem collecta, esse pecunia quæ exigitur, cùm ita scribitur: *Ego verò, inquit ille, quoniam collectam à conuiua, Crasse, exigis.* Posset & eo nomine etiam conferi symbola, id est collatio quæ à conuiuis in cœnam aut prandium confertur, siue pecuniaria, siue penuaria sit. est etiam collecta, cœna quæ Græcis ἔρανος vo-
Auson.epist.ad Paulum cuius initium est. Ostrea nobiliũ cœnis. catur, vt sodalium epulę, & accubatio epularis iuuenum, vt tetradistarum symbolam conferentium. Ausonius,

Aut parasitorum collectas Plautinorum.

Ad conuiuiorum classem etiam pertinent repotia, de quibus Horatius,

—licebit

—licebit Ille repotia, natales, aliósve dierum Festos albatus celebret. Horat. lib.2. saty 2. Festus quoque Pompeius, *repotia postridie nuptias* interpretatur, *cùm apud nouum maritum cœnatur, quia quasi reficitur potatio*: affertque exemplum Pacuuij, *ab hoc depulsum*
Fest.li.36.in litera r. *mamma pædagogandum accipit Repotialis liber.* Et interpretantur Grammaticorum tribules, septimum à nuptijs diem, quo iterum epulabantur: alij secũdum, quo virgo in muliebrem habitum componebatur. Sed crediderim etiam repotia celebrari solita liberis natis, & cum maritis noua quotannis propè soboles nascatur, vt renouanda sit epulatio, idcireo ea conuiuia repotia appellata: cui interpretationi Pacuuij exemplum non repugnat. nec verò Auidieni personæ conuenit nuptiale conuiuium: ea nisi me fallit augurium, dicere voluit Acro Grãmaticus, παιδοτροφία Græcè vocari, velut sublatis & susceptis liberis, & parentibus eos alere decernentibus. Nam in Græcorum potestate erat liberos exponere, nec
Acro in 2.sat. lib.2. Horat. alere. vt autem ita repotia interpreter, mihi persuadet Ausonius sic scribens:
Auson.ad Paulũ epist. Ostrea nobilũ cœnis. *Coniugióque dapes, & sacra repotia patrum.*

Ecce eorum epulas dicit, qui susceptis liberis facti sunt parentes. tum autem etiam serui & liberi munera dabant, quod Terentius significauit
Terent. Phormio. act.1.sc.1. cùm in Phormione scripsit,

Porrò autem Geta ferietur alio munere vbi hera pepererit.

dabant & nuptialia & natalitia. Amphidromia quoque, vt Grammatici Græci referunt, dies erat familiæ festus, quo natum puerum circum focum ferebant, propinquique & amici & familiares dona dabant, quas ferias Terentium in palliata fabula intellexisse crediderim. æquè è Græco-
Terent.ibid. Phormio.act.2. Sc.1. rum moribus, *vbi initiabunt*, intelligendum arbitror: non de Edulia Potica & Cuba. Nam Athenienses suos liberos Cereri & Liberæ initiare solebant, quod ita notum est omnibus, qui mediocriter in literis Græcis versati sunt, vt testimonijs confirmare velle, sit rebus non dubijs fidem quærere.

Parma, palma, palmilarius, squaror, squalor, hydromylæ.

CAPVT VII.

NON temerè est assentiendum illis etiam auctoribus, quibus in linguæ Latinæ castitate & integritate primæ omnium iudicio deferũtur. vel Varro ipse quam interdum in vocabulorum veriloquijs absurdus est. cui enim persuadere possit, ne alia cõmemorem, quæ quidem sunt huius ge-
Varr.lib.4. de ling.Lat. neris non pauca, in vite palmam dici, quasi parilemam? cùm potius, vt omnes mihi assensuros facilè confido, à similitudine humanæ palmæ nomen inuenisse videatur: argumento sunt palmites, qui in ea digitos palmæ referre reddereque videntur. quòd si origo palmæ quærenda est, à

parma

parma deductam crediderim. Itaque quæ in remis palmulæ vocantur, in maioribus etiam parmæ appellantur. Vitruuius libro decimo, *Etiam remi circa ſcalmos ſtruppis religati, cum manibus impelluntur & reducuntur, extremis progredientibus à centro parmis in maris vndis, ſummam impulſu vehementi protrudunt porrectam nauem.* Sic in chirographis ſcribitur: veteres tamen editiones *palmis* ſcribunt, quod & doctis magis probari videmus: *parmis* tamen non improbamus. equidem puto à parma palmam deduci: qui etiam à Latinis in ſpectaculis arenæ parmularius vocatur, à Græcis ſæpenumero παλμυλάριος appellatur. parma autem ſcutum erat breue vndique par: vt autem ex parma palma deducitur, ſic ex ſquarore ſqualor, ex furuo fuluum. Sed quoniam in Vitruuio nomen propè retinuimus, quòd omnes ferè eruditi in palmulam, aut palmam commutant: aliud quod in eo regnat, vitioque & inauſpicato in eo collocatum eſt, extrudemus, & in priſtinum locum veram vocem reducemus. ſic enim ſcribit eodem libro: *Eadem ratione etiam verſantur hydraulæ, in quibus eadem ſunt omnia, præterquam quòd in vno capite axis habent tympanum dentatum, & incluſum:* cùm hydraulæ ad ſymphoniam Muſicorum pertineant, & modulos cantuum, quis non ſtatim ſubolfacit alienã vocem & temerariam huc furtim irrepſiſſe? cùm autem molas aquarias deſcribere velit, Æmaro Rancoueto videbatur, quod & mihi quoq; mirificè placet, legendum eſſe, *verſantur hydromylæ*, id eſt molę aquarię. ac mihi quidem decretũ eſt in hac permanere ſententia, dum vel meliorem inuenero, quod vix ſperare poſſum, vel doctior aliquis probabiliorem attulerit, quod deſperare non debeo.

Vitru. lib. 10. cap. 8.

Vitru. lib. 10. cap. 10.

Adorati imbres, ſparſio, Craſſienus, bona fide, tetracolum, pinnirapus.

CAPVT VIII.

REPREHENDITVR à Seneca Muſa, vt affectatè & putidè loquutus, cùm ſifones dixit cœlo repluiſſe, & ſparſiones odoratos imbres vocauit: ſed cur obſecro odoratos imbres vocauit? an quòd odorati liquores vnguentaque & aromata ſpargerentur? vt Martialis ait,

Et Cilices nymbis hic maduere ſuis.

Et verum fortaſſe quis putet: conueni tamen qui adoratos legeret, quòd ſparſionem populus adoret imbrem ſimulantem. Statius de ſparſione, *hunc rorem veniens profudit Eurus: Quicquid nobile ponticis nucetis, Fœcundis cadit aut iugis Idumes: Quod ramis pia germinat Damaſcus.* ſubijcitque, *Non tantis hyas inſerena nymbis, Terras obruit, aut ſoluta pleias*: & paulò poſt, *Dũ noſtri Iouis hi ferantur imbres.* Iterum, *Diues ſparſio quos agit tumultus?* Itaque *adoratos*, id eſt populo optatos & ſalutatos ſupino & ſuſpicienti, iubilantique, libẽtius legerim. Eodem in Senecæ loco ſcribitur de Oſcio ad contumelias

Seneca l.b 10. declamat. in princip.

Mart. epig. 3. Amphitheatri.

Papin. lib. 1. Syluarum.

Papin. ibid.

Pap. ibid.

Papin. ibid.

Senec. lib. 1. declam.

tumelias omnibus inurẽdas nato: *Ille Paſtieno prima eius ſyllaba in Græcum mutata obſcœnum nomen impoſuit.* Non leue tormẽtum multorum ingenijs locus ille admouit. nomen enim Græcum quod obſcœnum ſit quærunt, ac miſerum in modum ſe quærendo fatigantes, laborem & operam lu-
5 dunt. Ego legendum ſuſpicor in cra cõmutata, vt Paſſienum ab eo Craſſienum appellatum fuiſſe, vt craſſum hebetem & tardum intelligamus. nec enim obſcœnum in libidine tantum dicitur, ſed etiam in omni turpitudine. Turpe autem eſt alicui tarditatis maculam illini & ſtuporis, quod illa deprauatione fiebat. Addit Seneca, *bona fide ſcholaſticus erat*: Id valet Seneca ibid.
10 ſine diſſimulatione. eum enim ſcholaſticarum declamationum non pœnitebat, genuſque dicendi declamatorium non diſſimulabat, nec forenſe affectabat, atque ſimulabat, quod ſophiſtæ alij faciebant. *Nulli non*, in- Senec. ibid.
quit eodem in loco, *poſt primum tetracolum præferendus*: hîc primum tetracolum per tranſlationem vocat Seneca quatuor primi nominis declama-
15 tores. ſunt autem tetracola conuerſiones quatuor membris comprehenſæ, vt tricola tribus: quæ tum ſunt elegantiſſima & argutiſſima, cùm pari paria paribus relata habent. Seneca alio loco, *& illud tetracolo: ſeruiebat forum cubiculo, prætor meretrici, carcer conuiuio, dies nocti.* Iterum, *hãc ideo* Senec. lib. 5. Controuer. 25. controuerſia & 9. declam.
20 *ſententiam retuli, quia & in tricolis, & in omnibus huius generis ſententijs, curamus vt numerus conſtet, non curamus vt ſenſus.* 2. declamat. Senec. ibid. lib. 5. Controu. & 9. declamat. 2. declam.

Pinnirapi cultos iuuenes iuuenesque laniſtæ,

cùm ſcribit Iuuenalis, ænigmata loqui videtur, cùm minimè intelligatur quis Pinnirapus ſit: ad eius verbi enodãdam notionem, illud fortaſſe Se- Iuuen. ſat. 3.
necæ valebit è libro tertio Declamationum: *& quidã ſic cum ſchema com-* Senec. 3. declam.
25 *poni cupiunt quomodo eſt aliti.* ſic enim in eo legendum eſt, non *ſcena* nec *alteri*. quidam igitur gladiatores auis quadam figura & ſchema in arenam prodibant, quibus cum Pinnirapi componebantur. Rectè tamen Pinnirapus exponitur retiarius, qui pinnam & ſummitatem galeæ myrmillonis appetebat, & ſe piſcem, qui in ea erat, petere clamabat.

30

Municipalis, principia, quadruplatores, auſpicandi gratia, ſiſtere templum, ſubſidia.

CAPVT IX.

VT municipales homines pro veris ciuibus non habebant, etſi donata ciuitate omnia municipia erant. ſic & equites municipales pro ignobilibus equitibus ponere ſolebant, quòd eorum non eſſet tantus ſplendor, nec tantæ diuitiæ, quantæ vrbanorum equitum. Iuuenalis, *municipalis* Iuuenal. ſat. 8.
35 *eques*, de Cicerone: & Tacitus libro quarto, municipalem adulterum pro Tacit. l. 4.
ignobili & obſcuro dicit. Eius verba ſunt, *ſéque ac maiores & poſteros municipalis*

Tacit.eod.lib. nicipali adultero fœdabat. Eodem in Taciti libro, principia ea caſtrorum loca ſunt, vbi tendebant magiſtratus, erantque ſigna legionum. ἀρχεῖα vocat Plutarchus in Galba. Plutarch.in Galba. ᾧ διέφθειρεν, inquit, ἐν τοῖς ἀρχείοις, ἃ πριγκίπια καλοῦσι ῥωμαῖοι. Varro de re ruſt. Varr.lib.3. de re ruſt.cap. 4. ego verò, inquit, *vt aiunt, poſt principia in caſtris, id eſt, ab his potius incipiendum temporibus, quàm ſuperioribus.* Nam in caſtris metandis principia primùm deſignabantur, vt prætorium & tabernacula tribunorum militum & legatorum, poſtea reliqua caſtra, vbi milites & equites tenderent: principiaque quod latus occupabant, primum munie- Marcellinus. batur parabaturque: ſed & principes etiam principia dicebantur. Marcellinus, *præſentibus Iouianorum & Herculianorum principijs & tribunis cauſas* Marcel.lib.22. *vehementius æquo bonóque ſpectauerunt.* Iterum, *Cùm arbetionem ſemper & ambiguum & prætumidum his quæſtionibus præfeciſſet, alijs ſpecie tenus cum principijs legionum præſentibus*, cùm in Eunucho Terentius ſcribit velut in acie & procinctu. *hîc ero poſt principia.* Donatus ſcribit, *ambigunt multi an in extremo agmine ſit hic locus, an in medio.* Sed videtur vltimus dici locus, cùm Romano more primi in acie eſſent haſtati, quos ſequebantur principes Triarijs aciem claudentibus. Locus igitur Triariorum à Terentio ſignificari videtur. Eodem in libro à Tacito ſcribitur, *tres vrbanæ, nouem prætoriæ* Tacit.lib.4. *cohortes:* qui locus Papinio lucem facemque præfert in ſoterijs Etruſci ſcribenti, *Ergo alacres quæ ſigna colunt vrbana cohortes.* Vnde quadrupla- Papin.li.1. Syluarum. tores ſint nominati, & vox ipſa vltro profitetur, & Grammaticorum Iuriſperitorumque non ceſſat declarare induſtria: locum tamen Taciti luculentum, qui ad eius vocis explicationem pertinet adſcribam. *Cõtra M. Lepidus quartam accuſatoribus ſecundum neceſſitudinem legis.* Igitur ab illa quarta, quam lex accuſatori pro præmio tribuebat, nomen inuenere. Le- Suet.in Iulio. cap.19. gimus in Tranquillo, quem locum alibi attingimus, prouincias minimi negotij mãdatas conſulibus fuiſſe ſyluas & calles: ſyluę autem illę & calles ferè in Apulia & illo Italiæ tractu erant. Callium autem nomine, ſaltus intelligo vbi paſcere pecora ſolebant. Nam in ſaltibus ſunt calles, à Tac.lib.4. callo pedis pecudum appellati. Id è Tacito intelligere promptum: *Et erat*, inquit, *in ijſdem regionibus Curtius Lupus quæſtor, cui prouincia vetere ex more, Calles euenerat.* Solebant veteres primo die, quo honorem inibant, Tacit.lib.4. munus magiſtratus ſui auſpicari, aliquidque in ſpeciem agere. Tacitus, *cæterum poſtulandis reis tam continuus annus fuit, vt feriarum Latinarum diebus præfectum vrbis Druſum auſpicandi gratia Tribunal ingreſſum, adierit Calpurnius Saluianus in Sextum Marium.* ſic auſpicabantur artes ſuas anni initio omnes. Ouidius, Ouid.lib.1.Fa- ſtorum.

Tempora commiſi naſcentia rebus agendis,
Totus ab auſpicio ne foret annus iners.

Quiſque

Quiſque ſuas artes ob idem delibat agendo,
Nec plus quam ſolitum teſtificatur opus.

Vt apud Feſtum ſiſtere fana, eſt in oppido loca futurorum fanorum conſtituere: ita apud Tacitum ſiſtere templum, eſt templum conſtituere. differt autem hîc fanum à templo, quod illud area ſit templi & ſolum, templum ædificium. verba Taciti ſunt, *Cùm diuus Auguſtus ſibi atque vrbi Ro-* Tacit.lib.4. *mæ templum apud Pergamum ſiſti non prohibuiſſet.* Reperi in eodem Taciti libro ſubſidia pro locis in quibus nauigia ſubſidere poſſunt, & ſtare & ſuffugia habere. Ita ſubſidium ſimile quiddam eſt portui & ſtationi, etſi minus: eius verba ſunt, *quoniam importuoſum mare, & vix modicis nauigijs pauca ſubſidia*: hæc ſubſidia Græci videntur ὑφόρμους appellare. Tac.lib.4.

Præſiderare, ſidus confectum, conceptis verbis iurare, præiuratio, Neptunus ægæus, ſimulatrices, ſimpulatrices compilare, pica, picati, anclare, arferia, blemij. CAPVT X.

CONFVSAM quandam verborum ſyluam hoc caput complectetur, nec ordinis & connexionis rationem habebit, ſed perturbationis & diſtractionis. *Præſiderare* dicit eſſe Feſtus, *cùm maturiùs hiberna tempeſtas mo-* Feſt.lib.14.in *uetur & ante ſideris tempus*: ſimilis eſt apud Plinium prochimaſis, cui con- litera P. traria epichimaſis eſt: in illa enim præcurrit tempeſtas, in hac poſt venit: Plin.lib.18.c.25. atque vt illud præſiderare eſt, ſic hoc poſtſiderare dici poſſet: etſi Feſtus id in hyeme, Plinius in anni tempeſtatibus accipit. Quòd autem à ſideribus oriri videantur tempeſtates, cùm hæ præteriere, redditaque cœlo eſt ſua ſerenitas, confectum ſidus dici ſolet, vt idem Plinius auctor eſt. conce- Plin.ibid. ptis verbis iurare ad diſcrimen dicitur eius iuriſiurãdi, quod ſermoni ſubindenoſtro intexímus & inſerimus, vt cùm mediusfidius, me hercule, ita me Iuppiter amet, ædepol dicimus, aut vltro ſponteque ſacramentum fidei, aut adſeuerationis religiosè addimus. verbis enim conceptis iuratur, id eſt, verbis certa comprehenſis formula. Nam concipere comprehendere eſt. Hoc iuſiurandum multò religioſiùs erat, quàm reliqua: huius generis erat & præiuratio, cùm quis ante conceptis verbis iurabat, poſt quem alter in eadem verba iurans, tantummodo dicebat, idem in me. huic igitur præiurationi, quæ ſpecies eſt iuſiurandi conceptis verbis, addebatur, vt apparet, execratio. eam enim verbum, idem in me, continet. Iuſiurandum autem ſanctius, & habens execrationem, caputque iurantis, ſi contra faxit deuouẽs, apud Salluſtium etiam hoc eſt in Catilina, *cùm ad* Salluſt.in Cat. *iuſiurandum populares coniurationes adigeret, humani corporis ſanguinem pateris circuntuliſſe: Inde cùm poſt execrationem omnes deguſtaſſent.*

Nereidum matri, & Neptuno ægæo,

Virgil. 3. æneid. à Marone libro tertio Æneidos ſcribitur, Ægęusque appellatur, vt opinor Neptunus, quòd magna veneratione Ægis, quod oppidum eſt Eubœæ, coleretur. Eius rei locupletem dare auctorem poſſum Homerum,

Homer. iliad. v. qui vt reor auctoritatem non defugiet, cùm ſcribat Iliados v. de Neptuno,

—Τὸ δὲ τέτρατον ἵκετο τέκμωρ
Αἰγὰς, ἔνθα δέ οἱ κλυτὰ δώματα βένθεσι λέμνης,
Χρύσεα, μάρμαιρόντα τετεύχαται ἄφθιτα αἰεί.

Mulieres quæ olim alios erant ſolitæ expiare, vt eos qui ad dementiam delapſi erant, ſimulatrices vocabantur, opinor quòd multa ſimularent, & ſimulatis pro veris vterentur, quod & in ſacris facere ſolebant:

Virg. li. 4. æneid. *Sparſerat*, inquit Maro, *& latices ſimulatos fontis auerni.*

Feſt lib. 17. in Simpulum. Erant & ſimpulatrices mulieres rebus diuinis deditæ, à ſimpulo ita vocatæ. Picæ apud Feſtum ſunt Sphinges: vnde & apud eum picati: quãquam & pici, ex ſe picatos propagare poſſunt, qui Latinis ſunt auidæ illæ volucres; feræ griphes vocatæ, aurum è cauernis penitus egerentes. Pilare & compilare dubium non eſt, quin à verbo Græco deducantur Æolico πιλητὴς, id eſt fur, qui φιλητὴς ab Heſiodo vocatur: ſed Aeolum eſt aſpirationes in tenues mutare, vt & in ſuperiore vocabulo, pro σφίγξ, doricè φίξ, & Aeolicè πίξ, vnde Latinum verbum pica & picatus. Multi cenſent anclare & exanclare, dicendum eſſe antlare & exantlare, à verbo Græco ἀντλεῖν, à quibus diſſentio: & anclare puto eſſe anculare, id eſt haurire, & miniſtrare: vnde & ancillarum nomen. Liuius, *florem anculabant liberi ex carcheſijs.* quòd ſi ab ἀντλεῖν deducitur, vt Feſto videtur, certè litera mutatur. arferia aqua quæ à Feſto vocatur, ab adferendo nomen habet, nam Priſci præpoſitionem ad in ar ſæpenumero mutabant: vnde & arceſſo, & arueho apud Catonem. eſt igitur arferia, velut adferia. Blenni qui dicuntur, ſic vocantur, vt mucoſi, id eſt βλεννώδεις: balathrones Gallicum peperere verbum paulũ tamen luxatum. Nam bellitrones dicimus: vernacula enim noſtra dictio, balathronem potius ſapit, quam bliteum.

Heſiodus.

Liuius Andronicus apud Feſt. lib. 1. in litera a.

Feſt lib. 1. ibid.

Cato. de re ruſt. cap. 135.

Feſt. lib. 2. in litera b.

Paſceolus, iudicem collocare, molucrum, mola, picus Martius, picus Feronius, œſus, pullaria, clauator, colones, Camellæ virgines, feſtus dies hominis, profeſtum facere, molleſtræ.

CAPVT XI.

Virg. li. 2. æneid. Feſt. lib. 14. in litera p. CAPVT hoc ſe comitem præbebit ſuperiori, paſſibus, vt poëta dicit, æquis: qui dicitur paſceolus, à verbo græco φάσκολος & φασκώλιον deducitur: quod verbum Feſtus retinuit qui ſcripſit, phaſcola eſſe, quas alij vocant

vocant peras. Iudicem collocare, eſt inter iudices ponere: Feſtus, *in Iudice collocando, ſi alium procas.* Sic arbitrum collocare diuus Vigilius dixit, *Poſſumus & rei inexpertæ arbitrum collocare.* Molucrum inter cætera illud mulierum vitium ſignificat, quo earum intumeſcit vterus, vt fœtu grauidarum: Alij ſcriptores molam vocant, ſed Afranius apud Feſtum molucrum appellat. Vulgò in picorum generibus Martium audimus, veteres etiam picum feronium non tantum Martium numerauere, vt in oſcinibus refert Feſtus, *Aſt quid erit quod extra magiſtratus cærator heſus ſit,* inquit in legibus Cicero: vbi emendandum cenſeo œſus ſit, pro vſus ſit. nam Priſci non rarò pro u, œ poſuerunt, vt pro munire, mœnire: pro mutuus, mœtuus: pro murus, mœrus: pro vti, œti. Feſtus, *Ex ponderibus publicis, quibus hac tempeſtate populus œtier ſolet.* Martianus tamen eſſe putat oiſus ſcribendum. Nam de litera i diſputans, *i copulatur,* inquit, O *literæ in nomine Iouis, & Oinone: oiſus etiam dicitur. Sic enim veteres vſum dixere.* Pullariam dicit Feſtus à Plauto appellatam fuiſſe manum dextram, opinor à tentandis palpandisque pullis, id eſt pueris, qualis erat pædiconum proteruorum manus, qui pullariam facere dicebantur. Quę oſculana pugna à Feſto appellatur, & prouerbij loco numeroque refertur, de ijs qui victi vincunt, ea Aſculana potius dici debere videtur. nam ad Aſculum ea depugnata pugna fuit aduerſus Pyrrhum, ſi Plutarcho credimus: quanquam apud Feſtum ordo ſeriesque verborum oſculanam tuetur. *Vinceretis ceruum curſu, & grallatorem gradu,* ſic in exemplaribus hic verſus legitur, & à Feſto profertur: quod tamen in mẽbranis peruetuſtis reperi, non indignum viſum eſt memoratu. *Et clauatorem gradu:* eſt autem clauator qui claua vtitur, qui κορυνήτης Græcè vocatur: ſed à Romanis calones, qui ligneas clauas militum gerebant, ſic vocabantur. magnum autem eorum gradum fuiſſe certum eſt. quid autem vetat vtranque lectionem reperiri in exemplaribus, & deffendi, cùm Feſtus grauaſtellus modò legat in eodem verſu, modò rauiſtellus? Camellæ virgines apud Feſtum ſunt, mutatione g in c, γαμήλιοι θεαί.

Feſt. lib. 14. in litera p. Feſt. lib. 13. in litera o. Cic. 3. de legib. Feſt. lib. 14. in litera p. Martianus. Feſt. lib. 14. in litera p. Feſt. lib. 13 in litera o. Plutarch. in Pyrrho. Plaut. Pœnulo Sc. 1. ita me dij ament. Feſt. lib 7. in litera g. Feſt. lib. 7. & 16. in liter. g & r. Feſt. lib. 3. in litera c.

Celſi prætereunt auſtera poëmata Rhamnes,

accommodata equiti attributione vocabuli dictum eſt. Celſus enim, vt ait Feſtus, à Græco κέλης deducitur, quo vocabulo ſignificatur qui ſingulari equo vehitur. Celſos etiam Iudices Marcellinus dixit libro vigeſimo octauo. & *Iudicibus celſis itidemque minoribus.* ſic fortaſſe Celſi Rhamnes magni ſunt equites, aliisque ditiores & potentiores. Quod ſcribit Feſtus, *deſertiones eſſe patrimonij diuiſiones inter conſortes*, veriùs putarem diſortiones, vt conſortioni opponantur. Feſtus dies hominis apud Terẽtium, mira quadam & noua dicẽdi ratione, pro fauſto homine & auſpicato & optato

Horat. in Art. poëtic. Feſt. lib. 3. in litera c. Marcell. li. 28. Feſt. lib. 4. in litera d. Terẽt. Eunuc. act. 3. Sc. 5.

tato dicitur, translatione ducta à diebus festis: contra profestum facere, referente Festo, dicebatur, qui ferias vitiabat, & profanabat inauspicatasque reddebat & profanas. *Molestræ*, inquit Festus, *erant pelles ouillæ quibus tergebantur galeæ*. Sic Latini vocabulum Græcum deprauarunt, & è μιλωτὴ Molestram interpollarunt.

Fest. lib. 14. in litera p. *Fest. li. 11. in litera m.*

Supremam dixit, male, interbibere, doliaris, suffarcinatus, igitur, vxor vsuraria, ni pro ne. CAPVT XII.

QVICQVID argutum est in poëtis, ferè ignorata antiquitate nesciri necesse est, & si vspiam corruptum, sarciri non potest. Id adeò venit in mentem mihi ex quodam Plauti versu, in quo condimẽtum illud Romani saporis desideratur, vetustatis inscitia. Sed versum proponere è re fuerit,

Plaut. Asinaria Sc. Cur me retentas?

Mater supremum mihi tua dixit, domum ire iussit.

hîc supremum si legamus, quod exẽplaria occupauit omnia, nihil vt opinor, elegans eliciamus: sed suspicio non leuis animum sollicitat, supremam legendum, atque è Iudiciorum id consuetudine à comico dictum esse. Nam posteaquam præco supremam dixerat, dimittebatur Iudicum consessus, vt à Donato annotatum est, quod hic Plautus imitatur. Mater, inquit, supremam dixit tempestatem, & ilicet pronunciauit, domumque ire iussit. Sed vt hîc cognitio antiquitatis, subsidio fuit, & adiumento, non ad explicandum solum locum, verumetiam ad sarciendum: ita in alio eiusdem comici loco vtilitati erit ad exponendum intelligentia antiquorum verborum. Nam, malè, alio plerunque sensu, quam hodie vsurpabant. hinc illud comici Plauti,

Donat. in And. Terent. act. 3. Sc. 1.

Hæc nox scita est exercendo scorto conducto malè.

Plaut. Amphitruone Sc. Qui mæ alter est. Hîc malè est, magno pretio: quod si quis interpretatiunculam hanc subleste fidei esse putat, patronum habebit Donatum in Eunuchum Terentij, qui, vt opinor, auctoritatem non defugiet, & facilè eam hominibus probabit. Sic interbibere, pro bibere, vel etiam totum bibere, antiqua dicendi ratione Plautus eodem, quem iam sæpius appello, Donato auctore dixit in Aulularia.

Donat. act. 1. Sc 1. in Eunuch. Plau. Aulul Sc. Nimium libenter audini.

—*præterea tibicinam*
Quæ mihi interbibere sola, si vino scatit,
Corinthiensem fontem Pirenen potest.

Nos quidem emendicamus ex eius commentario, vnde parietem istum dealbemus, quòd quæ in eo reperimus renouanda esse credimus, & vsui commendanda, vt ex obseruatione tanti doctoris, & traditione loci illi Plautini cõmodius posthac enarrentur: quibus addemus & eundem Donatum

Donæ in And. act. 4. sc. 5.

natum doliarem anùm in Plauto in illo versus membro,

Plaut. Pseud. Sc. Hi loci sunt.

Doliarem claudam, crassam, exponere suffarcinatam, & præpinguem, tumidamque & obesam, & tanquam suffartam, credo de ventre doliorum tumidiore. nã ita à Paulino suffarcinatus & intelligitur & vsurpatur sic scribente, *Suffarcinatos arcta non capiunt.* Igitur, pro deinde in eodem comico ex archaismi obseruatione exponit homo idem literatus eo in loco.

Paulinus.

Plaut. Amphit. Sc. Qui me alter est.

Sin aliter sient animati, neque dent quæ petat,
Se se igitur summa vi, virisque eorum oppidum
Expugnasse re.

Vxor autem in eo vsuraria, mulier ea est, qua quis vtitur, quamque accipit velut mutuatitiam: vt pecunia vsuraria, quæ ad vsum accipitur mutuo: & puer vsurarius apud eundem, catamitus quo quis vtitur. Sic de Hebudibus scribens Solinus, Regi negat vxorem esse suam, sed vsurpatitiam & mutuo sumptam. *Nulla illi*, inquit, *datur fœmina propria, sed per vicissitudines in quancunque commotus fuerit vsurariam sumit*: quem ego locum insignem nactus & accommodatum sensui Plautino admonitionis causa annotare decreui, vt qui vellet librum consuleret, & rem consideraret. Illud verò propè inauditum, ni pro ne positum ab eodem comico in Menechmis,

Plaut. in argumentis amphi. Plaut. Curcul. Sc. Beatus videor.

Plaut. Menæc. Sc. Ni mala, ni stulta.

Ni mala, ni stulta sis.

Quod quidem affirmare Donatus audet, & quis tanta fiducia est, vt contra tanti Grãmatici auctoritatem non ita esse pertinaciter pertẽdat? quanquam si cum subiunctiuo connecteretur, rectè cohæreret hunc in modum sententia,

Donat. in Eunucho. Terent.

Ni stulta sis, quod viro esse odio videas,
Tute tibi odio habeas.

Sed tanto auctori non placet in pendenti loquutionem esse, eam membratim fistenti carpentique minaciter.

Plaut. Menæc. Sc. Ni mala, ni stulta.

Ni mala, ni stulta sis, ni indomita inópsque animi.

Collocare nuptam, alternus, alternos gressus cunctari & niti, olla legit olera. CAPVT XIII.

QVOD è flamma cibum petere Terentius dixit, id equidem ad dapes referendum suspicor, quæ pro inferijs in rogum mittebantur: vnde Catullus scripsit,

Terent. Eunuc. act. 3. Sc. 2.

Vidistis ipso carpere è rogo cœnam.

Catul. epig. 55.

Quod quidem in illum poëtam Muretus politissimus & eruditissimus interpres animaduertit, Donato non satis perspectum. Cœna autem quæ à Catullo dicitur, ea est, quæ appellatur à Perfio funeris cœna.

Persius sat. 6.

—*Sed cœnam*, inquit, *funeris hares*
Negliget iratus.

Æquè illud in eundem Catullum pereruditè & percallidè est ab eodem Muretо perceptum, fuisse pronubarum officium nouam nuptam in lecto collocare, cùm Catullus scripsit,

Catul. in Epithalam. Iull. & Malij.

—*vos vnis senibus bonæ*
Cognitæ bene fœminæ, Collocate puellulam.

Nam & ad illum Terentij locum, vt maiorum auctoritate confirmatum sit quod ille scripsit,

Terent. Eunuc. act. 5. Sc. 5.

Deinde illam in lecto illæ collocant,

Dicit Donatus, *vide an aliquid deest legitimis nuptijs. Nam & ipsum verbum collocant proprium est, & adscribitur pronubis.* Alternum, autem, *hoc sanctæ fœdus amicitiæ*, est mutuum fœdus inter nos: atque præter cætera significata, non infrequenter ita accipi alternum videor obseruasse: at verò,

Donat ibid. Cat. ad Lesbiã.

Vix hostem alterni si congrediamur habemus,

Virg. 12. æneid.

Id est, secundus quisque: sic

Virgil ibid.

—*Alternos longa nitentem cuspide gressus*

dixit, pro passus alterius vulnerati pedis hastili sustentantem & fulcientem: Alter enim pes, qui saucius non erat, sine adminiculo firmos & liberos metiebatur gressus: dixit eleganter & Maronis imitatione Valerius Flaccus,

Valer. Flac. li. 2. Argon.

Alternos ægro cunctantem poplite gressus.

Catul. de mentula.

Nam quo pede ægrotabat, eò cunctantius deteriusque incedebat. Cæterùm, *ipsa olera olla legit*, prouerbij speciem habet, in eos qui quod se facere oportet, faciunt, vt cùm libidinosus, & salax, scortatur, & mœchatur, ebriosus potat. olera enim in olla coquuntur, quæ cum eis repletur, ipsa legere videtur, id est colligere. Mamurra igitur formianus adulter & nequam, cùm mœchabatur, id faciebat quod mentulam facere oportebat: sic enim ad infamiam eum appellat. Quinetiam illud,

Catul. de Lesbia.

O dij reddite mi hoc pietate mea,

Ex antiquorum consuetudine dictum attendi, qui sæpè à dijs pietatis suæ in ipsos, præmia mercedemque petebant, quod æquum esse videretur, à dijs eos faciliùs aliquid impetrare, qui numina piè colerent, venerarenturque sic apud comicum Plautum,

Plaut. Rudẽte. Sc. Nimio pol hominum fortunæ.

Hanccine ego partem capio ob pietatem præcipuam?

Et cùm in aduersas res, & calamitates inciderant, se deos læsisse arbitrabantur, & offendisse: exemplorum pleni sunt poëtarum libri. Iam verò,

Catull. in Ingratum. Plaut. Amphitruone Sc. Qui me alter est.

omnia sunt ingrata, cùm dicit, intelligit gratum hominibus nihil esse, nec ab eis grato animo quicquam accipi, vt apud Plautum,

Quoniam bene quæ in me fecerunt, ingrata ea habui atque irrita.

Quid

Quid quod, *qui vestrum exercet amorem*, esse videtur qui vsurpat & colit illum amorem, qui tuus est? hîc ergo minuti literatoris munere functus sum, qui ea tradidi, quæ vel balbi ludimagistri facilè explicarent: sed nos mysteria non enunciamus, neque in archanis recondita cistis orgia euulgamus, sed in triuijs iacentia tollimus.

Catul. ad amicum.

Bissenos dies altaria fumantia, equæ, omnia nuptiarum, minæ murorum, maior pars diei. CAPVT XIIII.

VELVT in aliquibus opportunis diuersorijs, in nonnullis Virgilij locis morabor, & vt qui iter faciunt non propinquis consistunt, sed longè distantibus hospitijs, sic ego in disiunctis interquiescam, his & illis velut domicilijs & mansionibus. Quod igitur scribit,

Virg. Eclog. 1.

Bissenos cui nostra dies altaria fumant,

In magna religione velut numinis potentissimi & præsentissimi, dictum est. Nam menstrua sacra dijs maximis celebrari solebant, atque eæ erant feriæ religiosissimæ, cum solennibus & anniuersarijs non satis esse putarent defungi sacris, sed memoriam cultus quot Calendis aut Idibus renouandam putarent: ea sacra Græci vocant ἔμμηνα. Sophocles.

Sophocles Electra.

Ταῦτ᾽ ἐμοὶ χρὴ ἴσχειν, ἢ μιλτοφαγεῖ
Θεοῖσιν ἔμμην᾽ ἱερὰ τοῖς σωτηρίοις.

Ne illud quidem sine Græcorum imitatione, vt alio diuertam à Marone dictum est

Virg. 1. Georg.

—*Eliadum palmas Epiros equarum.*

Sæpe enim Græci equos solent equas appellare, vt vel eodem Sophocle auctore patet. Is enim cùm ita de Oreste in Electra scripsisset,

Sophocles. Electra.

Κἀκεῖνος ἐν τούτοισι θεσσαλὰς ἔχων
Ἵππους ὁ πέμπλος:

Sophocl. ibid.

paulò post scribit,

—δεξιὸν δ᾽ ἀνεὶς
Σειρᾶφον ἵππον, εἶργε τὸν παρῳκίδιον.

Ita cùm ante equas dixisset, mox funalem dextrum subiũxit: quãquam interdum etiam ad Olympicum certamen mittebantur equæ. Celebratur enim Phidolæ Corinthij equa, quæ sine sessore palmam meruit. Et Epiri equas celebrat Gratius Maronem imitatus,

Grat. de venat.

Gratius.

—*quis Charnias contendere contra*
Ausit, vix merita quæ signat Achaïa palma?
Prima (inquit Maro) *& tellus est pronuba Iuno,*
Dant signum.

Virg. 4. æneid.

Non temerè est quod signorum & prodigiorum in nuptijs mentionem facit. Nam superstitiosa illa priscorum natio, cùm in alijs, tum in coniu-

Virg. 1. æneid. gijs vel maximè, omina obseruabat: vnde illud, —*primísque iugarat*

Papin. 2. Thebaid. *Ominibus*: & nuptijs auspices adhibebantur: Papinius quoque describens infaustas filiarum Adrasti nuptias commemoratis prodigijs, addit.

—*cunctos tamen omina rerum*
Dira mouent, variísque metum sermonibus augent.

Sed quasi in via mihi aliquid exciderit, vestigia relegens mea, quod ante

Virg. 4. æneid. in eodem libro est apud Maronem explicabo.

—*Iacent opera interrupta, minaéque*
Murorum ingentes.

Hîc minæ significant partes illas murorum, in quibus sunt propugnatores, hostibusque minantur, quæ ad emissionem telorum fenestratæ sunt· ἐπάλξεις ferè à Græcis vocantur. Ruffinus in Iosepho, *Et desuper eam minæ quidem binis, propugnacula verò ternis cubitis ambiebant.* Iterum, *In summo autem propugnaculis miníque erat ornata.* Rursus, *Et minas quidem binis cubitis, propugnacula verò ternis habebat.* Hinc longè proficiscenti occurrit, quò deflectendum sit, & deuertẽdum. *Nunc adeò melior quoniam pars acta diei:* vbi meliorem partem diei esse censeo, maiorem, quæ cùm transacta est, inclinat dies in occasum. Maior autem pars è duodecim horis septem primarum est, non supremarum, quæ cùm exactæ sunt, maior, & melior pars acta est: sed multo magis cùm exactæ sunt octo, vel nouem, vel decem horæ, vt cùm aduesperascit: quod tempus Turnus significauit: tamen exacta septima hora maior pars acta est, vel teste locupletissimo Iurisconsulto Paulo, qui ita scribit: *Cuiúsque diei maior pars est horarum septem primarum diei, non supremarum.*

Rufin. in Iosepho. Rufinus.

Virg. 9. æneid.

L. 2. ff. de verborum signif.

Infectum, corruptus, gignentia, altitudo ingenij, plerúsque exercitus, affinis.

CAPVT XV.

ANIMADVERTISSE mihi videor quędam in Iugurtha Sallustij non vulgaris, nec triuialis monetæ, quæ admonendæ aduertendæque iuuentutis gratia, inde excerpta, huc transtuli, & velut semina in alium trãsplantaui hortum, malè tamen pastinatum. Igitur, ne longiùs faciam, infectum nouo quodam modo, non quod factum non est, sed fieri non potest, dicit: eius verba sunt. *Sed Rex nihil iam infectum Metello credens.* Id est, nihil esse putans, quod non efficere Metellus posset. Non video enim quæ alia in eo loco sit vis, & notio eius vocabuli. Eodem modo & corruptus ab eo vsurpatur in oratione Lepidi: *ne alius alium principem expectantes ante capiamini, non opibus eius, quæ futiles & corruptæ sunt, sed vestra socordia, quam captum iri licet*: id est, vt ita dicam, corruptibiles, quæ corrumpi facilè

Sallust. in Iugurth.

Sallust. in orat. Lepidi.

facilè possunt. Idem etiam gignentia appellat insolito quodam more, non quæ gignunt, sed quæ è terra gignuntur stirpes, & arbores. Ac ne quis semel illum ita loquutum putet tantùm, exẽpla duo proferam. *Nam ubi,* inquit, *per loca æqualia & nuda gignentium.* Iterum, *& fortè in eo loco grandis ilex coaluerat inter saxa, paulùm modo prona, deinde inflexa atque aucta in altitudinem: quo cuncta gignentium natura fert.* Apuleius Sallustij exemplo gignentia vocat, quæ oriuntur nascunturq;, in libro de dogmate Platonis his verbis, *gignentiúmque omnium instar ceræ, formas & significationes ex illa exemplorum figuratione signari.* Idem mare magnum, quod intumescit inflaturque tempestate, in altumque curuatur appellat. *Nam ubi mare,* inquit, *magnum esse, & sæuire cœpit ventis.* In eodem libro altitudo ingenij non est, quæ à Cicerone animi altitudo dicitur, scilicet quædam animi excelsitas, & magnitudo in magnis rebus gerendis, & incõmodis capiendis & fortiter ferendis: sed eleganti nouitate, est profundus quidam, alteque demersus animi sensus, neque alijs patens, notúsue: sed penitus reconditus, quæ, nisi fallor, etiam à Græcis βαθύτης dicitur. Sic autem loquitur, *ad simulanda negotia altitudo ingenij incredibilis.* Est & illa velut vetusti saporis loquutio gustatu suauis. *Quæ postquam glorioſa modo, neque belli patrandi cognouit,* quo quidem in genere non est infrequẽs Sallustius, cùm in oratione Lepidi eodem modo loquatur, *vt nihil,* inquit, *glorioſum nisi tutum, & omnia retinendæ dominationis honesta æstimet.* quem ego locum non protulissem, nisi Iugurthinum mala manu lacessitum intellexissem: homines enim liberales & largi, de suo *copiam* ei adiecerunt: quasi ista orationis antiquę potius supplementa, quam dehonestamenta haberi debeant, cum quod scriptor noluit infarcis, & inculcas. Plerũque exercitum, pro magna exercitus parte idem dixit, sed plerunque in editionibus desideratur, vt intelligas emendatores librorum non tantùm largitores esse, sed etiam plerunque fures. Verbum enim hoc subduxerunt. *Exercitum,* inquit, *plerunque in ijsdem locis operiri iubet.* Affines vocat qui finitimos, & coniunctos possident agros: ea quoque vox placita non est, & confines scribere maluerunt, quod vocabulum, etsi in Republica Romana natum & vernaculum est: tamen non minus affinis natalibus Romanis se extollit. Sic autem scribit, *Interea parentes, aut parui liberi militum, vt quisque potentiori affinis erat, sedibus pellebantur.* Ista quæ negligentem laterent, non fallerent diligentem, non indigna credidi, quæ subitarijs istis commentarijs adscriberem.

Sallust. in Iugurth. gignentia.

Apul. de dogma. Platonis.

Sallust. in Iugurth. altitudo ingenij.

Cic. li 2. de officio.

Sallust. in Iugurth. altitudo ingenij.

Sallust. ibid.

Sallust. in orat. Lepidi.

Sallust. in Iugurth. affinis.

Sallust. ibid.

Tacita iudicia, idonei homines, thrax conductus ad cædem, compunctus notis threcijs. CAPVT XVI.

INTER-

INTERDVM cum magno ambitu honores petebantur aperta largitione, ob candidatorum contentionem, disciplinæ, & institutis patrijs legumque iussis repugnantem, populique tribus & centurias corrumpentem, Senatus decernebat, vt iudicium fieret tacitum in candidatos, quo vel antè damnarentur ambitus, vel eorum comitijs ratio non haberetur, quòd more maiorum petisse non viderentur. De hoc genere iudicij sic ad Atticum Cicero loquitur. *Senatus decreuit, vt tacitum iudicium ante comitia fieret, ab ijs consilijs, quæ erant omnibus sortita in singulos candidatos: magnus timor candidatorum.* hinc meridiana luce clarius illud redditur, quod intempestæ noctis vmbra videbatur obductum apud Ciceronem libro 2. Officiorum, *Quamuis enim demersæ sint leges alicuius opibus, quamuis tremefacta libertas, emergunt tamen hæc aliquando aut iudicijs tacitis, aut occultis de honore suffragijs.* hîc tacita iudicia, non arbitror alia esse, quàm quæ ex epistola ad Atticum eruta & in apertum prolata, ad declarationem huius loci accommodaui. sed operæpretium fuerit ex eodem Officiorum libro, totum detexere caput. Idoneos eo in libro homines vocat, locupletes & diuites, cùm scribit: *Et sæpe idoneis hominibus indigentibus de re familiari impertiendum, sed diligenter atque moderatè.* Atque ita, ne quis fortè meæ diffidat sententiæ, hoc Lactantius interpretatur, qui & stili sui acumen, in hæc Ciceronis verba distringit, cùm benignitas non sit, sed fœneratio quædam, & mercatura, largiri diuitibus, à quibus parem expectes gratiam, & vicem beneficij. Nam ea demum benignitas est & beneficentia, quæ gratuita non conducta beneficia collocat. Sed Lactantij verba subscribere, è re fortasse fuerit: Sic igitur ait, *Quid est idoneis? nempe ijs, qui restituere, & referre gratiam possint.* Deinde subdit, *Non enim idoneis hominibus largiendum est, sed quantum potest, non idoneis.* Iterum, *eodem modo rursus errauit, quo tum, cùm idoneis esse diceret largiendum.* At verò quod ait largitionem fundum non habere, id est, quod vulgò vsurpare solemus, abyssum quandam esse. Nam abyssus ex eo nomen inuenit, quòd fundo careat. scribit idem, *tamen ad eam ex epulis in cubiculum veniens, barbarum, & eum quidem (vt scriptum est) cõpunctum notis threicijs, districto gladio, iubebat ante ire.* hîc mihi videtur non satis habuisse, barbarum dixisse, nisi adderet compũctum notis threicijs: non quo eum seruum intelligeremus, sed vt in immani barbaria natum. Nam Thraces tales habebantur. proinde in Pisonem scribitur, *consulem vestrum tanquam aliquem Thracem ad cædem faciendam conduceret.* Hoc autem obiter dicendum est, vt Romani Imperatores prætorianis militibus & centurionibus ad cædem vti solebant: sic olim tyrannos Thracibus earum rerum ministris & satellitibus vsos fuisse. Hesychius πάλλεις, ὅτως ἐκαλοῦντο μισθοφόροι θρᾷκες, τοῖς βασιλεῦσιν οἱ τὰς φονικὰς χειρας πλη-

Cic ad Attic. lib. 4. ep. 3. à fine.
Cic. 2. de offic.
Cic. 2. de offic.
Lactant. li. 6. cap. 11.
Lactant lib. 6. cap. 11.
Lactant. lib. 6. cap. 12.
Cic 2. de offic.
Cic in Pison.
Hesychius.

πληρουῦντες. Thraces autem vt & aliæ quædam nationes barbaræ, se stigmatis notabant, vel, vt Cicero loquitur, notis compungebant. Strabo libro 7. κατάστικτοι δὲ ὁμοίως καὶ τοῖς ἄλλοις ἰλλυριοῖς καὶ θραξί. Phanocles etiam canit irrogatam à viris eam esse pœnam mulieribus in Thracia corporis notis pungendi, & scribellandi, ob Orphei necem, vt sceleris recordarentur. Inquit enim,

Cic. li. 2. de Offic.
Strabo lib. 7.
Phanocles.

Ἀς ἀλόχῳς ἔστιζον. ἵν' ἐν χροὶ σήματ' ἔχωσαι
Κυάνεα, συγερῇ μὴ λελάθοιντο φόνου.
Ποινὰς δ' ὀρφῆϊ κλαυθμῷ φιζωσι γυναῖκας.
Εἰσέπιγνῶ, κείνης εἵνεκεν ἀμπλακίης.

Vrbicus, exodium, trechedipna, sermo rotatus.

CAPVT XVII.

PLÆRAQVE sunt, quæ ne ab acerrimis quidem & intelligentissimis interpretibus attenduntur in auctoribus, sed propter vocabula non recondita prætereuntur, quale illud est Iuuenalis,

Vrbicus exodio risum mouet Atellanæ,
Gestibus Autonoes.

Iuuen. sat. 6.

Quòd enim vrbis & vrbici nomen passim strepit in verbis non abditis, nihil quoque clausum latere putant. At ego vrbicum existimo actoris quoddam genus significare, & certum quoddam poëtarum genus. Vt enim Satyræ Græcis Tragœdijs interponebantur, ita Tragœdijs Latinis ad exhilarandum spectatorem Atellanarum exodia interserebantur: nec histrionibus earum actus committebantur, sed honestis iuuenibus: quanquam fortasse tandem aliquando à mimis alijs & histrionibus fabulæ illæ actæ sunt: erantque hæ fabulæ vrbanissimæ, & vrbis iocos, elegantiamque imitabantur, & ab vrbe Atella nomen erant adeptæ. Itaque earum auctores vrbici, vt in eo, quem protuli Iuuenalis loco,

Iuuenal. sat. 6.

Vrbicus exodio risum mouet Atellanæ,

& earum auctores vrbici vocabantur: Martialis.

Mart. lib. epig. 98.

Quod non optimus vrbicus poëta.

Hinc & illud Fulgentij: Quidni enim eius adhibeamus testimonium ad eruẽdam antiquitatis notitiam? *Denique Beatinius augur dicere solitus erat, diuersarum vrbium honores similiter peragi vrbicario mimologo.* Hîc quòd mimis essent persimilia exodia Atellanarum, ad mimos eam rem transtulit, Atellanæ autem non totæ, sed earum actus aliquis Tragœdijs interponebatur è scena digressis Tragœdis: ita quòd extra Tragœdiæ, argumentum digressis Tragœdis agerentur, exodia vocabantur. Hinc exodiarius, Marcellinus,

Fulgentius lib. 2. mythologic.

Marcell. li. 28. Marcellinus, *vt in omni ſpectaculo, exodiario, venatori, aurigæ, & hiſtrionum generi omni.* In hanc velut coloniam adſcribam quoque illud eiuſdem ſatyrographi,

Iuuen. ſat. 3. *Ruſticus ille tuus ſumit trechedipna Quirine,*
Et ceromatico fert niceteria collo.

Hîc alia quidem omnia in procliui eſt verba explanare: tantùm trechedipna moleſtum habent explicatum. Nec verò qui trechedipni à Græcis dicuntur, magnopere ad ſenſum adiumento ſunt indagandum, nec quæ interpretes afferunt, qui veſtes paraſiticas accipiunt, quæ notio non conuenit, vel niceterijs, vel ceromatico collo. Ego gymnaſticas intelligo veſtes, quæ à curſu nomen habẽt, & cœna, vt perſtringat ruſticos Romanos acriter, qui tam dediti fuerint gymnaſticis, & Græcanicis exercitationibus, vt ijs propè vitam, & ſpiritum ducere viderentur, ad easque tanquam ad cœnam currerent: qua veſte etiam eſuritores fortaſſe græculi ad cœnam curſitantes vti ſolebant. Quare trechedipna, hîc iocoſo vocabulo

Iuuen. ſat. 6. Endromiden appellari reor, de qua alio loco ſic ſcribit,

Endromidas tyrias, & fœmineum ceroma:

Ecce hic Endromiden, & ceroma cõiunxit, vt modo trechedipna, & ceromaticum collum copulabat: vt vtrobique eandem ſententiam non ijſdem tamen verbis expreſſerit. Etiam appendiculam adiungam ex eodem

Iuuen. ſat. 6. ſatyrographo.

—Et curtum ſermone rotato
Torqueat enthymema:

Hic ſermonem rotatum eſſe arbitror, orationem conuerſione concluſam, atque comprehenſam ambitu: quod genus dicendi à Cicerone verſum, ab Ariſtotele

Cic. in Partitionib. Ariſtoteles. *συνεστραμμένον* appellatur: quo genere loquendi contorta oratio eſt, ideoque breuior, quam ſponte naturæ fuſa.

Principium galeatum, ſeſtertium, ocellata.

CAPVT XVIII.

Sulpitius Victor. Divvs Hieronymus libris ſacris prologum, antepoſuit cognomento galeatum: Id percontatione de viro clariſſimo Aemaro Rancoueto, cùm quærerem quid eſſet, reſpondit explicari à Sulpitio Victore, cuius hæc verba ſubſcribam: *vulgare* (de exordijs loquitur) *ſi tale ſit, quale eſſe poſſit in omnibus cauſis, nihil proprium perſonarum aut rerum, de quibus agitur. Quod idem & galeatum à quibuſdam vocatur, quoniam ita commune eſſe poſſit, vt in omnibus cauſis, quemadmodum galea ſeu galeatum, omnibus indigis poſſit eſſe commune.* Sed & ipſe Hieronymus id ſatis explicat, cùm ita ſcribit,

hic prologus ſcripturarum quaſi galeatum principium, omnibus libris, quos de Hebræo vertimus in Latinum, conuenire poteſt. Intelligit enim hoc principium tãquam omnium librorum communem eſſe galeam communeque procœmium, vt galeatum præſidium omnium cõmune eſt, & galeati omnes tuentur. Tranquillus ſcribit, Auguſtum cùm ſe exerceret, in extremis ſpatijs decurrere ſolitum, ſeſtertio vel lodicula inuolutum: hic ſeſtertium quid ſit, à Grammaticis quæritur, nec exponitur, ſed quiduis aliud inducitur. Ego ſeſtertium retineo, & eo nomine ſignificari puto operimentum duûm omnem in partem pedum & ſemiſſis. Paruum enim operimentum fuiſſe, è lodicula ſuſpicari licet. vt enim pes as dicitur interdum (Nam dupondius, qui duos aſſes valet, apud Columellam duos pedes ſignificat) ſic erit ſeſtertius duorum aſſium & ſemiſſis, id eſt duorum pedum & ſemiſſis: ſed & ſeſtertium interdum locum ſignificat duorum iugerum & ſemiſſis, quod iugerum ſit as. Plutarchus dicit Galbæ caput datum Patrobij, & Vitellij ſeruis, ab illis proiectum eum in locum fuiſſe, vbi qui à Cęſaribus interficiuntur plecti ſolent, qui locus ſeſtertium vocatus ſit: opinor de ſpatij modo. ſubijcit Trãquillus, Auguſtum ſolitum eſſe cum pueris minutis ludere ocellatis nucibuſque: de ocellatis, diuerſa Grammatici ſentiunt, & vt in re ignota emendationem comminiſcuntur, ac modo caſtellatis, modo oſcillis, modo oſcillatis, vel officulatis, vel officulis, ingeniosè, quis negat? reponunt. & quid non ariolantur & diuinant? Sed ocellatis probo, & in poſſeſſione eſſe iubeo: eo verbo veniunt auellanæ nucularumque genera, quæ ocellorum quandam præ ſe ſpeciem & rotunditatem ferunt: quanquam id non affirmo, & amplius pronũtio, quòd nondum mihi liqueat. Hanc vocem mutuo ſumpſit à Varrone Tranquillus vt exiſtimo. Nam Varro auctore Nonio ſcripſerat in Marcipore.

Columel lib. 4. cap. 1.

Plutarch. in Galba.

Suet. in Aug. cap. 83.

Altera exorat patrem libram ocellatorum.
Altera virum ſemodium margaritarum.

Varro apud Non. in Margaritum.

Pugna Cannenſis, ex Cannenſi caterua, imminutio, acclinis, felles pullaria, in cubiculo nola, myobarbum, ciſthus.

CAPVT XIX.

Caedem illam & proſcriptionem Syllanam, quæ vrbi Romanæ funeſtiſſima fuit & calamitoſiſſima, propter tot ciuium necem videntur appellaſſe pugnam Cannenſem veteres. Cicero pro Roſcio, *Te pugna Cannenſis accuſatorem ſat bonum facit. Multos cæſos non ad Thraſimenum lacum, ſed ad Seruilium vidimus.* ſed & oratores ex Cannenſi caterua, ignobiles vocabant, qui eo tempore multis cæſis, & facundioribus interfectis, aut

Cic. pro Roſc.

Fortunatian. mortuis, repentè extiterunt, & ad cauſas & iudicia acceſſerunt. Fortunatianus *quæ dicentem profectò Minutium, aut aliquem ex Cannenſi caterua, nemo ferret.* ſed exodiarij noſtro more ſumus, & alienos actus noſtræ fabulæ

Plaut. Ciſtel. Sc. Tum ante hac amani. inſerimus. Imminuere pudicitiam Plautus dixit, pro auferre: proinde in centone nuptiali Auſonius imminutionẽ vſurpauit pro primo congreſſu cum vxore, quòd tum virginitas imminuatur. Græci poëtæ non rarò ma-

Auſon. in Centone nuptiali. re & Oceanum appellant λίμνην. id eſt, ſtagnum, quod & ab Heſychio

Heſychius. obſeruatum eſt: eorum exemplo ſcripſit libro 10. Maro.

Virg. lib. 10. ænid. *Cùm pedes inceſſit medij per maxima Nerei*
Stagna viam ſcindens.

Virg. 10. ænci. Eodem libro legendum cenſeo *Arboris acclinis trunco*, potius quàm *acclinatus*, quem eundem errorem præclarè emendauit apud Horatium collega

Horat. lib. 2. ſaty. 2. meus vir eruditiſſimus Lambinus. Nam Virgilio hoc loco, acclinis, eſt

Cæſar. li. 6. de bell. Gall. quod Cæſari acclinatus: eius verba ſunt, *Atque ita paulum modo acclinatæ quietem capiunt*. Iterum, *huc cùm ſe conſuetudine acclinarunt*: malè

Cæſar. ibid. vtrobique reclinarunt excudi reor, contra auctoritatem veterum librorum, velut eodem loco haud paulò melius legetur veterum librorum fi-

Cæſar. ibid. ducia, *aut incidunt arbores tantum.* inſcribitur Epigramma Auſonij in Marcum pullariam, ſed integrior eſſet titulus in Marcum pullariam felem, vel ipſo auctore Auſonio qui ita ſcribit,

Quis Marcus? feles nuper pullaria dictus.

Auſon. epig. 73. Nam vt feles virginalis à Plauto dicitur, virginum raptor à felis rapacita-

Plaut. Rudẽte. Sc. Exi è fano. te: ſic feles pullaria raptor eſt puerorum & corruptor. Nam veteres pueros etiam pullos vocabant: hinc pullipremo, compreſſor puerorum & pædico, quod velut epithetum adiecit Lucillius ſubuloni, id eſt, pertuſori, & veluti ſubula perforanti ſubulam autem partem intelligo eam per tranſlationem, quæ honeſtè nominari non poteſt. Gùm autem Auſonius

Auſon. epig. 74. de fœdiſſima Venere ſcribit,

Et quam Nolanis capitalis luxus inuſit,

Satis indicat in illo ænigmate, in triclinio coa, in cubiculo nola: obijci Clodiæ oris obſcœnitatem, & omnem infandam libidinem, qua notati ſunt Nolani: vt cùm libidinoſa & laſciua eſſet in conuiuio, & quædam Venus Coa, in cubiculo à nulla obſcœnitate abhorreret. Myobarbum

Auſon. epig. 30. porrò quid ſit apud Auſonium in Lemmate Epigrammatis triceſimi, plurimos anxios habet: ego à mure putem verbum compoſitum & barbo, quæ vox ſignificat myſtrum, id eſt meſuram liquidorum ſeſcunciam pendentem, vt ſit tanquam muris cyathus. Ineſt autem & latet in mure myſterij ſignificatio, & barbo, quo in myſterijs Cereris legiferę vtebantur. hoc igitur lemma ſignificat myſtica Liberi patris nomina, & myſticam poteſtatem

poteſtatem. ſcribit Auſonius,

Auſon. epig. 122. *Dum Cyſton coſtúmque putat communis odoris:*

In quo alluſit ad mulieris fortaſſe genitale, quod etiam Græcè dicitur κύσθος, cùm alioqui etiam ciſthos ſit frutex, ex quo, vt ex proximo epigrãmate apparet, ſalgama fiebant, quæ non exhalant iucundum odorem, cùm ſalſamenta referant: ſub eo frutice hypociſthis naſcitur.

Tergemini honores, arma ancilia, factio, munitare, protinus, lyræ lyræ, eiuno, meus deus, lanea tracta, cras credo hodie nihil.

CAPVT XX.

CERTET *tergeminis tollere honoribus*, Initio carminum ſcribit Flaccus

Horat. li. 1. od. 1. nec grammaticorum expoſitio ferè cuiquam eſt ignota, facileq; eſt eam è libris cognoſcere. Ego meam iſta de re ſentẽtiam diſſimulare non poſſum: honores enim tergeminos pro maximis & ampliſſimis interpretor, vt cùm populus ingentem tollit plauſum aliquem honorans. nam ſæpe in hac notione hoc verbum à poëtis tritum animaduerti: Martialis,

Mart. li. 5. epigram. 93. *—tergeminum mugiat ore ſophos,*

id eſt maxima voce ſucclamet ſophos. Tibullus,

Tibul. lib. 4. 1. carm. *Illum tergeminæ nantem confinia mortis,*

Id eſt ingentis & multiplicis. hinc adeò id factum ſuſpicor, quòd quę tergemina ſunt, eadem ampla, & magna ſunt. hæc, vt opinor, interpretatio haud paulò ad poëtæ ſenſum accommodatior eſt, quam interpretum expoſitio: ſed nos more noſtro alia ſectabimur, & hoc caput implebimus multa congerendo. Arma ancilia pro ancilibus dixêre veteres. Valerius,

Valer. Maxi. lib. 1. cap. 1. Soſipater. lib. 1. Grammat. *Sed lictoribus præcedentibus arma ancilia tulit*. Soſipater, *Sed quòd quinquatrus antiqui dictum dicebant, à quinquando, id eſt, luſtrando, quòd eo die arma ancilia luſtrari ſint ſolita.* Ac ſanè apparet hoc genus dicendi ſolemne, vſitatumque fuiſſe. Factio interdum conſenſio quædam eſt, & amicitia. Ca-

Cat. apud. Soſipat. lib. 2. Grammat. to, *vtrinde iram, vtrinde factiones tibi pares*, id eſt iram & amicitiam tibi pares, loqui nec rectè, eſt maledicere. Plautus,

Plaut. Bacchi. Sc. Hunc hominem. *Chryſalus mihi vſquequaque loquitur, nec rectè pater,*

Sic nec rectè dicere vſurpatur in *Pſeudulo*. Summatim ex eo dictum eſt, quod ſummas ipſas, non omnia æra legimus & ſubducimus. Semitatim

Plaut. vſeud. Sc. Viſo quid rerum. valet per ſemitas. Titinius, *ita ſemitatim effugi, & effugi patrem.* Munitare, pro munire cupere, ſine frequentationis ſignificatione apud Ciceronem

Titin. apud Soſip. lib. 2. Cic. pro Roſc. non indiligens, nec oſcitans lector obſeruabit in oratione pro Roſcio: *Nunc quam viam munitet, & quod iter affectet videtis.* Protinus interdum præ ſe, & ante ſe & prorſum ſignificat. Virgilius,

Virg. Eclog. 1. —*Protinus*

—*Protinus æger ago*, id est præ me, & ante me ago, & prorsum ago.

Cic. de diuin. lib. 1. Cicero, *præcepisséque vt pergeret protinus: quid retro atque à tergo fieret, ne laboraret*, id est iret prorsum. Lyræ lyræ, quæ vox effutitia est, pro nugis, & friuolis veteres posuerunt: Plautus,

Plaut. Pœnul. Sc. Sæpe ego res multas. *Gerræ germanæ, atque ædepol lyræ lyræ.*

Scio magnos huius ætatis viros aliud sentire, sed nihil afferunt, quòd me de sententia demoueat. Iunones & genios sibi (inquit Plinius) homines adoptant, sed iunones mulierum sunt: Iuuenalis de viro molli, quique pro muliere possit haberi,

Plin. li. 2. c. 7. Iuuen. sat. 2. *Et per Iunonem domini iurante ministro,*

Petronius. Sosipat. lib 2. Grammat. Sed & mulieres iurabant, vt ait Petronius, Iunonem suam. Sosipater, eiuno, vt eccastor: genius virorum est. hinc illud Terentij, *Suum defraudans genium*: Sed & deus meus cùm dicebant, genium suum intelligebant: Terentius, *Memini relinqui me deorum irato meo.*

Terent. Phormio. act. 1. Sc. 1. Terent. Phorm. act. 1. Sc. 2. Sosipat. lib. 2. Mediusfidius non iurabant olim mulieres. erat enim eis religio hoc iusiurandum proferre: proinde Titinius adolescentem, qui in fœminam degenerarat, hoc iusiurãdum non audere eloqui dicit. Nam cùm vulgus hęc verba imminueret, & deprauaret, & pro medius medi diceret, facit eum dicere pro medi edi: *An quia*, inquit, *pol, ædepol fabulare, medi edi.* Tracta lanea pro laneis licijs vel laneis pannis, vel potius pro lanæ glomis reperimus. Varro, *etiam suis manibus lanea tracta ministrasset infectori.* Tripales vites dicebantur, quæ tribus palis sustinebantur: Varro, *Quid tu? non vides in vineis, quòd tria pala habeant, tripales dici?* Proficiem vsurpauerunt pro prosectis, id est pro extis sectis, quæ aris inferuntur. Varro, *proficiem extorum, vel in mensam proijcere.* Varronis satyra erat inscriptione, vt pleræque eius, prouerbiali: *Cras credo, hodie nihil*, ab hominum sermone ductu titulo, qui in præsentia se negant credere, se cras facturos dicunt. Folliculum pro corpore Lucilius posuit his verbis, *ego, si qui sum, & quo folliculo nunc sum indutus, non queo.* Varro etiam corticem, *sic inuitata matura anima corporeum corticem facilè relinquit.* hæc hinc & inde carptim collecta sunt.

Varro. apud Non. in Tractus. Apud Non. in Pali. Apud. Non. in Prosecta exta. Apud Non. in Fastidiliter. Apud Non. in Folliculum. Apud Non. in Cortex.

Syrpe, tocullio, sublingio, fascię crurales, & pedales, megabacchus, cistophorus, cistiger. CAPVT XXI.

Cic. ad Attic. lib. 2. epist. 4. SCRIBIT in Epistolis ad Atticum Cicero, *Clodius ergo vt ais ad Tigranem? vellem Syrpiæ conditione*, qua de re si mihi ius censendi est, sic sentio. Aliquando propter vbertatem & diuitias Syriæ, legẽdum esse existimaui, *vellem Syriæ conditione*, hoc sensu, vellem ad Tigranem iret, vel ea conditione, vt Syriam prouinciam obtineret: neq; me eius interpretationis

nis pœnitet: verùm posteaquam è doctissimis Manutij commẽtarijs cognoui in Bessarionis libro scriptum esse, *vellem syrpe conditione*, eam scripturam vt verissimam, & eloquentia Ciceronis dignissimam aliquandiu amplexus sum. Est enim syrpe pars quædam silphij: Nam & Priscianus eius mentionem facit, & comicus Plautus his verbis, *si speras tibi hoc anno multum futurum syrpe & laserpitium, eámque euenturam exagogam Capuam saluam & sospitem.* Ea res magnæ æstimationis & pretij erat. Quare dicit calumniator apud Aristophanem, ἐὰν αὖ ἐὰ δόιης γέμοι τὸν πλῶτον αὐτὸν, τὸ βάτλεω σίλφιον. id est, Non si mihi donaueris Ditem ipsum, & Batti laserpitium quod est harum rerum conditione & optione non facerem. Sed & syrpe videtur appellari ipsum laserpitium, voce à Græco nomine Silphij degenerante: Solinus, *apud Cyrenenses præterea syrpe gignitur, odoratis radicibus, virgulto herbido magis quam arbusto.* Syriæ tamen magis rursum probo, tum quòd opulentissima erat prouincia: hinc Catullus, *Mauult quàm Syrias Britanniásque*: tum quòd syrpe aptoton esse oporteret. scribitur in ijsdem epistolis, *neque te in tocullionibus habebam*: quo quid significetur, magna quæstio est. Ego more institutoque meo quid alijs placeat, non referam, potiùs quid sentiam dicam, non quin aliorum sentẽtiæ mea potiores sint, sed quod eas omnibus patere arbitrer, neque eis referendis scriptionem producere velim, nimis alioqui prolixam futuram. existimo igitur nomen esse formatum à diminutiuo Græco τοκύλλιον: vt apud Plautum à σκέπαρνον sceparnio: eodem modo Latini turpionem dixere, & Plautus in Pseudulo, sublingionem à sublingẽdo hoc versu, qui mirum in modum deprauatus est,

Priscianus. Plaut. Rudẽte sc. Proh. Cyrenenses populares. Aristop. Plato. Solin. cap. 30. Catul. epig. 42. Cat. ad Attic. lib. 2. epist. 1. Plaut. Pseud. Sc. Forum Coquinũ qui.

Iam hic quoque scelestus est coqui sublingio,

Pro quo subijciunt coquit sub linteo: inepta & stolida sententia. Tocullionem igitur accipiamus minutum fœneratorem: nõnulli emendant loculiolibus, quam bene ipsi viderint. ego receptam scripturam loco non moueo. Epistola proxima Epicratem interpretantur Pompeium: ego hominem græcum fuisse suspicor: nominatur Epicrates Bidinus in Verrem, & Epicrates princeps Atheniẽsium in epistolis dicitur, à quo accusari potuit Valerius: Epicratis lasciuiam reprehendit, quòd eius calidæ & fasciæ cretatæ essent, fasciæ autem cretatæ, fasciæ sunt albatæ creta & candidatæ: fascijs veteres crura inuoluebant, vt nos tibialibus & femoralibns: Vlpianus, *fasciæ crurales pedalésque, item impilia vestis loco sunt.* Cato apud Nonium, *mihi puero modica fuit vna tunica, & toga, sine fascijs calceamentum equus sine ephippio.* Eodem modo Megabacchum Pompeium accipiunt: ego iuuenem fuisse scio socium filij Crassi, & ætate parem, qui sibi bello Parthico manus attulerit: cum Plutarchus μεγάβαχχον appellat, in Crassi

Cic. lib. 2. ad Attic. epist. 3. Cic. in Ver. 4. act. L. argumento ff de aur. arg. mund. legat. Cato apud Non. in Ephip. Cic. li. 2. ad Attic. epist. 7. Plutar. in Cras.

vita. Sed quo tandem ſenſu illud dicitur, *& quæ ſpes ſit denarij: an ciſtophoro Pompeiano, iaceamus?* quod ſic interpretor, quæ ſit ſpes pecuniæ ab vrbe (denarius enim pecunia Romana erat) Nam Ciſtophorus Pompeianus eſt, vel quòd magnas pecunias Pompeius fœnore occupatas, in Aſia haberet, vt ſcribit Cicero infrà, cùm de Ariobarzane loquitur: vel quòd Aſia magnam vim pecuniæ Pompeio à Mithridatico bello reuertenti ob aurum coronarium, & alia numeraſſet, & contuliſſet, & poſtea debuiſſet. eius nummi æſtimationem diximus antè, & pretium, & ex eo Ciſtophorum appellatum coniecimus, quòd in eo celata erat eorum ſpecies & forma, qui ſacra arcana in ciſta gerebant, Tibullus.

Cic. ad Attic. lib. 2. epiſt. 6. & 7.

Tibull. lib. 1. Eleg. 7.

Et leuis occultis conſcia ciſta ſacris.

ciſtigeros appellat eos homines Martialis, qui & pro contemptiſſimis & deſpicatiſſimis habebantur.

Mart. lib. 5. epigr. 17.

Dum te poſſe negas niſi lato Gellia clauo
Nubere, nupſiſti Gellia ciſtigero.

Cic. ad Attic. lib. 2. epiſt. 6. ἀνέκδοτα autem Cicero appellat librum quem contra nobilitatem ſcripſerat, nec tamen edidit, quòd ei Calenus obijcit apud Dionem.

Dio.

Calles, ſaltus, forma, luminibus extinctis, tertia deducta, bene emere, bonum factum.

CAPVT XXII.

MIHI vitam Iulij Cæſaris apud Tranquillum ſtrictim attingenti, & velut per tranſennam inſpicienti, hæc ſtatim occurrerunt, quæ obſeruatione non indigna exiſtimaui. ſcribit prouincias minimi negotij ſyluas, & calles decretas conſulibus: quo ſanè exiſtimo ſignificari, ſyluarum publicarum adminiſtrationem, & ſaltuum publicorum, in quibus profeſsi pecoris ſui capita pecuarij paſcebant, ſcripturamque ſoluebant. Nam callis, de quo & nonnihil ante iam ſcripſimus, ex eo appellatur, quòd pecudum callo calcetur, eſtque via à pecore durata: ſed & loca quæ pecudes calcant. Varro, *& vtroſque horum firmiores, qui in callibus verſentur, quam eos qui in fundo quotidie ad villam redeant.* Iterum, *Quod accidit* ijs, qui per calles *ſilueſtres* longinquos ſolent comitari in æſtiua & hyberna. Cicero pro Seſtio, *atque æſtatem integram nactus, Italiæ calles & paſtorum ſtabula prædari cœpiſſet.* Cùm autem interdum à Senatu, cui ius erat ordinandarum & decernandarum conſularium prouinciarum lege Sempronia, conſulibus mandarentur ſyluæ, ideo Maro canit, vt quidam cenſent,

Suet. in Iuli. cap. 19.

Varro. lib. 2. de re ruſt. cap. 10.

Varro li. 2. ca. 9. de re ruſt.

Cic. pro Seſtio.

Virgil. eclog. 4.

Si canimus ſyluas, ſyluæ ſunt conſule dignæ,

A quibus diſſentio. Nam *ſyluæ ſint conſule dignæ*, in eo legendum cenſeo, idque veriùs eſt, vt dicat, ſi carmen Bucolicum canimus & ſylueſtre, ſit tamen

men dignum conſule Pollione. Scribit Tranquillus, *campum Stellatem maioribus conſecratum*, à Cæſare diuiſum fuiſſe, in quo exiſtimo eum dicere maiorum opinione ſacrum fuiſſe. Stellatem agrum, cùm tamen iam illa tempeſtate, qua diuiſus eſt à Cæſare, pro ſacro non haberetur. Atque id ex commentarijs quibuſdam reconditis, aut annalibus eruit Tranquillus, Cicero neſcijt: alioqui contra Rullum, huius conſecrationis meminiſſet. Saltus Pireneus, in eo montes Pireneos ſignificat, vt apud Liuium, Saltus Graius alpes Graias. *Ad præruptа ducunt ſaltúmque demonſtrant*. Plinius de ceruis ſaltum dicit, cubile & luſtrum eorum intelligens, quod in editis habere ſolent. τραγὸν, id eſt, mãſionem ſcripſit Ariſtoteles. *Formam, qua ludum gladiatorium erat ædificaturus, conſiderauit*: cùm dicit ſimulachrum, ſignificat & adumbratam vel effictam ſpeciem (ichnographiam vocat Vitruuius, atque orthographiam) qua ludum erat ædificaturus gladiatorium. Cicero, *vt ex tuis literis cùm formam Reipublicæ viderim, quale ædificium futurum ſit, ſcire poſſim* eſt & forma ad quam calceus conficitur. Horatius, *ſi ſcalpra & formas non ſutor. Cùm luminibus extinctis deceſſiſſet via*: cùm ſcribit, vtrũ dicit Cæſarem faces habuiſſe ardentes in itinere, quæ extinctæ ſint? Et ſunt qui non putent, cùm eum dicat occultiſſimum iter ingreſſum eſſe: & cùm pars noctis proxima crepuſculo, luminibus accenſis dicatur, quam δᾷδα νύκτωρ ἀφάς Græci vocant; Latini primam facem: cenſent etiam luminibus extinctis appellari cõcubium noctis, cùm extinctis lucernis omnes cubant; tenebræque intenſiores ſunt. Veriùs tamen videtur viatores noctu gerere faces ſolitos eſſe: Varro libro 1. de re Ruſtica, *quod habet radices viuæ ſæpis, ac viatoris prætereuntis laſciui non metuet facem*. Tranquillus in Auguſto, *per nocturnum iter lecticam eius fulgur perſtrinxiſſet, ſeruúmque prælucentem exanimaſſet. Ludis*, inquit, *Decimus Laberius eques Romanus mimum ſuum egit, Donatúſque quingentis* HS. *& annulo aureo, ſeſſum in xiiij. è ſcena per ſolium orcheſtram tranſijt*. in quo oſtendit Laberium à ſcena, in qua egerat mimum, per ſolium, id eſt per ſuggeſtum Cæſari poſitum in orcheſtra, & per orcheſtram tranſiſſe ſeſſum in xiiij. ordines: ſed ex antiquo libro ſolium delendum eſſe vt ſenſum conturbans exiſtimo. In ioco Ciceronis, *quo melius emptum ſciatis tertia deducta eſt*, ambiguitate quæſita eſt vrbanitas, tum quòd ad Imperatorẽ deduxerit Seruilia filiã ſuam Tertiã, tum quòd tertia pars deducta eſſe & detracta intelligatur. nam cùm lege Cæſaris, creditoribus debitores ſatisfacere iuberentur per æſtimationem poſſeſsionum, quanti quaſque ante bellum ciuile comparaſſent, deducta ſumma æris alieni ſi quid vſuræ nomine numeraſſent, aut perſcripſiſſent, in tanta vilitate prædiorum Seruiliæ addictorum talem quandam deductionem factam eſſe alludens Cicero dixit: quæ tamen in illis haſtæ auctionibus

Varr. de re ruſt. li. 1. c. 14.

Suet. in Aug. cap. 29.

Suet. in Iulio. cap. 39.

Macrob. lib. 2. Saturn. c. 2.

Ariſtot. de nat. animal. li. 6. c. 29. & lib. 9. cap. 5.

Vitru. c. 2.

Cic. li. 4. epiſt. fam.

Horat. lib. 2. ſaty. 3.

Suet. in Iul. Cæſar. ca. 31.

Plin. li. 8. c. 32.

Liu. li. 36.

Suet. ibid. c. 15.

ctionibus locum habere non potuit. Melius autum emere, est emere carius. Martialis, *adeò bene emit, inquis, immò non soluit. Quæ scire M. Martiũ,* male in eo scriptum lego, pro C. Matium, qui Cæsaris familiaris fuit & doctissimus habebatur, ad quem quædam extant Ciceronis epistolæ: citatur & à Gellio in Mimiambis, & à Varrone proferuntur eius versus. Sed & Ennoen, pro Eunem etiam male scriptum esse existimo. Helius etiam Cinna pro Heluius, & Pompeium Marcum pro Macrum, & Salutioni pro Saluitoni, qui etiam apud Plinium inoleuit error contra fidem librorum veterum & auctoritatem. *Syllam* dixit Cæsar *nesciuisse literas, qui dictaturam deposuit,* in quo allusit ad literatores & grammaticos, qui dictant quomodo sit scribendum, quomodo loquendum, & dictata dare dicuntur. *Bonum factum, ne quis Senatori nouo curiam monstrare velit,* quo modo dictum accipimus? veteres boni ominis causa bonum factum præfari solebant in edictis. Tertullianus, *ô edictum, cui adscribi non poterit bonum factum!* Plautus Penulo, *bonum factum est, edicta vt seruetis mea.* Igitur libellus ille edicti forma scriptus propositus est, *Gallos Cæsar in triumphum duxit, ijdem in curia Galli brachas deposuerunt, latum clauum sumpserunt:* versus autem duo trochaici sunt, in quorum posteriore *sumpserunt* penultima breuis est, vt steterunt apud Maronem, & emerunt apud Terentium. hęc è multis pauca, quæ ne nimium quoque multa sint vereor: ita omnia fastidio sunt affinia, & facilè contempta excutiuntur, etiam quæ accuratione diligentissima conscripseris, ne dum ista, quæ tumultuaria subitaque opera perfunctoriè luduntur, fastidium & delicias lectoris effugerint.

Mart. lib. 8. epig. 10.
Suet. in Iul. ca. 52.
Lib. 11. epist. fam.
Gell. lib. 10. cap. 24.
Suet. in Iul. ca. 52.
Suet. in Iul. ca. 56.
Suet. in Iul. ca. 59.
Plin. li. 7. c. 12.
Suet. in Iul. ca. 77.
Suet. in Iul. ca. 80.
Tertullianus.
Plaut. Pœnul. In prolog.
Suet. in Iul. ca. 80.
Virg. 2. æneid.
Terent. Eunu. in Prolog.

Seruus ad manum, ad ciathum, ad lites, ad fręna, ad baculum, ad pedes, circum pedes, ante pedes. CAPVT XXIII.

CANES ad venandum dixit Terentius, pro canibus venaticis: quæ me loquendi forma admonuit, vt attenderem ecquid eius generis in bonis auctoribus reperire possem aliquot exempla: ac mihi non pauca eodem elata modo succurrerunt. Leones ad fręna dixit Maro, pro leonibus domitis & frænum patientibus, quibus Idæa mater vehitur,

Domitique ad frœna leones:

ab eodem seruus ad limina pro atriensi ponitur

Armiger ante fuit fidúsque ad limina custos.

seruus etiam ad manum, seruus esse videtur, qui amanuensis aliter dicitur, cuiusque manu ad scribendum vtimur. Cicero, *quem seruum sibi ille habuit ad manum, cùm eburneola solitus habere fistula.* Ad lites à Propertio dicitur, qui aptus est ad causas & aduocationes.

Terent. Andr. act. 1. Sc. 1.
Virg. 10. æneï.
Virg. 9 æneid.
Cic. 3. de Orat.
Proper. li. 4. eleg. 2.

Sobrius

Sobrius ad lites: at cùm est imposita corona,
Clamabis capiti vina subesse meo.

Ad cyathos dicitur, qui pincernæ munere fungitur, ministratque conuiuis potum cyathis metiens: Propertius, *Lygdamus ad cyathos,* id est pocillator erat. Ad baculum est pastor, baculus enim, qui pedum vocatur, pastoris argumentum est: Propertius,

Pastorem ad baculum possum curare,

id est si mihi pedum detur, pastor videri possim. Verna etiam ad pedes à Martiale dici videtur, qui & à pedibus seruus vocatur: sed potius verna est, qui ad pedes est domini, eique semper præsto est, vt serui circum pedes dicuntur. Agrætius, *circum pedes, sunt obsequia seruorum: ante pedes amicorum:* Iuuenalis, *—An sit sella, togati Ante pedes.* sed enim in Cicerone seruum ad manum præstat multò intelligere, quem præsto paratumque semper secum habuerit. Nam & Liuius cantare ad manum dixit, pro cantare in promptu & in præsentia coramque: sic enim scribit libr. 7. *Inde ad manum cantari histrionibus cœptum, diuerbiáque tantum ipsorum voci relicta.* & Hesychius ad manum quæ sunt, prompta & parata interpretatur, & seruum ad manum ad multa vtilem hoc modo, χεῖρα, ἕτοιμα, εὐχερῆ. ἢ δοῦλῶ πρὸς χεῖρα· εἰς πολλὰ χρήσιμος οἰκέτης.

Propert. lib. 4. eleg. 9.
Propert. lib. 4. eleg. 2.
Mart. lib. 12. epigr. 88.
Agrætius.
Iuuen. sat. 7.
Liuius lib. 7.
Hesychius.

Scio equidem multò plura occurrere alijs posse eiusdem generis, sed mihi ista, quæ sese vltro obtulerunt, satis visum est breui oratione attingere, & tanquam lectori signare, vt eorum admonitu ad similium agnitionem & animaduersionem prudentior & peritior sit, quæ fortasse aliud agentem fallerent & præterirent oscitantem.

LIBRI TERTII FINIS.

ADRIANI TVRNEBI ADVERSARIORVM LIBER QVARTVS.

Collyræ, Iurea, apud Plautum, ampulla.

CAPVT I.

SENATVS à Grammaticis indictus fuit, non de summa Republica, sed de annona quadam veterum exponenda, quam multorum stomachus concoquere non poterat: sunt autem Plautinæ collyræ, sic enim scribitur in Persa, *Collyræ facite madeant*: Itaque Senatusconsultum in hanc sententiam factum est, Collyras videri paruulos panes mundos, sed & genus fictorum farinaceorum, quæ vt lagana, interdum in sartagine frigantur, interdum cocta per se edantur, interdum ex iure comedantur, vt tabellas paniceas in sorbitiuncula plerunque esitamus, frigi solitas docent Grammatici Græci, qui εἶδος πλακοῦντος. interpretantur & κολλυρίζειν, explicant, λαλάγας τηγανίζειν, id est lagana in sartagine frigere, & κολλύρια exponunt λαλάγια: in Plauto autem satis constat illud panificium etiam sumi ex iure: subijcit enim,

Plaut. Persa. Sc. Omnem rem inueni.

Plaut. Persa. Sc. eod.

Tum nisi cremore crásso est ius collyricum:

Ius enim collyricum ecquodnam aliud ius esse potest, quam ex quo collyræ eduntur? atque illud crasius, & vnctius esse parasitus postulat.

Plaut. ibid.

Quasi (inquit) *iuream esse ius decet collyricum.*

[redacted] enim [redacted] Ioachimus Camerarius edidit, vbi iuream intelligo, tanquam placentam, quæ è iure tota constet, vt ius collyricum non liquidum sit neque macrum, sed tam crassum & concretum quàm si è iure placenta fieret. Iurea igitur cùm dicitur, placẽta subauditur: vt apud Marcum Catonẽ, spherita tacito quidem placẽtæ nomine, intellecto tamen. Recensetur & in eadem scena suppellex pauperum & Cynicorum, quibus similes esse eos debere, qui probè parasitantur, parasitus dicit,

Cato. de re rustic. cap. Plau. Pers. Sc. Omnem rem inueni.

Cynicum esse egentem oportet parasitum probe,

Ampullam,

Ampullam, strigilem, scaphium, soccos, pallium,
Marsupium habeat, inibi paululum præsidij.

Vbi ampulla vas olearium est, quo in balneis ad vnctiones vti solebant, vt & strigilibus ibi se defricabant destringebantque: vnde & ἀυτολήκυθοι à Græcis vocabantur pauperes, qui sibimetipsi ad balneas ampullam ferebant, cùm seruos ampulligeros non haberent. At verò scaphium est vas potorium. de reliquis non est consulẽdus Grammaticorum senatus, cùm obscura non sint, neque nunc à nobis de his in literas quicquam mittetur, ne in scirpo nodum quæsijsse videamur, aut in facili opus quærere velle, nostramque operam in nugis approbare conari.

Duo Sophistarum genera, concertatio & captatio verborum apud Ciceronem, impenso pretio vendere, conuenit vt vespis, moneta.

CAPVT II.

CICERO in Partitionibus de virtijs agens quæ assimulatione quadam & vicinitate virtutem emulantur, eiusque personam induunt: *disputandi*, inquit, *prudentiam imitatur concertatio captatióque verborum*. hic, nisi male conijcio, vt sæpe, concertationem appellat, τὸ ἐριστικὸν. duo enim genera Sophistarum fuerũt olim, vnum simile Oratoribus, qualis Gorgias Leontinus fuit: alterum simile Dialecticorum, eorum qui Eristici vocabantur, vnde ἐριστικοὶ λόγοι apud Aristotelem, à quibus Eristicis dialectica profecta videtur, si Laërtij auctoritas id vt credamus meretur. quod mihi quidem videtur. is enim in Euclide sic scribit, ἧς οἱ ἀπ' αὐτῆς μεγαρικοὶ καλούμενοι τὸ, εἶτ' ἐριστικοί, ὕστερον δὲ διαλεκτικοί. hos autem Sophistas, qui concertationes consectabantur, in libello contra Sophistas insectatur Isocrates, sed & alteros quoque, qui ciuiles orationes amplectebantur. Sed vt me desultorem agnoscatis, aut auis titu me volitare homines loquantur: alio transiliam & trãsuolabo: scribit Liuius libro 2. *salis quoque vendendi arbitrium, quia impenso pretio venibat in publicum, omni sumptu ademptum priuatis*. hìc impensum pretium pro magno Liuius dixit, vnde & impẽsè aduerbium, quod est valdè & vehementer. hoc in loco eruditissimi viri velut in luto hæserunt, nequicquam plantam euellere conantes: cumque nescio quid sententiæ abesse suspicarentur, addito supplemento, omni sumptu adempto concessum priuatis legerunt: ego saluam & incolumem arbitror esse sentẽtiam, si aliter distinguatur: interpunctio enim non posita loco à sensu aberrare facit. sic igitur distinguo, *venibat, in publicum omni sumptu, adẽptum priuatis*, ad emerendam enim & eblandiendam voluntatem plebis, dicit salis vendẽdi arbitrium, & potestatem ademptam priuatis, qui eum magno

Cic. in Partitionib.

Aristot. in Topic. & in Elẽchis.

Laërtius in Euclid. lib. 2.

Isocrat. contra Sophistas.

Liuius lib. 2. ab vrb. cond.

magno vendebant, & de publico datum plebi, ſumptu illo & onere in Rempublicam recepto. omni igitur ſumptu in publicum abſolutè dicitur ſine participio, quod apud veteres non rarum nec infrequens eſt. Id autem valet, vt is omnis ſumptus eſſet Reipub. & impenſa. Tranſgredior ad Probę carmen, in quo prouerbiale eſt, cõuenire vt veſpis. veſpæ enim pro ſuis latibulis velut coniuratæ magno conſenſu dimicant, petunt propè accedentes & aculeis fodiunt. Suſpicor autem, vt in templo Concordiæ fuit nidus ciconiarum, ſic in fano monetæ fuiſſe examen veſparũ: carmen ſubſcribam, *Conuenit vt veſpis, quarum domus arce monetæ*

Turbat agens ſtrictis per lutea corpora telis.

Probæ Falconiæ verſus.

Quod autem illic eſſent, qui nũmos percutiebãt: idcirco monetariorum nomen habuêre: & vbi nummi feriebantur, monetæ dicebantur. Auſonius de Mediolano, *Templa, palatinaque arces, opulenſque moneta.*

Auſon. in catalogo. vrbium Nobil.

Et Sidonius de Narbone, *Delubris, capitolijs, monetis.*

Sidon. de Narbone.

Fidiculæ, eculeus, vngulæ, laminæ, rota, infelix arbor.

CAPVT III.

FIDICVLÆ, quæ in tormentis numerantur, mihi videntur laſciuia quadam ioci nomen inueniſſe, quòd vt in fidibus nerui, item quoque vt nerui hinc & inde multis funibus homines diſtendebantur. ſed & illa machina funes multos vt neruos habebat. Eculeus autem ſtipes erat cui velut equo, imponebantur, ac variè torquebantur, cruciabantur, & diſtendebantur: id è Prudentio apparet, cùm enim in D. Romani martyrio ſcripſiſſet, *—iuſſerat*

Euiſcerandum corpus eculeo eminus

Pendere, & vncis vinculiſque creſcere: ſubijcit,

Iubet amoueri, noxialemque ſtipitem.

Prudent. περὶ στεφάνων. hym. 10.

Vngulæ autem ferramenta erant bifida, & vt animalium vngulæ biſulca, quibus latera & pectora laniabantur. Prudentius id docet hoc verſu,

Coſtas biſulcis execandas vngulis. Iterum,

Prudent. ibid.

Non vngularum tanta vis fodit latus.

Prudent. ibid.

Cataſtam idem Prudentius vocat machinam & pegma, in quo reus ſupplicium pendebat, *Emitto vocem de cataſta celſior.*

Prudent. ibid.

Laminæ, quarum mentio eſt apud M. Tullium, ferreæ velut cruſtæ erant, quæ candefactæ admouebantur noxiorum corpori. Prudentius,

Prudent ibid.

Nec ſic inuſta laminis ardet cutis,

Vt febris atro felle venas exedit.

Cic. 5. Tuſcul.

Apud Græcos in ſupplicijs rota numerabatur, vt ſcribit M. Tullius quinta Tuſcalana. Nam in rota diſtricti diſtendebantur & cruciabantur. Plutarchus

tarchus in Nicia, εἰς τ̃ τροχὸν καταδεθεὶς ἐστρεβλ῀το πολλὰ χρόνον· ἐως ἐπῆλθον τὸ πᾶν κακὸν, ὡς εἶχεν, ἀπαγγέλλοντες. Ariſtophanes, ὅτι τ῀ τροχ῀ γὰρ δεῖ σ' ἐκεῖ στρεβλώμενον, εἶτ' εἶτα πεπαύσεσθαι. Quæ ſint infœlices arbores, è Macrobio & Plinio eſt notum: cùm tamen à Liuio & Cicerone ſcribitur, *I lictor colliga manus, infœlici arbori ſuſpendito*, infœlicem arborem intelligo ſtipitem & furcam, de qua fontes ſuſpenduntur, ac ſic explicandum eſſe reor. neque enim vlla arbor aut vllum lignum infœlicius eſt. itaque arbor ibi lignum eſt. Neque verò ferendum eſt, quod à nonnullis tentari video, vt arbor tollatur reſtis inducatur: legunt enim infœlici reſte ſuſpendito: ipſi ſuo arbitratu loquantur, antiquis auctoribus ne præeant præſcribantque quid loquantur. Furca autem lignum erat, vt Plutarchus refert, plauſtri quod temoni ſubijciebãt, quaſi Græcè diceres ὑποστάτω & στήγμα, quam furcam malefici gerebant ſerui: in furca etiam, ſed alia, ſuſpendebantur, & alia ad ſupplicium trudebantur ignis. Prudentius,

Plutarch. in Nicia.
Ariſtoph. in Pluto.
Macrob. lib. 3. Saturn. c. vlt.
Plin li. 16. c. 16. & li. 24. c. 9.
Cic pro Rabir. Poſthamo.
Plutarch. in Coriolano.

Et iam retortis brachijs furca eminus,

Romanus actus ingerebatur rogo.

Prudent. περὶ στεφάνων. hymn. 10.

Sic iſta, quid ſignificarent & qualia eſſent, ex auctoribus rimabamur: vt cùm occurrerent lectori, noſtra iſta opella aliquam eorum verborum notionem informaret: ſi modo aliquid attulimus, quod ad intelligendum ſtudia iuuenum adiuuare poſſit. Nos enim fortaſſe in his hallucinamur, & à vero aberramus, aliosque in eundem errorem trahimus. quod ſanè inuiti facimus, cùm iſta ex animi noſtri ſententia ſcribamus, nec aliud alijs perſuadere velimus, quàm quod ante nobis perſuaſimus.

Quadruplex iudicium, duplex iudicium, petere ſecretum.

CAPVT IIII.

INTER euoluendum antiquos ſcriptores, plerunque ea inuenimus, quæ facem aliorum ſcriptis tanquam præferant, & veluti tenebras illuminent, vt in epiſtolis Plinij cùm legiſſem, *paucos poſt dies ipſe me Regulus conuenit in prætoris iudicio, illuc me perſecutus, ſecretum petit*, quod quidem eſt poſtulauit, vt ſecreto mecum loqueretur: venit ilicò mihi in mentem hoc illud eſſe quod à Tranquillo ſignificatur, neque tamen ſatis intelligitur, *Auiæ Antoniæ ſecretum petenti denegauit*, id eſt petenti vt ſecreto cum aliquo loqueretur. Ita vt viatoribus fax in nocturno itinere prælucet viamq; oſtendit: ſic tenebras Tranquilli Plinius aperit diſcuſſa caligine, ſeque ex eius verbo, vt ait poëta nobilis, nubes in aëra purgat apertum. ſed epiſtolæ illæ, vt lumen accenderunt Tranquillo, ita lucem quodam in loco deſiderant caliginoſiore: ſic enim in quadam ſcribitur, *Et eram acturus adoleſcentulus*

Plin. li. 1. epi. 5.
Suet. in Calig. cap. 23.
Virg. 1. æneid.
Plin. lib. 1. epiſt. Scribis te preterriturum.

lescentulus adhuc, eram in quadruplici iudicio. ego quadruplex intelligo quod coactum est è quatuor iudicum consilijs & decurijs, quæ in basilica Iulia sedebant. Nam in ea quatuor erant tribunalia. Fabius libro 12. *Certè cùm*

Quint. lib. 12. cap. 5. *in basilica Iulia diceret, primo tribunali, quatuor autem iudicia, vt moris est, cogerentur, atque omnia clamatoribus fremerent, & auditum eum & intellectũ, & quod agentibus cæteris contumelioſum fuit, laudatum quoque ex quatuor tribunalibus memini.* sunt & apud Fabium duplicia iudicia libro vndecimo,

Quint. lib. 11. cap. 1. *succurret etiam,* inquit, *si apud alios iudices agatur, vt in secunda assertione, aut in centurialibus iudicijs duplicibus parte victa.* in duplicibus iudicijs duo consilia ad vnam cogebantur hastam, vnumque tribunal: in quadruplicibus quatuor. mutuo igitur auxilio stant auctores, neque potest enodis apud eos esse sensus, nisi plerunque adminiculo adiutus alieno læuigetur: sic è locorum comparatione, licet plerunque indagare feram, in cubili suo latitantem, denso opertam fruticeto. sed & Plinius ita scribit libro quarto

Plin. li. 4. ep. Proximè cùm apud. &c. Epistolarum, *Proximè cùm apud centumviros in quadruplici iudicio dixissem, subijt recordatio egisse me iuuenem aquè in quadruplici: processit animus, vt solet, longius, cœpi reputare quos in hoc iudicio, quos in illo socios laboris habuissem.* posset fortasse & centumvirale iudicium quadruplex dici, propter quatuor hastas quatuorque tribunalia, idque veriùs putem. In illo autem libro δυσκαθαίρετον, quia malè video exponi, cùm pertinacem esse glossemata Grammaticorum adnotent, vt communi succurram errori explicabo. Nam cùm Regulum dicit δυσκαθαίρετον, ad deijciendum euertendumq; difficilem intelligit, cùm magnæ eius essent opes & factio, quibus munitus & subnixus, non facilis ad euertendum esset. hanc tenuem opellam boni consulat bona iuuentus, sibi sudantem, & in tenui laborantem, & tenuem quoque mercedem quærentem, si numina læua sinunt, & audit non inuitus Apollo.

Plin. li. 1. epist. 5. Vidistine quenquam Marc. Regulo.

Rubrica, leguleij, formulatij. CAPVT V.

Persius sat. 5. SCRIBITVR à Persio, *Excepto si quid Masuri rubrica notauit,* Quod de Iurisconsulto Masurio Sabino est intelligẽdum: etsi autem Iurisconsultorũ officium cõsumebatur potissimũ in iure ciuili & priuato enucleãdo, tamen ijdẽ ius publicũ in legum sanctionibus positũ explicabãt, quod Rubricę nomine hîc intelligẽdum videtur esse. Nã quãuis Iurisconsulti hodie ob miniata capita sui iuris, rubricas in ore habeãt in quocũque iure, tã priuato quàm publico, tamẽ veteres in publico legitimoq; rubricas posuisse vidẽtur, vt maiestas legibus accresceret capitibus earũ sinopide aut cinabari notatis, & insignitis, & sanguineũ quiddã & cruẽtũ fortasse

tasse etiam minantibus. Itaque à Prudentio scriptum est,

Prudent. cõtrà Symach. lib. 2.

—*dicant cur condita sit lex*
Bis sex in tabulis, aut cur rubrica minetur,
Quæ prohibet peccare reos? quòd ferrea fata
Cogunt ad facinus.

Fabius quoque Quintilianus, non de iure prætorio, sed de duodecim tabulis rubricas intelligit, non tamen tantum vbi criminibus minatur pœnas, cùm credibile sit omnia earum capita minio picta fuisse: verba Fabij sunt, *Quorum alij se ad album ac rubricas transtulerunt, & formularij* ac (*vt Cicero ait*) *Leguleij quidam esse maluerunt.* Ecce hîc album pro prætorio iure dixit, rubricas pro iure ciuili, quòd duodecim tabulis continebatur: vt & formularios ad prætorias retulit formulas, leguleios ad duodecim tabularum leges. Leguleius autem diminutionis formam habet, vt equuleus, hinnuleus. Fortasse etiam miniata cera in Cic. libris, quæ improbat Atticus, ex ea consuetudine notabat. nam eius se miniatulam ceram timere in epistolis Cicero dicit. At Democritus grauissimus physicus contra, quæ expertus erat, consignata rubra cera annulo impressa, commentarijs committebat. Vitruuius, *admiror etiam Democriti de rerum Natura volumina, & eius cõmentarium, quod inscribitur* χειροτονητῶν, *in quo etiam vtebatur annulo signans cera ex milto, quæ esset expertus.* Denique, vt quod sentiam semel loquar, ad ornatum ita miniare solebant leges, & ad auctoritatem: nec in minacibus tantum criminaque vindicantibus id facere, sed in omnibus. Rubrica quoque illustrabat & insigniebat Imperatorum, sacra scripta. Idem in iure prætorio non fiebat, nec in eo iure quod à Prudentum interpretatione profluxerat, vt suspicor. hæc enim coniecturis omnia nituntur erutis ex auctorum lectione.

Quintil. lib. 12. cap. 3.

Cic. ad Attil. li. 15. epist. 8. & li. 15. epist. 6.

Vitru. lib. 9. cap. 3.

Platycerotes, pernæ comacinæ, & sequanicæ, insula Calamina & saltuaris. CAPVT VI.

HIC dictata fideliter, vt in ludo pueri solent, reddam, neque committam, vt in furto deprehendi malim, quam ingenua verecundia profiteri, cuius magisterio profecerim, & cuius depositum seruem. Loca aliquot in Varrone de re Rustica diuinitus emendata, vir ille nunquam satis laudatus Gulielmus Pelisserius Monspessuli Episcopus mihi ostẽdit. scio hominem eius esse candoris, vt beneficia sua quam latissimè manare velit: neque pro improbo & nefario ab eo haberi, qui quæ ex illo audierit, euulgare ausit, velut si mysteria enunciet: ea enim bonitate est, vt non liueat, & sua propagari velit: cùm etsi virtutẽ ita colat, vt nullam eius mer-

cedem nullumque precium sequatur, laudi tamen, & gloriæ libenter faueat, & inseruiat. Scribit igitur Varro, *vt in Samothrace caprarum, quas Latinè rotas appellant*: legit Pellisserius Episcopus, quas platycerotas appellant. Plinius, *Aliorum finxit in palmas, digitosque emisit ex ijs, vnde platycerotas vocant*. Iterum Varro, *Reliquum est de scientia* (inquit) *pastorali, de qua dicendum, quod Scropha noster, cui hæc ætas defert rerum rusticarum palmam, quo melius potest dici, cùm conuertissent in eum ora omnes*, scribendum, *quo melius potest, dicet: cùm in eum*. Rursum Varro, *optimarum signum, quod etiã nunc quotannis è Gallia apportantur Romam pernæ tomacinæ, & taniacæ, & petasiones*: egregiè hîc emendat Gulielmus Pellisserius comacinæ, vel Plinio auctore, in quo vt series literarum indicat, legendum est in descriptione Galliæ Narbonensis, *Bormanni, comacina*. Scribendum etiam ipse putaui diu, *& canatæ*, ad formam scilicet & similitudinem pernæ caninæ; vtrarumque meminit Plautus apud Festum.

Var. de re rust. lib. 2 cap. 1.
Plin. lib. 11. ca 37.
Var. de re rust. lib. 2. ca. 3. 1.
Var. li. 2. ca. 4. de re rust.
Plin. lib. 3. c. 4.

Muriaticam autem video in vasis stanneis,
Naricam bonam & canatam, & comaquinas,
Fartas & conchas piscinarias.

Plaut. apud Festum in lit. N.

Sed canata in Plauto potius sit pulpa, & caro canis marini eiusque salsamentum: Nunc Strabonis auctoritate adductus, sequanicæ legendum arbitror: Nam de Sequanis loquens ait, ὅθεν αἱ κάλλισται παριχεῖαι τῶν ὑείων κρεῶν εἰς τὴν ῥώμην κατακομίζονται. Nec dubitabo in Plauto sequanicam, & comacinas legere, cùm versus mensura eam lectionem videatur postulare: senarius enim iustus est,

Strabo lib 4. Cosmograph.

Naricam bonam & sequanicam & comacinas,

Editiones tamen optimæ & canatam, & tagumaquinas nobis obijciunt: imò & canutam. Quare Academicos sequuti sententiam sustinebimus, & alijs disceptanda hæc potius relinquemus. Sequitur mox: *de magnitudine Gallicarum succidarum, Cato scribit his verbis. In Italia in scrobes terna atque quaterna millia aulia succidia. Vere sus vsq; adeò pinguitudine crescere solet.* Hęc quæ sic luxata sunt & emota, sic in suos tanquã artus redire videtur posse. *In Italia Insubres terna atque quaterna millia succidias habere sus vsque adeò.* Varro infrà, *quæ*, inquit, *ostenderent fœtas nostras, quæ in conspeis iacent dies aliquot, esse lenuncidas, & contemnendas*: scribe, quod & alio loco attingimus, *eiuncidas, & contemnendas*, id est languidas, imbecilles, molles, à iunci mollicie. Et libro tertio, *Actius mihi, dum diribentur*, inquit, *suffragia, vti potius villæ publicæ vtamur vmbra, quàm priuati candidati tabella, dum ita ædificemus nobis?* repone è veteribus libris, *quàm priuati candidati tabella dimidiata ædificemus nobis?* Nam candidati in campo Martio suum tabernaculum habebant, in quod multos angustè velut inferciebant: Vis igitur, inquit,

Var. lib. 2. c. 4. de re rust.
Var. li. 2. c. 10.
Var. lib. 3. c. 2.

quit, potius subeamus villam publicam, quam sub dimidiatam tabellam angusti tabernaculi, multisque referti nos condamus, & tam arctum nobis ædificium paremus? in extremo tertio, *Cùm eodem tempore insulas Ludinorum ibi corrosas vidisses*: scribe, *insulas Lydorum ibi concussas vidisses*. Nã in Lydia insulę concutiuntur, & ventis contisq; huc & illud pellũtur. Plinius, *In Lydia quæ vocãtur Calaminæ, non ventis solùm, sed etiam contis quo libeat impulsæ multorum ciuium Mithridatico bello salus*. dicere tamen videtur Varro eas insulas ad tibiæ cantum & hominum tripudiũ solitas esse saltare & cõcuti. Quod Plinius de saltuaribus insulis his verbis scribit: *Sunt & in Nymphæo paruæ saltuares dictæ, quoniam symphoniæ cantu ad ictus modulantium pedum mouentur*. Sed in Sotionis eclogis calamina & saltuaris eadem est: propè autem eam erat nympharum templum, cui erat dicata, quod Plinius nymphęum vocat. Sic enim in eis scribitur, ἐν λυδίᾳ ἐστὶ λίμνη, καλαμίνη καλουμένη, ἱερὰ δὲ θεοῦ νυμφῶν. ἡ φέρει καλάμων πλῆθος, ᾧ μέσον αὐτῶν ἕνα ὃν βασιλέα προσαγορεύουσιν οἱ ὀπηχάεσι: θυσίας δὲ αἱ ἑορτὰς ὀπιτελοῦντες ἐπαυσίους ἐξιλάσκονται, τούτων δὲ ὀπιτελουμένων ἐπειδὰν ὀπὶ τῆς ἠόνος κλύσις συμφωνίας γένηται, πάντες οἱ κάλαμοι χορεύουσι, ᾧ ὁ βασιλεὺς σὺν αὐτοῖς χορεύων φθογγὴν ὀπὶ τὴν ἠόνα.

Plin. li. 2. c. 95.
Sotio in Eclog.

Clauarium, optio, tesserarius, prætenturæ, agrariæ. CAPVT VII.

NOMEN donatiui cuiusdam à Tacito clauarium appellatur, quod quale sit quæstionis est: ego putem donatiuum esse velut in clauos caligarum militarium, præsertim cùm scribat satyricus poëta,

Tacitus lib. 15.

—offendere tot caligatos
Millia clauorum.

Nam militum caligæ clauis suffixæ erant. Scribit idem Tacitus, *à quo Barbium Proculum tesseranum spiculatorem, & Veturium Othonem eodem perductos*. ego ex Plutarcho scribo tesserarium spiculatorem, & Veturium optionem: eius verba proferam. ὁ δὲ τούτοις ἐπιβὰς Γάρβιος, ὁ μὲν ὁπλίτου, ὁ δὲ πεντεράρχου. ὅτω γὰρ καλοῦσιν οἱ ἀφηγεῖσθαι καὶ διαπέμπειν ὑπηρεσίας τελοῦντες. Scio in libris excussis verba Plutarchi mendosa circunferri: sed ijs ita medicina fieri, vt à me persanata sunt, debet. Sunt autem tesserarij qui tesseram nunciant per conturbernia militum, aut per conturbernia prætorianorum: Optiones verò qui tribunis vel centurionibus morbo aut negotio impeditis, tanquam vicarij adoptati, omnia curant eorum munera: tesserarios videtur ἀφηγεῖσθαι Plutarchus interpretari: Optiones διοπτῆρας. Sunt & in re militari, vt aliud ex alio nascitur, prætenturę, quod & apud Higinum reperire licet, & non rarò apud Ammianum: vt libro 14. *Ibique densis inter obsidentium itinera prætenturis, prouincialium*

Iuuen. sat. 16.
Tacit. lib. 17.
Plutar. in Galba.
Higinus. Marcellin. lib. 14.

Marcellin.ibid. *& viatorum opibus paſcebantur*. Iterum: *& quia Meſopotamiæ tractus om-*
Marcellin.ibid. *nes crebro inquietari ſueti, prætenturis & ſtationibus ſeruabantur agrarijs*. Rurſus, *ſalubriter & cautè caſtra metata, prætenturæ ſtationéſque agrariæ totis rationibus ordinatæ*. Prætenturæ autem à prætendendo, id eſt ante tendendo & præſidendo dictæ, tanquam quædam caſtra ſint ante tendentia, vel ſtationes ante tendentes. Proinde diuus Ambroſius ſcribit, *& tanquam in*
D. Ambroſius. *procinctu poſitus præludit prælium, & velut coram poſito prætẽdit hoſte*. Iterum,
D. Ambroſius. *talia debemus agere quæ placeant Deo, & vt prætendat in nobis virtus Chriſti,*
D. Ambroſius. *& ita ſimus probati noſtro imperatori*. Rurſum, *Fortis ergo eſt viri non diſſimulare, cùm aliquid immineat, ſed prætendere, & tanquam explorare de ſpecula quadam mentis*. Quas autem Marcellinus vocat ſtationes agrarias, Vegetius mihi videtur agrarias appellare: & ſi in eius libris angarias excuſum videmus, ſed librorum veterum auctoritatẽ teſtor, in quibus agrarias reperi: quanquam & in vno non ſatis exploratę fidei, angarias: ſed angariæ aliud ſunt, vt amplius pronuntiandum non ſit, ſed decernendum agrarias in eo legi debere, præſertim cùm in imperij Romani notitia ſcriptum ſit,
Veget.lib.3. cap.8.& 26. *vigilijs in his & agrarijs exercendis*. agrarias igitur legendum pronunciabimus.

Ex omnibus pagis colligere, pſeudulus Apollo, caſeale, eritius militaris.

CAPVT VIII.

CICERO in Epicureos illudens, vt indoctos & ineruditos, ſic ſcri-
cic.1.de finib. bit, libro ſecundo de Finibus. *Itaque vt maiores noſtri ab aratro abduxerunt Cincinnatum illum, vt dictator eſſet: ſic vos de Pelaſgis omnibus colligitis bonos illos quidem viros, ſed certè non pereruditos*. Vetus huius loci literatura Pelaſgorum nomen iuris controuerſi & dubij reddit: ea eſt, *de pelagis*: ego quantum augurari poſſum, vel de plagis, vel potius de pagis legendum puto: ſic enim appoſitiſſimè reſpondebit ſimilitudini, vt quemadmodũ ab aratro ad dictaturã vocatus Cincinnatus eſt, ſic iſti de pagis omnibus paganos & indoctos ſectæ aſciſcant ſuæ. Non me latet quæ de Pelaſgis ſumma cura & ingenio conquiſita doctiſſimi homines afferunt: ſed cùm ea non æquè congruere videamus, non tam eorũ ſententiam ſequi, quàm iudicium noſtrum defendere debemus. Sed nos, vt inquit ille, auia pieridum peragramus loca. nam de via deflectimus, & huc & illuc temerè vagamur. Dij olim medicinam faciebant, in his Æſculapius, ſed & Serapis.
Var.apud Non. in Precant. Varro, *Ego medicina à Serapi vtor: quotidie precatur. intelligo rectè ſcriptum eſſe Delphis* θεῷ ἥρῳ. hoc ideo adſcripſi, tum vt ſuperſtitio antiquorum noſtris hominibus nota eſſet: tum vt ille Varronis locus aliquot deformatus mendis ſuo nitori redderetur: ſed & pecunia medicinam factitabat Serapis,

Serapis, & auxilium eius ſtipe emebatur: qua de re diſthicum elegans Varronis ſubijcere libuit.

Apud Non. in Miras. *Hoſpes, quid miras nummo curare Serapin?*
Quid? quaſi non curet tantidem Ariſtoteles.

Alij legunt *animo curare*, vt Serapis pretio non curet, ſed animo, id eſt, ſi colatur. Varronis erat fabula à Nonio citata nomine Pſeudulus Apollo, ἢ θεὶ ἀναγνωρίσεως ϑεῶν Opinor ex eo inſcripta, quòd aliquando Admeto ſeruiſſet Apollo, nec agnitus fuiſſet deus: ſed hanc inſcriptionem fœdatam in chartis excuſis videre licet. apud Columellam ceſale doctiſſimi quique, honos auribus, Latrinam interpretantur, quibus etſi plurimum meritiſſimo defero, tamen vera ratio plus apud me, quam eorum auctoritas valet. Nam Caſeale ſcripſiſſe Columellam extra controuerſiam
Columel.lib.2. cap.15. eſt, & eo nomine ſignificari locum, vbi & conficiuntur & reponuntur caſei, qui ob ſerum & eluuiem ſæpe emundandus eſt.

Ratio quidem hercle apparet, argentum ὀξύχεϛα,

Legendum in Piſonem: nam quod argentum decoctum quidam libri ha-
Cic.in Piſonem. bent, carminis ſenarij lege coarguitur. *In quo*, inquit Varro, *nobilius eſt phi-*
Varro apud Non.in Bulga. *lippeum, quod accipimus, quàm quod bibimus: Cùm alterum addamus in bulgam, alterum in veſicam*. Poſteriore loco hîc philippeum videtur eruditiſſimis potionis genus eſſe: à quibus diſſentio. vt enim dicimus malo pecuniam, quam in loculos cõdam, quàm quam in œnopolio bibam: quòd illa aſſeruatur, hæc perit: ſic ſe malle philippeum in bulgam, quam in potionem dixit. Verba Salluſtij de Eritio militari ſic lego: *Saxáque ingentia,*
Salluſt. apud Non.in Veruta. *& axe vincti orbes per pronum incitabantur, axibúſque eminebant in modum eritij militaris veruta binum pedum*. Eſt autem Eritius, machina, vel potius munitio militaris infeſtis vndique horrens telis, vt aculeis echinus.

Fraudatis lucernis apud Flaccum, deijcere è ſaxo, naſo ſuſpendere
Læuinus, in propria pelle quieſcere.

CAPVT IX.

QVID eſt apud Flaccum? *Non quo fraudatis immundus nacta lucernis*.
Horat.lib.1. ſat.6. Non enim, vt opinor, oleum intelligit è lucerna ſumptum. Nec enim in ea ſatis olei eſt ad vnctionem: deinde, Quis è lucerna quam ampulla ſumere mallet? Ego genus quoddam olei lucernarium fuiſſe appellatum lego, quod vile & rancidum eſſet, & ad lumina relegatum: quo tamen inopes, & ſordidi vngere ſe ſolebant, cùm Horatius optimo oleo primæque notæ vteretur. Nam qui oleo ſe vngit, eo quo ſolent lucernæ accendi, is lucernas defraudat alimento ſuo, ſuoque fomento. Aëtius, τὸ δὲ λι-
Aëtius. χνιαῖ-

χιαῖον ἀπὸ τοῦ μέσου καὶ εὐκράτου, τὸ γλυκέος λέγω, τοσοῦτον ὅτι τὸ θερμότερον νεύει, ὅσον τὸ ὀμφάκινον ὅτι τὸ ψυχρότερον. Illud autem, *Deijcere è ſaxo ciues, aut tradere Cadmo*, ab eo dicitur, quia Tribuni Tullij ante mentionem fecerat: hoc autem ius tribuni violentiores, & importuniores interdũ ſumebant, vt ſine iudicio indictaque cauſa è ſaxo Tarpeio ciuem deijcerent: vt tentatum à tribuno in Metellum Macedonicum apud Plinium reperimus, aut carnifici traderent, cum legitimo iure à carnificis pœna immunes eſſent ciues Romani. Id igitur vt indigniſſimum & tyrannicum ſcripſit. *Naſo* autem, *ſuſpendis adunco*, quod eſt derides: ideo dicit, quòd qui adunci naſi ſunt, homines irriſores habentur: qui quod irrident, id verò vt lance quadam, ſic naſo ſuſpendere & ponderare videntur: vt enim

—gemina ſuſpendere lance
Ancipitis libræ,

dixit Perſius: ſic naſo ſuſpendere dictum interpretor. *Contra* (inquit) *Læuinum Valeri genus*, cùm dicit in Valeriorum familia nobiliſſima eum qui primus hoc cognomento fuit, ſuſpicamur à ſiniſtro læuoque & improbo animo, maliſque & nequam moribus cognoment meritum fuiſſe. Cùm autem gloria de ambitioſis, & glorioſis honorumque cupidis triumphare videatur, illique de quibus triumphabatur poſt currum conſtrictis manibus vincti per pompam traherentur: ideo Horatius ſcripſit,

Sed fulgente trahit conſtrictos gloria curru.

At verò, *in propria non pelle quieſſem*, ſumptum videtur à veſtitu & calceis, quæ tanquam hominum pellis eſt. Nam libertinus latum clauum, ſenatorij ordinis proprium, & calceos lunatos ſi gerat, intra pellem ſuam quieſcere non putetur: niſi quis à Cumano aſino tractum putet, qui leonem mentiebatur leonis exuuio.

Læuo, autem *ſuſpenſi loculos tabulámque lacerto*,

de calculatoria tabula, & calculis intelligo. diſcebant enim ratiocinandi artem, non liberales diſciplinas: vt in arte, *—dicat*

Filius Albini, ſi de quincunce remota eſt
Vncia, quid ſuperat.

Spiritu contineri apud Fabium, apertis tibijs, vox toto organo inſtructa, molli articulo. CAPVT X.

QVINTILIANVS memoriæ commoda vimque cõmemorans, eam ſcribit cæteras partes, velut ſpiritu quodam continere: in quo ſanè non dubito, quin pleriſque mirum eſſe videatur, quòd partes quodam ſpiritu contineri dixerit: ſed profectò mirari deſinent, ſi intellexerint Stoicis ſpiritum

ritum videri cauſam quãdam, omnia ſuapte vi & ope cohibentem & continuantem, etiam in hac rerum ſumma. Fabius autem omni liberali eruditione & philoſophia imbutus, non tantum verborum lenocinijs & rectorijs orationis fucatus, ex Stoicorum decretis iſta hauſit: ſed ex eorum velut inſtrumento depromẽduni teſtimonium eſt. in quo ſanè numero aliorum ſunt auctorum teſtationes. quæ enim de Stoicis ab alijs ſcripta referuntur, proinde ac ab illis ſcripta interpretor. Alexander in libello de miſtura de Chryſippo loquens, ὡσᾶς μὲν ἀποτίθεται τὴν σύμπασαν θείαν πνεῦμαλός τινος ἀφὴ πάσης διήκοντος. Plura qui volet ad comprobationem ex eo dem libro licet colligat. iam huic tanquam tabulæ ſuam velut cupreſſum appingemus. Apertas tibias Fabius vocat, quæ apertis omnibus foraminibus ſonant clarius. Nam clauſis ſonus redditur fuſcior & obſcurior, vt apertis candidior & clarior. quod & per adazionem vſurpat. *Illa vero*, inquit, *iam penè apertis, vt aiunt, tibijs*: id eſt, vt ſuſpicor, iam clariſſima voce. Rurſus: *Nam tibiæ eodem ſpiritu accepto alium clauſis, alium apertis foraminibus, alium ſatis purgatæ, alium quaſſæ ſonum reddunt.* eleganter etiam vox firma facilis & tractabilis, quæque per omnes intẽtionis & remiſſionis gradus ſequax & flexibilis traducitur, toto inſtructa organo ab eo dicitur, tranſlato ſermone à muſicis organis & hydraulis, quę totius canonis muſici varietates & flexus vocis & ſoni complectuntur. ſed verba Fabij audire eſt operæpretium. *Vtique habens omnes in ſe, qui deſiderantur, ſonos intentionéſque, & toto, vt aiunt, organo inſtructa.* Mollem porrò articulum, vt & hoc addam, & ſi non magni pretij, vocat mollem manum. nam in ea ſunt articuli. vt Catullus, *Abſterſti omnibus articulis*: id eſt omnibus digitis: aut potius brachium lacertumq;: artus enim etiam habet, quos articulos per diminutionem vocat. Fabij verba ſunt, *Quam molli autem articulo tractauit Catonem?* id eſt molli brachio, molli manu, non acri manus ictu, aut eius tenaci comprehenſione, vt vel à pugilibus, vel à luctatoribus accerſita ſit traductio.

In manum latio, vexillum tollere, deſtituere.

CAPVT XI.

M. ANTONIVS Muretus omnibus næuis Ciceronis Philippicas deletis percurauit atque perſanauit, priſtinoque nitori candorique deterſis maculis & extritis reſtituit optimi & vetuſtiſſimi exemplaris adminiculo fretus: è cuius fide ſic & locum quem ſubſcribam edidit, *Pone ante oculos lætitiam Senatus populique Romani, confer cum hac in manum latione tua tuorúmque*: ſed quænam eſt iſta per deum immortalem, in manũ latio? Equidem exiſtimo ſignificari lucra & capturas Antonij & Antonianorum. qui enim

Horat. li. 1. ſat. 6. — Plin. li. 7. c. 44. — Horat. lib. 1. ſat. 6. — Perſ. ſat. 4. — Horat. lib. 1. ſat. 6. — Horat. ibid. — Horat. ibid. — Horat. ibid. & lib. 1. epiſt. 1. — Horat. de arte poëtica. — Quintil. lib. 11. cap. 2. Quintil. cap. de memoria. — Alexand. Aphrod. lib. de miſtura. — Quintil. li 11. cap. 3. — Quintil. ibid. — Quintil. ibid. — Catull. ad Iuuentium. — Quint. lib. 11. cap. 3. — Cic. 2. Philipp.

enim quem corrũpit donis,muneribus,largitione, pecunia, qui quid donat & ſoluit,in manum fert,& in manũ dat,qui pretium numerat. Plautus,

Plaut. Aſinar. *Si mihi dantur duo talenta argenti numerata in manum.*

Sc. Vnũ iſtorũ. quidni igitur, vt in manum dare,ſic & in manum ferre dicamus. Corroganda ſunt indidem alia,ne ab alia familia hoc caput mutuum ſumere cogatur. *quo erat*,inquit Cicero,*paucis annis antè deducta, vt vexillum tolleres,*

Cic. 2. Philipp. *vt aratrum circunduceres.* qui coloniam deducebat,colonos,qui plerunque milites erant,ſub vexillo ducebat: & milites confectis ſtipendijs exauctorata legione,ſub vexillis habebãtur,dum præmia emerita acciperent, aut in agros deducerentur.quòd, etſi antè nos dixiſſe recordamur, tamen hîc iterari nihil prohibet, cùm ſimilia potius, quàm eadem ſcripturi ſimus, & exemplis pluribus probaturi. Itaque quod interdum diutius ducerentur,& lentiores eſſent in ſoluendis præmijs, ea ſibi repreſentari volunt milites libro primo apud Tacitum, nec ſub vexillis teneri: eius verba ſubſignabo. *Vt ſingulos denarios mererent,ſextusdecimus ſtipendij annus ſi-*

Tacit. lib. 1. *nem afferret,ne vltra ſub vexill. s tenerentur: ſed ijſdem in caſtris præmium pe-*

Tacit. ibid. *cunia ſolueretur.* Iterum, *exauctorari qui ſenadena feciſſent, ac retineri ſub ve-*

Tacit. ibid. *xillo cæterorum immunes, niſi propulſandi hoſtis.* Iterum, *Veteranique nuper miſſi ſub vexillo hiemabant:* quod indicat eos iam in legione non fuiſſe,ſed exauctoratos,vt dixi. Itaque qui exauctorari volunt, apud eundem hiſtoricum vexillum flagitant: *& nocte*, inquit, *concubia vexillum in domo Ger-*

Tacit. ibid. *mani ſitum flagitare occipiunt.* Rurſus Tacitus, *At in Cauchis ceptauere ſedi-*

Tacit. ibid. *tionem præſidium agitantes vexillarij diſcordium legionum.* Ibidem,inquit Cicero. *Quid? eundem in ſeptemviratu nónne deſtituiſti? interuenit enim: tum*

Cic. 2. Philipp. *metuiſti,credo, nè ſaluo capite negare non poſſes.* Sententiam horum verborum hanc eſſe puto, cùm ſeptemvir eſſes creatus agris aſſignandis, pecuniamque patruo deberes, nónne flagitantem deſtituiſti? tum enim interuenit,& pecuniam petiit: ſed tu veritus,ne ſaluo capite negare non poſſes,hominem iurgio excepiſti,& pro pecunia probra & contumelias turpiſſimas ei perſoluiſti.deſtituere enim dicitur,qui quod promiſit nõ præſtat,vt qui promiſſam pecuniam non ſoluit. Cicero pro Quintio, *Deſti-*

Cic. pro Quint. *tutione illa perculſus Quintius, à Scapulis pauculos dies aufert.* Verius ſit Septemviratum petijſſe Antonij patruum, eumque in petitione ab Antonio non ſolum deſtitutum fuiſſe nec adiutum: verumetiam contumelijs multis affectum Cicero ad Atticum, *Quid Arrius narret, quo animo ſe deſtitu-*

Cic. ad Attic. *tum ferat?* Alij Septemvirum creatum Antonij patruum dicunt: quo etiam modo conſtabit ſententia.

Populus fundus factus,pro Balbo. CAPVT XII.

QVISPIAM

QVISPIAM exiſtimaret, quæ Marcus Tullius diſputat de populo fundo facto,non tam vero affinia eſſe, quàm cauſæ Cornelij Balbi ſeruire: Si quis tamen propius inſpiciat, M. Tullium intelliget verè ſincereq́; id argumentari ſine vlla captione verborum fraudeque. *populus enim fun-*

Cic. pro Corn. Balbo. *dus*,inquit Feſtus,*dicitur eſſe rei,quam alienat,id eſt auctor:* & apud Plautum, *fundus pater.* In Trinummo, eſt auctor, vt doctiſſimè docuit Budæus. ex quo intelligimus fundum populum fieri, qui auctor fit: vt fundus deniq; auctor ſit.nunc Cicero negat in mutanda ciuitate opus eſſe populi auctoritate,cùm ita cuique ſua conſtet libertas, vt ex vrbe cuius eſt ciuis, ſi velit demigret,alioque domicilium ſedemque conferat & collocet: &,ſi in ciuitatem aliquam adſciſcatur, ei ſe dicare poſſit relicta germana patria: quod idem iuris Romanis eſſe comparatum. Nam Roma relicta, ſi quis ſe alicui ciuitati dicaſſet, ciuitate mutatum fore ſine populi Romani ſuffragio & auctoritate. huius enim rei populum Romanum fundum fieri non oportere. ſi denique quis vertat ſolum, & alio habitatum ſe conferat,pro ciueque ſe gerat illius ciuitatis,ciuitatem Romanam eum ſine tabella populi Romani amiſſurum. negat igitur Cicero in mutanda ciuitate,ei rei locum eſſe. Nam etſi fundus factus latius patet, ac auctoritatem omnem ſignificat,tamen in legibus & ea re de qua agebatur, de populo dicebatur in eam rationem atque ſententiam, vt ſi quid iuris Romæ ſancitum eſſet, id ſi ſocij approbarent & adſciſcerent, ea lege tenerentur, & fundi facti dicerentur. id ex Gellio apparet ſic de municipibus ſcribente:

Feſt. lib. 6. Plaut. Trinũ. Sc. Modo me ſtaſimus. Gell. lib. 16. c. 13. *municipes ſuo iure vſos,neque vlla populi Romani lege adſtrictos eſſe, cùm nunquam populus eorum fundus factus eſſet.* Sed quia in Oratione pro Cornelio Balbo verſamur,quid vetat admonere legendum videri, *qua lege videmus*

Cic. pro Corn. Balbo. *ſatis eſſe ſanctum, vt ciues Romani ſint ij.* Nam *videamus* & *ſancti*, quæ per exemplaria propagata ſunt,litura egent, vt mendoſa. Cicero autem hoc genus dicendi,*populus eſt fundus factus*, ex eo dictum putat, quòd cùm legem aliquam Romanam adſciuit & approbauit, videatur in eo populo, vt in fundo reſediſſe: proinde quaſi lex vrbem Romam, in qua lata eſt, pro ciuitate habeat: populum illum,à quo eſt adſcita, pro fundo quodam ſuo,vt in eo ſedem ponat. Ita per tranſlationem ea dicendi ratio auctoritatem ſignificare cœpit: niſi quis putet,quòd fundus,cùm in ſolo ſit, optimus ſit ſponſor & auctor,ex eo tractam eſſe tranſlationem: vnde Plinius,

Plin. li. 19. c. 4. *is ſponſor eſt in ſolo*, dicit, ſed enim idonea magis & accommodata eſt Ciceronis deductio& explanatio. hoc igitur valebat in commodis & beneficijs populorum,publicumque erat, de priuatis hominibus non intelligebatur. Itaque priuatus aliquis Neapolitanus lege Iulia poterat ciuis eſſe Romanus,populo Neapolitano non facto fundo, modò ipſe vellet:

populus

populus Neapolitanus non poterat, nisi approbaret: idque est quod scribit Cicero, *Ipsa denique Iulia, qua lege ciuitas est socijs ac Latinis data, qui fundi populi facti non essent, ciuitatem non haberent.* Ac magna ista de re contentio fuit Heraclienſium & Neapolitanorum lata lege Iulia, cùm deliberarent, an ciuitatem Romanam acciperent sibi lege Iulia concessam: erant enim multi Heracleæ, multi Neapoli qui ciuitatem Romanam recusandam putarent, & libertatem suam suumque ius retinere mallent. hæc mihi veniebant in mẽtem, quæ de populo fundo facto dicerem: si quis à me dissentit, me non facto fundo, ei pro suo iure licet.

Cic. pro Cornel. Balbo.

Polentam pransitare, græca fide mercari, perscribere, rescribere, schasteria.

CAPVT XIII.

DVBITARI video ab eruditis hominibus de hoc Plauti versu,

Vbi flent nequam homines qui polentam pransitant.

Nam contra literas omnes & tabulas, probè iurati contendunt pinsitant esse scribendum: cùm præsertim sequatur,

Vbi fit polenta te fortasse dicere.

Sed omnibus monumentis derogare fidem, falsique notare, vix hîc fortasse ferendum est. Videamus igitur, quid pro tabulis dici possit, quando illi contra eas dixerunt. ego putem molitores seruos non pane, sed polenta nutritos fuisse in pistrino: vel potius miseros illos pistores seruos, inter agendas molas, cùm famelici essent, furtim solitos esse de polenta, id est de hordei farina esitare: quæ causa frequentationis Plauto fuit, vt pransitare potius, quàm prandere diceret: & si desiderandi potius videri possit, vt sit pransitare, prandere cupere. sed & machina quædam nomine pausicape inferabatur collo molentium seruorum, ne polẽtam comederent, neu manus ori admouere possent. Pollux, τὸ γεμίζω τοῖς οἰκέταις τοῖς ἔνδον ἐργαζομένοις ἐπὶ τῷ μὴ κάπτειν τὰ ἀλφίτων ἐπιπεφόρτισμένον παυσικάπη ὀνομάζεται, προχειρὲς μηχάνημα ὂν τῷ ταχέως ἐξαρμοζόμενον, ὡς ἐδωδατεῖν τῷ σώματι τὰς χεῖρας προσάγειν In eadem fabula, *quàm me hunc Scipionem contui*, more dictum est Athenienſium. omnes enim Athenis qui erant natu grandiores & iudicabant, Scipiones habebant: vnde Aristophanes scripsit,

Plaut. Asinaria Sc. Sicut tuum vis.

Pollux lib. 7. cap. 4.

Plaut. Asinaria Sc. Sicut tuum vis.

βαπτρίας ἔχοντα καὶ τριβώνια.

Aristophan. in Pluto.

At *Græca mercamur fide*, est optima, representata pecunia: vt in palliata atque adeò Attica comœdia, quasi Græci nunquam fallerent, sed nec coactore opus esset ad redigendam pecuniam vt in Italia, quam præsentem persoluerent. Græci Græcis fauent, & bene de gente sua & existimant & prædicant: quod in palliata seruatum à Plauto est. nam Græcos si vituperasset,

Plaut. Asinaria Sc. Vnum istorum quodque.

rasset, eorumque fidem fluxam dixisset, à decoro recessisset.

Verbis velitationem fieri compendi volo.

Plaut. Asin. Sc. Vbi ego nunc Litanum.

Facere compendij, vt facere lucri, Plautus dicit: itaque facere compendi velitationem verbis, est, volo hoc verbis commodum lucrumque afferre, ne in velitationem altercationemque de suo quicquam impendant. non enim sine eorum impendio fieri potest. ait Plautus,

Adducit domum etiam vltro, & rescribit nummos:

Plaut. Asin. Sc. Quid hoc sit negotij.

Scribere nummos, est nummos non præsentes soluere, sed pro his in certum diem soluendis apud Trapezitam se obligare, & per argentarium in certam diem cauere redditum iri nummos, qui debeantur. queritur enim pro pecunia præsenti cautionem soluendæ per mensam pecuniæ apud argentarium factam: & ante dictum erat,

Nam vidi huc ipsum adducere ad trapezitam Exarambum.

Plaut ibid.

Itaque apud Terentium in Phormione,

Illud mihi argentum iube rursum rescribi, valet, Caue mihi à mensa redditum iri: Et apud Horatium,

Terent. Phormion act. 5. Sc. 7.

Putidius multo cerebrum est, mihi crede, Perilli
Dictantis quod tu nunquam rescribere possis,

Horat. lib. 2. sat. 3.

Valet, quod tu nominibus ad mensam factis, non possis ei per argentarium postea renumerare: sic,

Quódne ego perscripsi porrò illis, quibus debui?

Terent. Phormion. act. 5. Sc. 8.

Est, quod ad trapezitam attuli, & totum scripsi quibus dinumeraret certa die, vt nihil iam mihi reliquum sit, atq; ita expũxi nomina quibus debebã.

Quin pol si, reposui remum sola ego in Casteria.

Plaut. Asin. Sc. Nequeon' ego te interdictis.

Verbum hoc casteria pro Latino deferri in censum non potest, nisi in asscriptitijs ciuibus numeretur: originem certè fatetur Græcam, non tamen ingenuam, sed adulterinam, vt hybrida haberi possit. sed vt suis restituatur natalibus, ego schasteria lego: Hesychius, σχαστρία ὀρμητήριον, ἢ μέρος τι ἐν τῇ νηΐ: Ita censet partem nauis esse. Ea autem erat, vbi interquiescente remigatione reponebantur remi. Nam σχάσαι κώπην est remum agendi finem facere. Machinarum etiam auctores & automatum schasterias vocant, quæ tensa laxant & remittunt sui laxatione, principiumque motus afferunt. *Fac proserpentem bestiam me, duplicem vt habeam linguam,* id est infere tuam linguam in meum os, quod genus osculi est, vocaturque à Græcis καταγλώττισμα, vnde & infrà scriptum est, —*Ne sic tussiat,*

Hesychius

Plaut. Asin. Sc. Cur me retĕt.

Plaut. Asin. Sc. Age dum istũ ostende.

Vt cuiquam linguam in tussiendo proferat.

Ne quem scilicet osculari velle videatur: sequitur enim mox,

Potius quam cuiquam suauium faciat palam.

Plaut. ibid.

Pauca ista cursim raptimque ex Asinaria Plauti non magna certè nec an-

xia & conquisita cura in hoc caput retuli. Nos enim quæ in summo natantia statim apparent videmus fortasse, altius descendere ne mergamur non audemus. Quare alia, quæ ex imis velut gurgitibus quærenda sunt, Delijs natatoribus relinquimus.

Niger Galesus, mitra, ψυχομαντεῖον, somni portæ, vrere cedrum, agger tumuli, atra fax. CAPVT XIIII.

Locos quosdam Maronis breui interpretatiuncula perstringere placet: sed ita, vt quisque in mentem veniet. neque enim historiam scribimus, vt ordinem nobis necessariò conseruandum putemus.

Virg. 4. Georg. *Quà*, inquit, *niger humectat flauentia culta Galesus.*

Hîc niger profundus est & altus: solet enim aqua profunda nigrum colorem ducere: vnde & Homerus. πηγὴ μελάνυδρος, ab Homero dicitur fons aqua Virg. 4. æneid. abundans. *Mæonia mentum mitra crinémque madentem*

Subnixus. id est sub mitra crinem mentumque subiectum habens. Mitram autem gestasse viris turpe & molle censebatur. Lucianus, Lucianus. ἑκατέρωθε καθειμένος βοστρύχους τῇ μίτρᾳ τούτους ἀνειλημμένους. Et Iuno Ioui Bacchi mollitiē obijciens apud eundem ait, Lucianus. μίτρᾳ ἀναδεδεμένος τὼ κομὼ: quin Virg. 9. æncid. & θηλυμίτρης per probrum illic vocatur. Et alio Maronis loco,

—Et habent redimicula mitræ. Lydorum tamen & Phrygum tegmen capitis erat, parum virile habitum. Cùm esset in Auerno lacu illoque Cic. 1. Tuscul. tractu ψυχομαντεῖον, vt à M. Tullio scribitur, & Appius νεκρομαντεῖα illic facere soleret: ea, vt existimo, Maroni causa fuit fingendi Æneam per Auernum ad inferos descendisse, quòd esse crederentur illic Plutonis spiracula animas remittentia magico ministerio, & retro recipientia: eam tamen vanitatem coarguit Augustus loco aperto excisis siluis. Sed & Homeri Homerus. Iliad. λ. νεκυομαντεῖον eo in loco multi fuisse fingunt, & Vlyssem ea in loca venisse ferunt Strabo lib. 5. Cosmograph. ad necyomanteion, vt à Strabone narratur.

Virg. 6. æneid. *—Sunt geminæ*, inquit, *somni portæ*: ferè putem somni dictum pro Homerus. somnij, vt dicantur somniorum duæ portæ: moueor auctoritate Homeri, qui ὀνείρειαι πύλαι scripsit, id est somniorum portis: cuius qui negauerit imitatorem Maronem, is eadem licet opera affirmet, nihil intra oleam, nihil extra in nuce duri esse. quāquam Hesychius & somnij portas, & somni etiam accipi posse confitetur, cùm præsertim inter dormiendum visa somniorum nos lacessant, vt somni portis emitti videantur. ait Maro, Hesychius.

Virg. 7. æneid. *Vrit odoratam nocturna ad lumina cedrum.*

Hoc antiquorum cōsuetudine dictum videtur, quod ex Homero sumptum est. Ignitabulum enim vel focum in medijs ædibus habebāt, in quo thedas

thedas vrebant luminis causa, vt narrat Hesychius in vocabulo λαμπτῆρ, Hesychius. his verbis: λαμπτὴρ. φέγγος, φῶς, λαμπὰς, ἑσχάρα, ἐφ' ἧς ἔκαιον εἰς τὸ φωτίζειν αὐτοῖς ξηρὰ ξύλα ἢ δᾳδία. At verò illud, *—Aggere composito tumuli,* Virg. 7. æneid. dictum est ex Græcorū consuetudine, qui τάφον χώσαντες dicunt. Lucianus Lucianus. ἢ τάφον ἐχωσάμην ἐπ' ἀμύκλαις. exaggerare autem terram solebant, quoque altius educebatur, eo honorificum magis erat: atque à tumore illo moleque terræ Latinum nomen tumulis partum est. Homerus quoque eodem Homerus. modo ῥίμφα δὲ σῆμ' ἔχεαν, &, χεύαντες δὲ τὸ σῆμα, dixit. Virg. 10. æneid.

Quid face Troianos atra vim ferre Latinis.

Atra est infesta, dira, noxia, peruersa, iniusta, quòd niger color infaustus sit. sic apud Flaccum, *minuentur atræ carmine curæ.* sic Homerus μελάιναι φρένες Horat. li. 4. od. 11. dixit. Homerus.

Expedire rationes, conturbare, velatis manibus, nullus hoc meticulosus æquè, compendij facere, crepuit foris, popysma, malum obiectum, mala manu, menses decem, in superiore habitare cœnaculo, cis pellere.

CAPVT XV.

Qvædam semper inter legendum bonos auctores occurrunt neque vulgaris notæ, neque publicæ monetæ, quæ enotamus & libantes carpentesque nostris inserimus scriptis: vt ex Amphitruone Plauti, in præsentia faciemus, quod & alias nos facere etiam recordamur, & fortasse sæpius faciemus: semper enim peruolutanti aliquid reconditum eruitur, promiturque, & literis non indignum putatur. Quod igitur scribit,

Plaut. Amphit. Prologo. *Et vt res rationesque vestrorum omnium*
Bene expedire vultis.

Explicat contrariam dicendi formam, conturbare rationes apud Terentium, & conturbare apud M. Tullium. & cur à Martiale conturbator aper dicatur. qui enim non sunt soluendo, neque se extricare nominibus possunt & ære alieno, illi conturbant: nec enim eorum rationes explicari & expediri possunt. Sic in epigrammate de Catone grammatico.

Terent. Eunuc. act. 5. sc. 2. Cic. pro Plāco. Mart. lib. 7. epig. 6.

Suet. de Illustrib. Grāmat. *Omnes soluere posse quæstiones,*
Vnum non facilè expedire nomen.

Et apud Giceronem pro Sestio scribitur, *malis domesticis impediti.* Iterum, Cic. pro Sestio. *Aut qui propter implicationem rei familiaris, communi incendio malunt quam* Cic. ibid. *suo deflagrare.* At verò futura sunt quædam infinitiui modi vsitata Priscis, nobis insolita: vt pro amaturum esse, amasere, pro expugnaturum esse, expugnasere, quæ eo putaui notanda, quòd à Grammaticis præterita neglectaque intelligam. Plautus in Amphitruone,

Plaut. Amphit. sc. qui me alter est audacior. *Sese igitur summa vi virisque eorum oppidum*

—*Expugnaſſere:* id eſt expugnaturum eſſe. Inſolentiſſimum porrò eſt illud dicendi genus, *Sed fugam in ſe nemo tamen conuertitur:*

Plaut.ibid. Quod quidem poëticè dictum accipio, agnoſcoque pro fugam in ſe nemo conuerſam inclinatamque habet, vt,

Nuda genu, & lachrymis oculos ſuffuſa nitentes.

Virg.2.æneid. Velatis autem manibus, eſt cum velamentis & vittis, vt,

Præferimus manibus vittas, & verba precantum: vel ramis oleę lana inuolutis: ἱκέσιαι Græci vocant & σέμματα. *Nullus eſt hoc meticuloſus æquè*: valet, nullus eſt hoc meticuloſior: proinde eſt eadem conſtructionis ratio conſeruata, cùm ſignificationis & ſententiæ ſit eadem vis. Pugni dant ventri victum, qui graſſatores nutriunt verberibus ſpoliatorum. In ſoporem collocare, eſt plagis malè mulctatos, & ictibus ſopitos, propeque exanimatos ſternere: ſic Martialis, —*collocat haſta ſues.*

Virg.7.æneid. *Plaut.Amphit. Sc. Qui me alter eſt &c.* *Plaut.ibid.* *Plaut.ibid.* *Mart.lib.5. epigr.66.* *Plaut.Amphit. Sc.Qui me alter eſt.* *Plau.ibid.*

Vltro autem iſtic qui exoſſat, eſt procul à me exoſſator iſte hominũ ſit.

Sibi malam rem arceſſit iumento ſuo, valet, quærit ſibi malum, quod iumento imponat ſuo, cùm potius ſi quod malum & iniquum onus ſit, alienis iumentis, quàm noſtris imponere ſoleamus, ne eo opprimantur, & rumpantur. ſuo igitur iumento, eſt abſolutè dictum, pro cùm ſuum ſit iumentum: intelligit autem eum ipſum. malum enim ſibi quærit quod geret, cuiuſque iumentum erit: niſi ſi quis ſibi, & iumento ſuo per appoſitionem interpretetur: alterum tamen concinnius videtur, quanquam nec hoc quidem ſine gratia. melius eſt *ſuo ſibi iumento* explicari, pro ſuo proprio iumento, id eſt, ſibi. *Orationem comprimam, crepuit foris,* hoc more Attico dictum, vt & apud Terentium: Nam quia Athenis fores in publicum aperiebantur, qui domo exibat, ne quem eas aperiendo fortè prætereuntem læderet, eique fores impingeret, crepitum eas feriẽs antè edebat. Sic apud Ariſtophanem φορεῖ τις ἔνδον, ſcribitur, de eo qui foras exire vult. *Verùm, quod erit natum tollito*, hoc è moribus & inſtitutis veterum eſt: aliquando enim liberos tolli nolebant, & iubebant exponi. qui enim ali volebat, depoſitũ humi infantem tollebat, vnde & dea quædam Leuana dicebatur, vt ſcribit Diuus Auguſtinus: eodem modo apud Terentium, quod antè poſuimus, *Quicquid peperiſſet decreuerunt tollere:* & in Heautontimorumeno. *Si puellam parerem, nolle tolli.*

Plaut.Amphit. Sc.Bene proſperèque hoc. *Terent Adelp. Act.2.Sc.3.* *Ariſtophan.* *Plaut,Amphit. Sc. Bene vale Alemena.* *D.Auguſt. lib. de Ciuitate Dei.* *Terent. Andr. act.1.Sc.3.* *Terent.Heautontim. act.4. Sc.1.* *Tacit.lib.21.* *Plaut.Amphit. Sc.Bene vale.* *Virg.3.Georg.* *Iuuen.ſat.6.*

Laudari videntur Iudęi hoc nomine à Tacito parum aliâs eis æquo, quòd natos omnes liberos tollerent. Cæterum *palpo* percutere, eſt blando manus plauſu tangere, & velut poppyſmo, vt de equis Maro dixit,

Et plauſæ ſonitum ceruicis amare.

& Iuuenalis, —*frontémque manúmque*

Præbebit vati crebrum poppyſma roganti, id eſt, metopoſcopo & chiromanti

manti roganti ſibi manum oſtendi & frontem, vt facere ſolent, præbebit crebrum popyſma, quod eſt adulabitur, & adſentabitur, caprans eius beneuolentiam, vt ſibi fata ſua canat, & eum propè adorabit. Apud Ariſtophanem ſenex morbo iudiciali laborans ſe à diuitibus popyſmis, vt fulgetras dicit adorari: καὶν ἀφάψω, inquit, ποππύζομαι. vel potius, præbebit manum & frontem vati petenti & roganti ſe pro diuino obſeruari & haberi, & dum fata loquetur, cum admiratione, & veneratione, metuque popyſmis excipi frequentibus. Quod autem Plinius ait popyſmis adorari fulgetras, id eſt, eas adorari leuiter complosis manibus cauis, velut ad deliniendum Iouem iratum. manus enim cauæ complosæ popyſmum efficiunt, quæ vox fictitia eſt ad ſoni expreſſionem. *Faciam vt æquè diſpareat*, eſt, faciam vt quantum acceſſit noctis diuturnitati & prolixitati, tantum de die decedat.

Ariſtoph. Veſpis. *Plin.li.28. c.2.* *Plaut.Amphit. Sc.Bene vale.*

Neſcio quid, autem, *mali eſt mala obiectum manu*, Eſt neſcio quis veneficus eius mentem excantauit: nam in veneficijs non tantùm eſt carmini locus, ſed etiam manui, id eſt ijs, quæ fiunt manus opera: vt cùm adhibentur herbæ, medicamenta, mala venena, etiam quædam interdum vincula. Maro,

Plaut.Amphit. Sc.Age tu.

Spargere qui ſomnos cantúque manúque ſolebat.

Virg.7.Aenei. *Ad aquam*, inquit, *præbendam cõmodum aduenì decimo poſt menſe.* mirum plęriſque videtur eſſe, cur olim decimo menſe mulieres parerent, cùm hodie nono ſoleant: ſed ita ſe res habet, breuiores erant veterum menſes, quàm noſtri, cùm ad lunæ curſum eos metirentur, non ſolis. Itaque ex Hippocratis libro de fœtu, vbi ſumma dierum ſubducitur exactorum menſium, quiuis intelligere facilè poterit, ita ſe rem, vt dixi, habere. ergo Virgilianum illud, *Matri longa decem tulerunt faſtidia menſes*, de lunæ menſibus explicandum proculdubiò eſt.

Plaut.Amphit. Sc.Satin parua res eſt. *Hippoc.lib. de fœtu.* *Virg. eclog.4.*

Quin tu iſtam iubes pro cerrita circunferri, Hic circunferri eſt purgari & luſtrari, propterea quod qui luſtrant, eum, quem luſtrant, ſæpe aliquid circunferentes, circumeunt, vnde & luſtrare, circuire eſt: quod & alibi attingimus. Inde & περιαγίζειν apud Græcos, & περιμάσσειν, & περιμάκτριαι dicuntur.

Plaut.Amphit. Sc.Satin parua res.

In ſuperiore qui habito cœnaculo. Sic perlepidè iocatur pauper hiſtrio, qui perſonam Iouis ſuſceperat pro Amphitruone ſubditi: ſe enim pauperculum dicit cœnacularium, qui habitet in ſuperiore domus cœnaculo ad tegulas, non in inferiore in prima contignatione, ſed in ſuprema.

Plaut.Amphit. Sc.Ego ſum ille Amphitruo.

Inde optimè, ſic ciſpellam, virum. Ciſpellam eſt, aſpellam, repellam, non ſinam vltra progredi, reijciam:

Plaut.Amphit. Sc.Concedue atq; abſcedite.

Non. Marcel. in v. is. Plaut. Mostel. Sc. 1 xi è calm. Plaut. Trucul. Sc. vlsces ego credo.

etiam cis pro vltra vsurpari notat Marcellus: est etiam cis interdum intra, vt in Mostellaria,

Cis paucas tempestates Thranio, Id est, propediem: & in Truculento,

Vt nulla faxim, cis dies paucos fiet.

Quædam in Plinio emendata, sapinus, vaccinia mancupijs sata.

CAPVT XVI.

NON solùm in verborum enodatione posita est auctorum explicatio, & illustratio, sed etiam in locorum emendatione, quorum corruptela, ita sensui plerunque officit, vt nihil probabile salubreque elicere possis. Hîc igitur locos aliquot Plinij emandare nitar. sic autem scribit libro

Plin. lib. 16. c. 4. decimo sexto Naturalis historiæ: *Postquam ex publico in priuatũ magis, singulisque ciuium quæri, & sacrosancta omnia profana fecere:* hîc ego & in priuatum agi legendum esse affero, & profana facere, cùm antecedat cepere. quid quod & sacrosancti legimus in antiquis monumentis, vt de tribunis intelligamus, qui omnia suis seditionibus profanauere? eius vt opinor punctum feret hæc scriptura, qui animi & ingenij non est tardioris nec stolidi. Ego quoque illam esse scripturam vindicandam reor, è sanctuarijs

Plin. ibid. bibliothecarum depromptam: *clarè professi, ne seruari quidem hominem fas esse, lucri causa:* etsi autem eundem facit sensum editio, hæc tamen scriptura vt elegantior, situ & tenebris damnanda non fuit: sed nec in veterno iacere sinemus, quod admonitione veterum librorum coniecimus, in qui-

Plin. lib. 16. c. 8 bus cùm exaratum inuenerimus, *primóque ceu scaptes fruticis paruæ aquifolia ilicis,* vndè temerè & incõsideratè scapus fabricatus & edolatus est ab emendatoribus, nos scabies legendum esse affirmamus. quinetiam *conci-*

Plin ibid ca. 11. *ditur ad cribrum in minuta,* potius quàm ad cribri minuta, non inuitus partim animi augurio, partim librorum testimonio asseruerim. quid quod *sapium* arborem orbi terrarum ignoram, in sapinum mutandam esse Vitru-

Plin cap. 12. eiusdem libri. uij auctoritate freti non dubitamus scribere? quam Plinius idem seri nucleis scribit nam, *in nucleis,* quod euulgatum est, mẽdum olet. etiam nunc

Vitru lib. 1. c. 2. Plin ibid. supereſt sinceritas scripturæ in annosis libris. *Sapini autem mæteries cesa regenerata fit sicuti docebimus.* quid? eo in loco, *haud dubiè præferetur cedro,* diu-

Plin ibid. Plin. cap. 16. eiusdem libri. tius labem hærere sinemus, nec si possumus eluemus secuti volumina cõditiua, in quibus citro legitur? quis autem nescit citreas mensas in pretio & dignatione Priscis fuisse? *Item corbium sportis* in Plinio editum est: sed

Plin. cap. 18. eiusdem lib. refragantur pluteorum archanorum libri veternosi, in quibus cortis scribitur, vnde suspitio oriturr, costis emendandum. *Item,* inquit Plinius, *vac-*

Plin. ibid. *cinia Italiæ in aucupijs sata,* quo in loco scripta & excusa nihil discrepant: sed

sed cùm quæ sint ea aucupia non intelligam, & sciam Galeno, Aëtio, reliquis medicis, mãgonio vaccinij corporum pubertatem tardari, quod venalitiarijs vtile plerunque erat, mancupijs, si cui sagax hæc coniectura videri potest, non illibenter legerim: hîc tamen Plinium mirari subit, qui Plin. ibid.

vaccinium, id est hyacinthum, in arborum classem & sensum retulerit: legendum autem planè est, *Galliæ verò etiam purpuræ tingendæ causa ad seruiti-* Plin. eod. ca. 18. *orum vestes.*

Ponderibus librata terra, melior natura, melior mundus, magna parens,
tu non inuenta reperta es, apud Ouidium.

CAPVT XVII.

VERSVS est Ouidij etiam atque etiam considerandus: Ouid. 1. Met.

Nec circunfuso pendebat in aëre tellus,
Ponderibus librata suis:

Cui enim non incredibile videatur tellurem suo pondere suspensam teneri, cùm suo pondere potius in præceps, & abruptum ire debeat: sed nec pondere, verùm põderibus dixit. existimo ab eo significari ita in medio vniuersi cardine pendere terram, vt cùm tantundem vndique ponderum habeat, nulla propensio ei in hanc vel in illam cœli partem, nullaque inclinatio sit: quam & quietis terræ causam Plato existimat esse, & ἰσορροπίαν Græci vocant: nam sic vndique examinata ponderibus suis, neque Plato. in mediæ noctis metam, neque in medij diei punctum feretur, nutu ponderum æqualiter vtrinque resistente. obnituntur enim & repugnant: nec in ortum vel occasum propendebit, cùm tantundem ponderis retrahentis vtrinque sit. Itaque si in ortum inclinetur, repugnabunt pondera eius in occasum vergentia, eiusdem versus est,

Hanc deus & melior litem natura diremit, Ouid. 1. Met.

explanationis indigens; sed ne commemorem aliorum de eo sententias, & vt paucis quod sentio complectar, meliorem naturam appellari eam puto, quæ corpora perturbata in chao, & illo confuso rerum aceruo exemit, & in hanc, quam videmus, descripsit & distinxit speciem. Nam deterior erat natura, quæ res in confusione mixtas, vnóque indistinctas vultu tenebat. sic ab eodem,

Ille opifex rerum mundi melioris origo, Ouid. ibid.

dicitur, quòd ante istum rerum ornatum deterior esset in confusione mundus. Idem scribit,

Oßáque post tergum magnæ iactate parentis: Ouid. ibid.

& non multò post, *Magna parens terra est.* Ouid. ibid.

Cùm magnus pater Latinis sit auus, maior pater proauus, maximus, ab-

auus,magnam parentem reor dici Tellurem antiquam & primam humani generis procreatricem: eodem fortasse modo & patria magna parens
Cic. de Repub. vocari posset,quam Cicero in libris de Republica appellat antiquiorem parentem:Sic enim scribit,*Sed quoniam plurima beneficia continet patria, & est antiquior parens,quam si quis,vt aiunt,curauerit:maior ei profectò,quàm parenti debetur gratia.* At verò illud,*tu non inuenta reperta es*, quem sensum effi-
Ouid.1.Meta. Valla.li.5 eleg. ca.2. & Alexand,ab Alex. lib.1.cap.21. cit? Nam inter Grammaticos de eo litem esse natam audio,& quosdam ex hoc loco nescio quam eruere distinctionem inter inuenire & reperire: ego ne quid improbem,sed vt more institutoq; meo animi mei sensum declarem,non inuentam interpretor quæ inueniri non potest, id est, vt ita magis significem quod volo veniam verbi præfatus, non inuenibilem. Te,inquit,quæ in iuuẽcam mutata es,reperi inueniri non posse, cùm speciem formamque puellæ amiseris. Sic inuictus est (vt ita dicam) inuin-
Cic.in Timæo. cibilis: & indissolutus apud Ciceronem in Timęo,indissolubilis & illau-
Virg.3.Georg. datus apud Maronem,illaudabilis est: vel, etsi re quæsiui per omnes terras,ita tãdem tamen te in buccula reperi, vt non inuenerim natam meam.

Fertilitas barbara,porticus,siquidem homo esset,ferrum recipere, apud Ciceronem. CAPVT XVIII.

VOX est ita trita, vt vsu propè & ministerio detrita sit, fertilitas, quæ tamen nescio quid aliud quàm in quotidiano ministerio & domestico vsu nobis apud Ciceronem ostendit secunda Tusculana: locum proferam,
Cic.2. Tusc. *Illi autem voluerunt nihil horum simile apud Lacænas virgines, quibus magis palestra, Eurotas,sol,pulvis, labor, militia in studio est, quam fertilitas barbara:* ego hîc fertilitatem puto delicias ornatus luxumque significare, quibus Troianorum & Medorum nurus,& virgines ornatæ magnificè comptæque erant, vt quemadmodum fertilitas in solo feraci & fœcundo dicitur frugum copias gerente: ita fertilitas dicatur in illis quę cultum vestitumque eximium gestãt,gemmisque & margaritis, torquibus & cathenis au-
Cic.ead.2.Tusc. reis ornatæ sunt. Ac putem illud acroteleucium, *fertilitas barbara*, exantiquo sumptum esse poëta. Porticus eadem disputatione etiam tentorium, vel tabernaculum significat,quod admonendum duxi,quia fortasse multi id animaduersuri non essent,quos quid admonere & aduertere prohibet. sic enim scribitur,*Namque Æsculapi liberorum saucij opplent porticus*. Loquitur de Podalirio & Machaone, qui ad Troiam tendebant & tabernacula habebant. Legendum autem ibidem censeo, *ô Patrocle*! nam versus octonarij modulus hanc scripturam postulat: & non ita longè, *abducet Patroclus credo*. at verò, *si quidem homo esset*, valet, hoc quidem faceret Patroclus

troclus,si quid humanitatis haberet: *Sed*,inquit,*nihil vidi minus*,id est nec collocat in cubili, nec obligat ei vulnus. *Quiesce igitur & vulnus alliga: etiam si Eurypilus non posset, posset Æsopus*: in calamo scriptis voluminibus reperio,nec condemno, hoc sensu: Et si Eurypilum virum fortem puderet Patroclo dicere, quiesce desineq; interrogare me, quo loco res Græcorum sit, vulnusque meum alliga: non tamen Æsopum Tragœdum id puderet proloqui. Igitur Eurypilus effari, & narrare incipit laborem, & inclinationem aciei Grecorum in dolore. Etiam in illis libris secus quam in editis lego, *Si satis his factum non sit, se velle decumbere*: quod cùm optimam eloquatur sententiam, cur supprimere obsecro debui? scio & sine negatione sensum explicari non incommodè,vt in editionibus extat:sed quod non commentus sum,sed reperi,sine fraude,vt opinor,me reperisse testificari possum. *Quis*,inquit,*cùm decubuisset,ferrum recipere iussus, collum contraxit?* ferrum recipere est iugulum aut latus ferro præbere: non se cõtrahere,non manus non lacertos opponere, non pedes, non ictum declinare. Iubebantur autem interdum,qui decubuerant,à populo iugulari. Eodem genere loquendi pro Roscio est vsus: *quòd non*, inquit, *totum telum corpore recepisset*. qui autem telum recipiebant, fortiores habebantur, quam qui collum contrahebant: vt Maro in clausula libri decimi de fortissimo duce Mezentio mihi dixisse videatur,

Hæc loquitur,iugulóque haud inscius accipit ensem.

Ego in peroratione lego, *& tibi hoc video non posse deberi*. particula enim aduersatrix, sed,obscurat confunditque sensum: ait enim crastino disputationem ad constitutum fore ad clepsydram,præsertim cùm auditor cogat sibi rem solui & repræsentari,neque deberi differriq́ue sinat.

Cic.ibid. Cic.ibid. Virg.10.æneid.in fine. Cic.2.Tuscul.

Corymbium,capillamentum,lues,stator,equestria. CAPVT XIX.

EPIGRAMMATION est perelegans,perque scitum Petronij, de eo qui antè crine decorus,caluitio postea deformi pulchritudinẽ amiserat.

Petron.in fragmento

Infœlix modo crinibus nitebas,
At nunc læuior ære vel rotundo,
Ridentes fugis & times puellas:
Phœbo pulchrior, & sorore Phœbi:
Orti tubere quod creauit vnda,
Vt mortem citius venire credas:
Scito iam capitis periisse partem.

Sed existimo tepere & planè frigere eius gratiam,quòd sensus vitio transpositorum

ſpoſitorum verſuum conturbatio eſt: Nam mihi quidem ſic eorum texendus videtur ordo.

Infœlix modo crinibus nitebas,
Phœbo pulchrior, & ſorore Phœbi:
At nunc læuior ære, vel rotundo
Orti tubere quod creauit vnda,
Ridentes fugis, & times puellas.

Ita enim ſenſus vrbanorum & diſertorum verſiculorum eniteſcet, vt caluus comparetur æri, & tuberi ortorum rotundo, nullaque lanugine villoſo. Inquit Petronius,

Petron. Arbit. in fragment.

Corymbióque dominæ pueri adornat caput:

Sic redimiculum muliebrium comarum, vt crobylus virorum, ſcorpius puerorum intelligitur: à Grãmaticis Græcis implicatio comarum in acutum deſinens explicatur. —*Crines nodantur in aurum,*

Virg. 4. æneid. Seruius in 4. Aeneid.

cùm Maro canit, Seruius crobylon interpretatur. Sed hîc comæ ſunt adpoſititiæ, quales flauas plerunque mulieres mẽtito decore formam quærentes præſertim in aulis ſibi adijciunt. Nam cui circumponitur corymbion, is raſus nouacula fuerat. & mox ſequitur: *Euocatúmque me non minus,*

Petronius.

Decoro exornauit capillamento. Is quoque raſus fuerat, cui capillamentum eſt inditum. vt autem corymbion fœminarum diximus, ita capillamẽtum virorum affirmamus. Nõ dixit autẽ Petronius calcare verſum pro terere, vt à via trita tranſlatio ducta ſit, quæ eadẽ calcatur. Nã & dixit Ariſtophanes, ὐδ' ἀισχύλον πεπάληκας, id eſt, Æſchylum non calcaſti, quod eſt, eum non triuiſti, nec diligẽter frequenterque peruolutaſti, ſed quòd quæ ſenticoſa ſunt & ſpinoſa aculeisque horrentia, veſtigio premere timemus. ſic enim inquit, *Cæteri, aut non viderunt viam qua itur ad carmen, aut verſum timuerunt calcare.* lego autem,

Ariſtoph. Auibus.

Petronius.

Ac ſeſe pictum laudabat miles in vnda, Et mox,

Petronius.

Hinc Numidæ accurant, illinc noua vellera Seres.

Lues eſt illi ſoluta aqua, vt cùm niues in tabem aquamque liquatæ ſunt.

Petronius.

—*Vincta fluctus ſtupuere pruina:*

Et paulò antè lues, iam concidenda iacebat: ait enim aquas, quæ ante labebantur ſolutæ, repentè in pruinam concreuiſſe & glaciem, vt ferro earum rigor frangendus eſſet. Ait idem, *Quædam enim fœminæ ſordibus calent, nec libidinem concitant, niſi aut ſeruos viderint, aut ſtatores diutius cinctos,*

Petronius.

diſcinctos puto legendum, ac ſtatores ſeruos eſſe puto aut libertos, qui propè herum aut patronum ſtant, & ei præſto ſunt, & ſi quem quærat, arceſſunt ſiſtuntque. eleganter de muliere, quæ amatoribus plebeijs & viliſſimis delectatur, ſcripſit, *ex hac nota eſt mea domina, vſque ab orcheſtra quatuor-*

quatuordecim tranſilit, & in extrema plebe quærit quod diligat. Equeſtria pro locis theatralibus equitum, & modificatis verbis, pro equitibus vſurpauit, cùm ſcripſit, *nunquam tamen niſi in equeſtribus ſedeo:* id verò eſt, nunquam eſt mihi res, niſi cum illis qui ſedent in quatuordecim ordinibus.

Petron. ibid.

Fiſtula apud Plinium vorticis genus declarata.
CAPVT XX.

CVI non tandem mouet admirationem illud Plinianum? *ex eodem genere & in longam veluti fiſtulam nubes aquam trahit*. Quid enim fiſtulæ rei eſt cum vorticibus & turbinibus, alijsque repentinis procellarum generibus? Deinde, qua obſecro machinatione poteſt fiſtula illa ſorbere aquã è mari? niſi fortè interpres & inueſtigator naturæ, vulgi ſequutus eſt errorem exiſtimantis iridem ſui diſcoloris arcus cornibus, in nubes aquam trahere velut tollenone è fluminibus & mari haurientem: itidem & ipſe fiſtulatam aliquam nubem cẽſuit poſſe ſurſum elicere aquam, & in excelſum ſorbere Equidem exiſtimauerim iſtam fiſtulam vorticem eſſe, neque à vortice ſeparandam. Nam ita rotatus & vibratus ſuo turbine impetuque in mare interdum impingitur & illiditur, & reuerberatus repercuſſuſque retro reijcitur cum aquæ rapina: vnde à nauticis ſipho appellabatur, quem Plinius fiſtulam interpretatus eſt. Non debuit tamen fortaſſe nouam ſpeciem flatus ex vocabulo nautico Plinius procreare: niſi ſi hac ex parte excuſandus ſit, quòd cùm in mari non omnis vortex id facere ſoleat, meritò qui id faciat, notari & diſtingui debuerit: ac mediusfidius hac æquitate & benignitate interpretationis bonos ſcriptores potius leuare, quàm per calumniam iniquam opprimere & circũuenire, candidi nec maligni animi, nulloque liuore ſuffuſi fuerit. Nos tamen interea fiſtulam eſſe vorticem doceamus, ne quis nos putet ariolari atque ineptè cornicari. ſic igitur ſcribit Olympiodorus in Ariſtotelis Meteora. Ἀριστοτέλης δὲ τυφῶνα οἷον τυπῶνα, ἀφ' ὃ τὸ τύπλειν σφοδρῶς καὶ ῥηγνύναι πρεὰ σώματα. καῦλαι δὲ σίφωνα. ἀφ' ὃ τὸ δίκην σίφωνος ἀναπᾶν τὸ ὕδωρ τῆς θαλάσσης. Ecce Olympiodorus vorticem à nautis dicit appellari ſiphonẽ, id eſt fiſtulam, quia in modũ fiſtulæ trahat è mari aquã, quod, vt aiunt geometræ, oportebat eſtẽdere.

Plin. lib. 2. c. 49.

Olympiodorus in meteora Ariſtot.

Ionicus, cinædicus, ſtaticuli, verſus, orbis ſaltatorius, bibere pro ſummo.
CAPVT XXI.

EXPLICANDA ſunt verba Plauti illa è Sticho, *qui Ionicus, aut cinædicus, qui hoc tale facere poſſit?* hîc cinædici nomen non eſſe infamis, nefandique

Plaut. Stichoſc. vlt.

Non. Marcel. in Cinædi. Plaut. Stico. Sc. vltima Plaut. Aulul. Sc. Redi quo fugis nunc. Plaut. Stich. Sc. Morem vobis geram.

que probri, à Nonio est annotatum: sed in saltatore poni: vt & mox, *cinædus contra staticulis stare nobis non magis potis est, quam fungus imbri*: tamen & eneruem fractumque, & velut exossem tripudiatorem, eo nomine intelligi crediderim, cùm in Aulularia scribatur, *ità fustibus sum mollior magis, quàm cinædus.* Sed & cantionem cinædicam vocat proteruiorem libidinosioremque, pruritúmque excitantem: *suauem cantionem occipito cinædicam, vti perpruriscamus vsque ex vnguiculis*. Ionicum quoque, saltatorem ferè molliculum & effœminatum delicatiúsque se mouentem interpreter: vt apud Horatium,

Horat. lib. 3. od. 6.

Motus doceri gaudet Ionicos Matura virgo:

tum quòd Ionũ mores & saltationes lasciuiores & teneriores petulãtioréq; erant, tum quòd, si id è propinqua repeti insula placet, nec in Asiam nauigari, Siculi saltationem quandã, vt reor, blandam & voluptuariam, in honorem Dianæ celebrabant, Ionicam vocaram. Pollux, τὸ δὲ ἰωνικὸν ἀρτέμιδι ἀφχουῦτο σικελιῶται μάλιστα. Cùm autem vt à Plutarcho scriptum est in sympotiacis, tres sint saltationis partes φορὰ, σχῆμα, & δεῖξις, id est motus, gestus, demonstratio: staticulos ad quietem, quæ in gestu, & statu est, & in demonstratione, pertinere crediderim, nec (vt opinor) iniuria: vorsus ad motum. sic enim in Sticho scribitur, *Si isthoc vorsu me viceris, alio me prouocato.* Est enim versus & orbis saltatorius, species quædam motus, cuius multa genera tripudiatores frequentant. sed ijdem etiam sæpe se versant in orbémque rotant. De saltatorio orbe sic in Pisonem scribit Cicero, *Cùm illum suum saltatorium versaret orbem*, de staticulis Cato apud Macrobium, *inde staticulos dare, ridicularia fundere*. Iterum, *voces demutat, staticulos dat.* Vidi autem qui non dubitarent in eadem fabula inficiationem in affirmationem mutare: *volo ego nos pro summo bibere, nulli relerimus postea*: non vt scribitur, *nolo ego*: hoc sensu, Volo nos pro summo bibere, vt modum quem dicemus ne superemus, ísque sit cyathorum summus modus in potando: vel potius, hoc summum sit & vltimum quod bibemus, nullíque postea relinamus è cado, sed finem potandi faciamus. Fortassis autem summa potio decem cyathorum erat, quibus se inuitarant, & Græcam cantionem cecinerant: quinque bibe, tres bibe, & semiquatuor: quæ summa decem cyathorum est. Sed *nolo* perplacet, hoc sensu, Nolo nos bibere immanibus haustibus: nulli postea relinamus cadum aperiamúsque summis haustibus bibituro. *subitò enim cadus verti posset*, vt ait, quod est exhauriri, si tam magnis nos poculis ingurgitaremus, vt apud Horatium,

Cic. in Pisonẽ. Macrob. lib. 3. saturn. ca. 14. Macrob. ibid. Plaut. Sticho. Sc. Agite ite foras. Plaut. ibid. Horat lib. 2. sat 8. Plaut. Sticho. Sc. Agite ite foras.

Inuertunt Alifanis vinaria tota,

id est exhauriunt. Nam cadus qui inanitur, inuertitur. Bibere autem ab summo, aliud quiddam erat, de quo suo loco dicemus. At verò *vter demutasit, pro culpa multabitur*, legendum

dum ferè censuerim, non vt in seminarijs editionum publicarum, *procul demutasit*, vel potiùs vt Ioachimus Camerarius [redacted] emendat, poculo multabitur.

5 *Nitens taurus, myrtus, Getæ, inferiæ, Anius, tremere omnia visa repentè apud Maronem, habitabant vallibus imis, nigram hyemi pecudem, in partem vocare, lentare remum.*

CAPVT XXII.

10 VIRGILIVS libro tertio Æneid. scribit, *—superóque nitentem Cœlicolum regi mactabam in littore taurum:* Virg. 3. æneid.

vbi nitentem opimum interpretor. nam quæ saginata sunt nitere dicuntur: sequitur non longo interuallo,

Et densis hastilibus horrida myrtus: Virg. ibid.

15 hoc mihi è consuetudine Græcorum doctissimus poëta finxisse videtur, qui tumulis & bustis, cum alia virgulta, tum myrtum imponere solebant, quod eruditissimus vir Victorius annotauit. myrtum autem petebat Aeneas, vt ad rem diuinam verbenas haberet: veriùs sit tamen hæc finxisse Maronem, quòd è corno & myrto hastas facerent antiqui, quibus ait

20 confixum Polydorum fuisse.

Gradiuúmque patrem, Geticis qui præsidet aruis, Virg. 3. æneid.

hîc Getica arua, arua Thraciæ interpretor, cuius partem olim tenuerunt Getæ, vt scribit Thucydides: sed inde demigrauêre. nam non est infrequens gentium migratio in alias terras. Igitur Aeneas in Thracia cùm es- Thucydid. li. 2.

25 set perculsus illo monstro, precari Gradiuum patrem cœpit, qui Thraciæ imperat. *Inferimus tepido spumantia cymbia lacte.* Virg. 3. æneid.

Inde inferiarum nomen ortum est, quod mortuorum sepulchris inferuntur. χοαὶ à Græcis vocantur. fundebant autem lac, mel, aquam, vinum, oliuas, flores etiam spargebant. Aeschylus,

30 Βοός τ' ἀφ' ἁγνῆς λευκὸν εὔποτον γάλα,
Τῆς τ' ἀνθεμουργοῦ στάγμα παμφαὲς μέλι
Λιβάσιν ὑδρηλαῖς παρθένου πηγῆς μέτα.
Ἀκήρατόν τε μητρὸς ἀγρίας ἄπο
Ποτὸν παλαιᾶς ἀμπέλου γάνος τόδε.
Τῆς τ' ἀιεὶ ἐν φύλλοισι θαλλούσης βίον
35 Ξανθῆς ἐλαίας καρπὸς εὐώδης πάρα.
Ἄνθη λεχὶ τὰ παμφόρου γαίας τέκνα.
—Animámque sepulchro *Condimus:* Aeschylus pers. Virg. 3. æneid.

è veterum opinione poëta dixit, qui sepulchrum mortuorum domicilium credebant, & portum corporis appellabant. Cicero,

Neque ſepulchrum quo recipiat, habeat portum corporis,
Vbi remiſſa vita corpus requieſcat malis.

Virg. 3. æneid. *Rex Anius Rex idem hominum Phœbíque ſacerdos.*

Dionyſ. li. 1. antiquit. Rom. Virg. 3. æneid. Anium Delo imperaſſe commemorat Dionyſius, & Troianos duce Aenea in illo errore claſſe Delum applicuiſſe: ἐν δὲ παλήνῃ, inquit, ἄρχοντες οἱ τρῶες, εἰς δῆλον ἀφικνοῦνται βασιλεύοντος αὐτῆς ἀνίου.

Vix ea fatus eram, tremere omnia viſa repentè
Liminaque laurúſque dei.

Callimach. in Apollin. aduentante Apolline ſic omnia mouebantur,

Οἷον ὁ τῶ πόλλωνος ἐσείσατο δάφνινος ὄρπηξ,
Οἷα δ' ὅλον τὸ μέλαθρον,

Callimach. interpres. inquit Callimachus: cuius interpres ait, hoc fieri ἐπιδημοῦντος τοῦ θεοῦ, id eſt aduentante deo, tumque vera reddi oracula, vt eo abſente, falſa. Particulam autem *que*, vel Homerico more produxit ſequente liquida. his enim literis ſequentibus plerumque

Homer. Iliad. 1. breues Homerus produxit, vt αὐτός δ' ἑλώεια τεύχε κυήσας: quomodo Perſianum *melos* defendi poteſt, niſi ſi quis ſeruato æquè incolumique numero legat,

Perſ. in præfat. *Cantare Pegaſeium melos credas*, quod nonnullis placuiſſe video: vel terminationis cauſa, vt grammatici ſcribunt.

Virg. li. 3. æneid. *—nondum Ilium & arces*
Pergameæ ſteterant, habitabant vallibus imis,

cùm dixit, Homeri locum illum Iliados υ, expreſſit.

Homer. Iliad. υ. Κλῦτε δὲ δαρδανίδαι, ἐπεὶ ἔμπης ἴλιος ἱρὴ
Ἐν πεδίῳ πεπόλιχο πόλις μερόπων ἀνθρώπων,
Αλλ' ἔθ' ὑπωρείας ὤκεον πολυπιδάκα ἴδης.

Plato. Strabo. quibus in verſibus plurimum Maro ab explanatione Platonis & Strabonis recedere fortaſſe videatur: illi enim ſcribunt poſt diluuium, primum homines ſumma montium inſediſſe cacumina metu aliarum eluuionum: deinde paulatim terra iam ſicciore in montium deſcendiſſe radices, ibiq; ſibi domicilia paraſſe, eas enim eſſe ὑπωρείας: poſtremò campos occupaſſe & ſecundum fluuios ſedes ſibi legiſſe. at Maro ὑπωρείας valles imas interpretatus, nonnihil à poëtæ Græci ſententia deflexit, vt quis putaret: exiſtimo tamen ſignificari ab eo montium radices, vt Homerus ſcripſit.

Virg. 3. æneid. *Taurum Neptuno, taurum tibi pulcher Apollo*

Homerus. verſus eſt Homeri ad verbum redditus,

Ταῦρον Ἀπόλλωνι, ταῦρον δέτε ποσειδάωνι.

Nigram hyemi pecudem immolari Maro facit, vt & Flaccus ei agnam, cùm eſſet Tempeſtas ritu Romano dea. ait enim Flaccus,

Horat. Epod. od. 10. *Libidinoſus immolabitur Caper.*

Ariſtoph. Ranis. *Atque agna tempeſtatibus*, Ariſtophanes, βατράχοις,
Ἄρν' ἄρνα μέλαιναν παῖδες ἐξενέγκατε,
τυφὼς γὰρ ἐκβαίνει θερμευόμενος.

Ita etiam ritu Græco Tempeſtati agna nigri velleris immolabatur.

Virg. 3 æneid. *Plena per inſertas fundebat Luna feneſtras,*

Inſertas interpretor quæ ædibus inſertæ & interpoſitæ erant, vt apud Lucretium, *Inſerti fundunt radij per opaca domorum.* Lucret. lib. 2. Inſerti enim radij ſunt, qui per domos inſeruntur, & in eas ſubeunt, ſoliſque lumina ſpargunt. *Velatáſque comas*, exponi rectè video vittatas, vt Virg. 3. æneid. & velatis manibus eſt apud Plautum, & velamenta apud Liuium, ſuppli- Plau. Amph. Sc. cum vittæ ſunt. *—ipſumque vocamus* *In prædam partemque Iouem,* Qui me alter. Liuius lib. 29. & li. 35. In partem vocare, iuris verbum eſt, pro participem facere, & partiarium admittere: Cicero pro Cecinna, *Mulieres in partem vocatæ ſunt*. Nam & Virg. 3. æneid. de præda dijs immolabant, & partes etiam quaſdam eis interdum ſuſpen- Cic. pro Cecin. debant de tholo & conſecrabant, vt Dianæ aprorum capita & ceruorum cornua. Maro, *Setoſi caput hoc apri tibi Delia paruus,* Virg. 7. eclog.
Et Ramoſa Mycon viuacis cornua cerui,

& libro nono, *Si qua ipſe meis venatibus auxi,* Virg. 9. æneid.
Suſpendiue tholo, aut ſacra ad faſtigia fixi.

Nemoroſa zacynthos, eſt quod ab Homero dicitur ὑλήεσσι ζακύνθῳ, verbum Virg. 3. æneid. Homerus. ex verbo expreſſum. Odyſſ. 1.

Effugimus, Ithacæ ſcopulos Laërtia regna, ad contemptum & irriſionem Virg. 3. æneid. ſcopulos & regna vocauit, ac Ciceronem imitatus eſt, qui de Vlyſſis pa- Cic. lib. 1. de Orat. tria ſic libro primo de Oratore ſcribit. *Vt Ithacam illam in aſperrimis ſcopulis ſeu nidulum affixam ſapientiſſimus vir immortalitati anteponeret.*

Virg. 3. æneid. *Ante & Trinacria lentandus remus in vnda,*

Id eſt, in Siculo mari nauigandum. cùm enim remiges magnis viribus remigant, lentant, id eſt, curuant & flectunt pandantque remos: qui & ea de cauſa lenti à Catullo appellantur, cuius verſus Virgiliani carminis explanatio erit. *Quíne fugit lentos incuruans gurgite remos?* Catul. in nupt. Pelei.

Ometides, ſegmenta, diſcrimen purum, tres iactare numeros, ſubire & vocare. CAPVT XXIII.

CONVENIVNT, inquit Ouidius, *tenues ſcapulis ameletides altis:* Ouid 3. de art. amandi.
Angustum circa faſcia pectus eat.

Natio Grammaticorum in ameletidibus explicandis fruſtra ſudat, nihilque proficit. Ego enim contra librorum auctoritatem affirmauerim legendum eſſe ometides, vt ſint tanquam ſcapulares vel humerales faſciæ: quis enim neſcit ad diſſimulandam ſcapularum altitudinem tenuibus faſcijs vtẽdum, ne ſi craſſioribus & plenioris fili aliqua vtatur, magis vitium

extet & appareat? Recordor equidem Grammaticos primi ordinis, analectides legere, & intelligere tanquam puluillos ad conſtipandas puellarum ſcapulas, quibus ſuſcriptorem præſtare non poſſum.

Ouid. ibid. *Quid*, ait idem, *de veſte loquar? non iam ſegmenta requiro.*
Nec quæ bis tyrio murice lana rubet.

Ego hic ſegmenta eſſe puto purpuræ vel aurei panni virgas, vnde & ſegmentatæ veſtes nomen habuerunt. Nam ſunt & ſegmẽta virgæ quædam aureæ & zonæ, quæ veſti inſeruntur ad ornamentum, velut inſtitæ quædam, & limbi: quibus inrerdum verſicolor veſtis redditur. Valerius, *permiſit quoque ijs purpurea veſte, & aureis vti ſegmentis.* Iſidorus, *ſegmentata veſtis zonis*, inquit, *quibuſdam, & quaſi præciſamentis ornata.*

Valerius Max. Iſidorus. lib. 19. Etym. cap. 22.

Ouid. 3. de art. amandi. *Longa probat facies capitis diſcrimina puri,*

diſcrimen hîc vocat, cùm in medio ſincipite in diuerſum coma diſcernitur: purum caput dicitur, pars capitis anterior ad diſcrimen nulla re ornata nulloque nodo conſtricta, cùm in aurum non ſunt ea parte nodati crines, nec in reticulum collecti: per tranſlationem de terra in orto dixit Columella,

Columel. li. 10. de cult. hortor. Ouid. 3. de art. amand. *Inde vbi ſe puro diſcrimine pectita tellus.*
Ecce tibi ſimilis, qui quondam Phrixon & Hellen
Diceris Inois eripuiſſe dolis,

quem hic veſtis colorem ſignificat Ouidius? ac putem intelligi veſtem colori s fului, qualis erat color velleris aurei, id ex eo apparet, quòd alio loco ſcribit,

Ouid. ibid. *Dictáque Varroni fuluis inſignia villis*
Vellera, germanæ Phrixe querenda tuæ.

Hanc, inquit, *decet ornari teſtudine Cyllenæa*,

exiſtimo ſignificare alterius in faſtigium teſtudinatum eſſe comæ ſuggeſtum rotundandum, vt ille comarum ornatus teſtudinis à Mercurio inuentæ figuram referat.

Ouid. 3. de art. amandi. *Et modo tres iactet numeros: modo cogitet aptè,*
Quam ſubeat partem callida, quámque vocet:

apparet eam luſus rationem ſignificari, qua quis iactis numeris in teſſerarum ludo, vnum ex eis ſibi eligit, quo redeunte lucretur: vnum ſubit, quo reuertente perdat. vocamus enim quod euenire optamus, ſubimus quod ferre cogimur: vt alterum voti ſit, alterum neceſſitatis. ſed ea conditio eſt, vt legamus eum numerum, quem potius rediturum putemus, cum ſubeamus, quem minus rediturum ſperemus, vt auguremur nobis potius lucrum, quam iacturam ominemur. Nam & in hac coniectura ineſt calliditas, ſuisque rationibus aduerſaria ſit, quæ eum numerum, qui ſæpius repetit, ſubire malit, quàm vocare.

Arbitrium

Arbitrium Gellij libro primo de Legibus explicatum, proconſule.

CAPVT XXIIII.

LOCVS eſt primo libro de Legibus de ioculari Gellij arbitrio, qui ſe inter philoſophos Athenis interponere cupijt, vt eorum controuerſias dirimeret de finibus bonorum & malorum, cuius hanc ſententiam eſſe arbitror: rem enim dixit conuenire poſſe, poſſeque componi, ſi quid inter ipſos philoſophos conuenire poſſet, quod eſt, ſi non abhorrerent à concordia, verùm ad pacem concordiamque animum adijcerẽt, remque vel iudici vel arbitro permitterent, nec diſſentiones fouerent, & augerent: quinetiam ſe eum laborem eorum cauſa ſuſcepturum libenter pollicitus eſt, promiſitque operam ſuam, ſi ſe vel arbitrum vel iudicem vellent. eam diſceptationem Cicero inter tam diuerſas ſectas non eſſe facilem arbitratur, nec rem componi poſſe arbitrio cenſet vt ciuium lites, cenſet tamen inter Academicos & Stoicos poſſe, cùm in conſtituẽdis finibus verbis potius, quàm ſententijs diſſideant. Itaq; vellet ſe inter eos eſſe arbitrũ à prætore datum: deinde tandem adſcribit, *nec Manilia lege ſinguli, ſed ex ijs tres arbitri fines regemus*. Hæc vltima ſententia mendoſum neſcio quid tinnit & ſubæratum. Quare vehemẽter mihi probatur eruditiſſimi & clariſſimi viri Aemari Ranconeti ſentẽtia, qui legendum credebat, *ſed è duodecim tres arbitri fines regemus*. Nam pro è duodecim, ex ijs fieri lubrico errore & lapſu propter affinitatem potuit: & ſatis conſtat legem Maniliam arbitrum vnum dediſſe: Legem duodecim tabularum tres dediſſe quibuſdam in rebus, aliudque ſtatuiſſe quàm Maniliam, quæ poſtea ſequuta eſt, non dubitamus, cùm apud Feſtum reperiamus eius hæc verba, *Si vindiciam falſam tulit, rei ſiue litis arbitros tres dato: eorum arbitrio fructus duplione damnum decidito*. Adiuuat quod leges duodecim tabularum non videntur induxiſſe quinque pedes finales, qui nunquam vſucaperentur: ſed lex Manilia, vt ex Vrbico apparet: vt proinde non hac lege, ſed lege duodecim tabularum fines regere velit. nam duodecim tabulæ etiam quinque pedes voluerũt vſucapi, non autem lex Manilia. Sed tamen hoc totum coniecturale videri velim, & arbitrarium potius, quàm certum. *ex his* tamen ſi quis legat hîc ſenſus elicietur, ex his legibus quas ſcribimus & ſancimus hoc libro. Illic autem cùm proconſule Gellius vocetur, hoc vocabulum de ijs ſolitum dici tum fuiſſe videtur, qui extra ordinem velut conſulis loco mitterentur, cùm interdum nec ex conſulatu mitterentur, nec vnquam conſules fuiſſent: quando quod nunquam antea factum fuerat, vt ait Dio, & conſularibus Ciceronis ætate prouinciæ conſulares mandatæ ſunt, proconſulesq; vocati ſunt. proconſule contra Sertorium ſcribit miſ-

Cic. li. 1. de Legib. Feſt. lib. 19. in litera V. Vrbic. de limitib. agror. Cic. 1. de legib. Dio.

sum esse Pompeium pro lege Manilia Cicero: quod Plutarchus vertit, εἰ πομπήϊον ὄιεται δεῖν ἀνθ' ὑπάτου ἐκπεμφθῆναι φίλιππος ἂν ἔγωγε φαίην τὸν φίλιππον, ἀλλ' ἀνθ' ὑπάτων. Videntur tamen tandem proconsulem & pro consule eodem modo dixisse, atque si Diuo Augustino credimus, proconsul olim dicebatur, postea pro consule: eius verba sunt, *Ab e, litera vocali nullum latinum, nisi iuncta præpositione, masculinum inuenitur: vt proconsule, proprætore. Ergo iuncta præpositione fiunt latina, vt dixi, proprætore, proquæstore. Nam veteres nominatiuo casu proconsul dicebant, attendentes nullum nomen latinum exire in e, literam nominatiuo casu generis masculini.*

Cic. pro lege Manilia. Plutarch in Pompeij vita. D. August. de Ciuitate Dei lib. cap.

LIBRI QVARTI FINIS.

ADRIANI TVRNEBI ADVERSARIORVM LIBER QVINTVS.

Cognituræ, spintria, aureus, miliarium, quid mihi cum longis tibijs, mota ancilia, scambus, in Suetonio.

CAPVT I.

LVTVLENTVM, vt ita dicam, & cænosum arbitror illum in Suetonij Vitellio locum, in quo de eius maioribus disserit: *Cuius* (inquit) *filius sectionibus & consuturis vberius compendium nactus*: quæ enim, malum, sunt istæ consuturæ? nisi fortè eum censet vt patrem, fuisse sutorem veteramentarium. sed vt arbitror, sutor & sector non fuisset. illud accommodatius, &, vt opinor, longè verius, cuius assertores sunt libri veteres: *cuius filius sectionibus & cognituris*: cognituras enim dicit procurationes, cùm hominum in foro esset cognitor & procurator. cognitiones non dixit, sed cognituras, ne de iudice loqui videretur. Ibidem vulgaris mulier est quæ sui copiam facit, seque vulgat, quomodo & à Iurisconsultis vsurpatur. Quid illud est? *& ipse perpetuò spintriæ cognomine notatus*. Ego spintriam eum accipio, qui muliebria patitur, seque alijs abutendum præbet: certè pro spintria Dionis compendium πεπορνευκότα dicit, id est prostitutum & stuprum passum: sed & spintrias à patientia nominatos Tacitus ostendit his verbis: *Túncque primum ignota ante vocabula reperta sunt, sellariorum & spintriarum, ex fœditate loci & multiplici patientia*. Nam loci fœditatem ad sellarios refero, multiplicem patientiam ad spintrias. Quare cùm effœminati essent, in eis spinter effœminatur, & spintriæ vocantur: vnde origo appellationis. In eadem vita scribit, *nullis tamen infensior quam vernaculis & mathematicis*. scio omnium librorum consensu hanc lectionem testatã esse: putem tamen diuinaculis commodiùs aliquãto quam vernaculis hic scribi posse. Æstimatio autem aurei Romani, qui & solidus dicebatur, cognosci potest, ex comparatione locorum duorum Suetonij, & Taciti: Nam de Othone scribit Suetonius, *Quoties cœna acciperet principem aureos excubanti cohorti viritim dabat*: Tacitus, *cohorti excubias agenti viritim centenos nummos diuidebat*: aureus igitur Romanus centum nummis taxatur. Miliarium vas est longum & angustum ad similitudinem milij: Palladius, *Vas*, inquit, *æneum miliario si mile, id est altum & angustum*: eo ad balnea vtebantur. Etiam miliarium aureum, Romæ in foro columna erat, in quam omnes viæ Italiæ competebant & desinebant: quod ita vocabatur, quod ab eo miliariorum numerus, quibus itinera metiebantur incipiebat. Nam lapides in vijs quibus miliaria notabantur, miliaria etiam vocabantur: Plutarchus, ὃ χρυσοῦς εἰς ἠχὼ κίων, εἰς ὃν αἱ τέλμιμβύαι τῆς Ἰταλίας ὁδοὶ πᾶσαι τελευτῶσι. de eadem re Suetonius, *vt se in foro sub æde Saturni ad miliarium aureum opperirentur*. τί μοι τὸ μακροῖς αὐλοῖς prouerbium esse dicit Dio, de ijs qui quid sibi non vtile faciunt, quod & paulò aliter effert, τί γάρ με ἔδει μακροῖς αὐλοῖς αὐλεῖν· puto hoc dictum, vel ex eo quòd ad rem diuinam & puluinaria adhiberent tibicines, qui tibijs canebant longis, vt præcentorijs & thurarijs: cùm tamen interdum sacrificium sibi non profuisse censerent: vel ex eo quòd quis tibias tractare commodè paruas cùm posset, vt puellatorias, quas Græci παρθενίους vocant, aut gingrinas quæ breues erant, magnas longasq; sumeret, quas commodè non posset inflare. Quid est? *sed & motis, necdum conditis ancilibus*: Solebant qui bello gerendo præficiebantur, vt inquit Seruius, ingredi Martis sacrarium anciliaque primum mouere: deinde simulachri hastam, dicentes, Mars vigila. Tacitus, *fuere qui proficiscenti Othoni moras religionémque nondum conditorum ancilium afferrent*. promebantur autem indicto bello ancilia, vt mouerentur: ac profectionem suscipere ante, quàm condita essent, ominosum & religiosum habebatur. Idem Suetonius de Othone, *fuisse*, inquit, *traditur & modicæ staturæ, & male pedatus caluúsque*. Cùm caluitium nec ad corporis habitum pertineat, nec officiat in rebus gerendis, quis meritò hunc locũ dubiæ, ambiguæque

Suet. in Vitel. cap. 2.

Suet. ibid.

Suet. in Vitel. cap 3. Dio in Vitel.

Tacit. l. 5.

Suet. in Vitell. cap. 14.

Suet. in Othone cap. 4.

Tacit. lib. 17.

Pallad. de re rust. lib. 5. c. 8.

Plutarch. in Galba. Suet. in Othone cap. 5. Dio in Othon. Suet. in Othone cap. 7.

Suet. in Othone cap. 8. Seruius in principio 8. æneid. Tacit. lib. 1 7.

Suet. in Othone cap. 12.

fidei esse non censeat? Consului exemplaria scripta, in quibus reperi, modo *campus*, modo *cambus*: quo fit, vt legendum censeam *scambus*, quo nomine vocatur, cuius crura sunt deprauata & curua. Is enim σκαμβὸς à Græcis appellatur: quam vocem quo minus vsurparet Suetonius, quid obesse potuit? cùm eum tanta libertate scribendi videamus vti: & hanc appareat vocem Latinis vsitatam fuisse, cùm in antiquioribus Nonij voluminibus reperiam, *Strabones sunt, quos scambos nunc dicimus*: videlicet à deprauata oculorum acie.

Non. Marcel. in Strabones.

Quædam in Suetonio emendata, præcipuum, notare, vexillationes. CAPVT II.

ARBOREM instituere, pro arborem in terra statuere, & pangere dixit in Galba Suetonius his verbis, *arborem ab eo institutam elanguisse*: non est absimile illud Ciceronis in Rullum antè à nobis animaduersum annotatumq;, *vbi institui vineæ posint*. in origine nominis Galbæ, galbeum remedia lana inuoluta interpretatur Suetonius. Festus calbeas armillas explicat, quibus triumphantes vterentur, & milites virtutis ergo donarentur. ἡ σὺ τέκνον τῆς ἀρχῆς ἡμῶν ἀπόῤῥιξον. quod loquuntur Suetonij codices corruptum est, sed ex Dione & Tacito ἀπόχεσον emendandum: nam ita Tacitus libro quinto scribit: *Et tu Galba quandoque degustabis Imperium*. mihi tamen veterum librorum notas à librarijs malè effictas scrutanti, videbatur scriptum fuisse, τῆς ἀρχῆς ἔλασσον ἀπόθεξη: sed quod fide Taciti & Dionis retulimus, verissimum esse confidimus. legatum quoddam per præceptionem à Iurisconsultis nominatur, illud etiam præcipuum vocatur: Suetonius, *Namque quingenties* HS *cùm præcipuum inter legatarios habuisset, quia notata non perscripta erat summa*. Hîc porrò notare est notis quibusdam & compendijs literarum aliquid breuiter perstringere, non omnibus literis integrum perscribere, vt apud Fabium. *quantum notando consequi potuerant*. pro *A. Caio certè ludis substitutus*, reperio in bonis libris, *licijs substitutus*: non tamen desunt docti viri, qui Getulico substitutus verum esse & sincerum contendant. *Igitur*, inquit Tranquillus, *cùm manumissioni vacaturus conscendisset tribunal*. Hæc ego verba ex Romanorum consuetudine explicanda censeo. Nam cùm Magistratus, vt scribit Theophilus (eo enim appellando me liberauero) conuentus agebat, vltimis conuentuum diebus manumissionibus operam dare solebat. pro, *Alexandrina nauis detorsa appulit*, sine controuersia emendatè in libris veteribus legitur, *Dertosam*, quod oppidũ Hispaniæ est. *Venitio simus à villa*: non intelligo, verùm legendum arbitror, *venit Io simus à villa*. vel, *venit Io*

Suet. in Galba. cap. 1.
Cic. in Rullum.
Suet. in Galba. cap. 3.
Fest. lib. 3. in litera c.
Suet. in Galba. cap. 4.
Dio in Galba.
Tacitus lib. 5.
L. 25. §. vlt. ff. fam. herciss. & l. 90. §. quæ marito. ff. de legat. 2. & Instit. tit. de legat. §. sed olim.
Suet. in Galba. cap. 5.
Quintil. lib. 1. in proœmio.
Suet. in Galba. cap. 6.
Suet. in Galba. cap. 10.
Theophilus.
Suet. in Galba. cap. 10.
Suet. in Galba. cap. 13.

venit simus à villa. Io autem interiectio exultantis est omnibus notissima. Lego & illud hunc in modum, *per hæc propè omnibus ordinibus offensis*, non vt circunferunt exemplaria, offensus. Scribit Suetonius, *Excepta Germanitiorum vexillatione*, quo in loco vexillationem intelligimus cohortem militum qui confectis & emeritis stipendijs sub vexillis etiamnum habebantur, vsque dum commoda & agros acciperent. Nam hæ vexillationes dicebantur. Tacitus, *ne dimissis quidem finem esse militiæ: sed apud vexillum retentos alio vocabulo eosdem labores perferre*. Alæ etiam equitum, Vegetio vexillationes dicuntur.

Suet. in Galba. cap. 16.
Suet. ca. 20. in Galba.
Tacit. lib. 1.
Veget. li. 2. c. 1.

Belli portæ, domitus Pollucis habenis, alternum pedem facere, anienus, puberibus folijs. CAPVT III.

MARO libro primo Æneid. scribit de templo Iani ab Augusto clauso, pace terra mariq; parta. *Claudentur belli portæ*, & apud Flaccum de ijsdem portis scribitur, —*postquam discordia tetra*
Belli ferratos postes portásque refregit,
id sic explicandum è Plutarcho est, Iani templum portas habuisse bifores, vocatumque esse belli portam. Eius verba sunt in Numa, ἔτι δὲ καὶ αὐτῷ νεὼς ἐπῆμεν δίθυρος ὃν πολέμου πύλην καλοῦσι. Alio apud Maronem loco scribitur, *Talis amyclæi domitus Pollucis habenis*
Cyllarus. Vbi interpretes Pollucem, qui pugil erat, pro Castore equorum domitore Maronem dixisse putant: sed non censuerim, sic pugilatus studiosum fuisse Pollucem, vt nunquam in equo sederit: & Cyllarus alternis Polluci & Castori seruijt: Papinius,
Et pauet aspiciens Ledæus ab æde propinqua
Cyllarus: hic Domini nunquam mutabit habenas
Perpetuis frænis, atque vni seruiet astro.
Nam equum Domitiani vni seruiturum astro dicit, non duobus, vt Cyllarum. Alternum pedem facere apud poëtam Papinium, quem modo citaui, esse videtur claudicare: nam sic de elegia, cuius alter versus longior, alter breuior, dixit,
Quas inter vultu petulans elegia propinquat
Celsior assueto, diuáque hortatur & ambit,
Alternum factura pedem.
sic Aeneam ex vulnere claudicantem,
Alternos longa nitentem cuspide gressus,
dicit Maro, vt antè nos annotasse recordamur. Verisimilius tamen sit, alternum hîc pedem ob Elegiacos versus dici, qui alterni breuiores & longiores

Virg. 1. æneid.
Horat. lib. 1. sat. 4.
Plutarchus in Num. 1.
Virg. 3. Georg.
Stat. lib. 1. Silu. In equo Domitiani.
Stat. lib. 1. Silu. In Epithal. Stel. & Violant.
Virg. 12. æneid.

giores ſunt & claudicant, vt à Cicerone dicitur epigramma alternis verſibus longiuſculis. Nam pes interim verſus eſt, vt apud Flaccum, *hunc ſocci cepere pedem*, id eſt verſum iambicum. vt Tiberinus deus erat, qui Tiberi Cic. 1. Tuſcul. Horat. de arte Poëtic.

pręerat: ita apud Papinium animaduerti Anienum deum eſſe, qui Anieni: Stat. lib. 1. Silu. In Tiburtino Manl. Vopiſci.

Papinius, *Ipſis ille antris Anienus fonte relicto*
Nocte ſub arcana glaucos exutus amictus.

Sic enim legendum cenſui, non Anieni, neque Anien, & fortaſſe ſic mox Tiburnus nomen dei eſt, qui Tiburi colebatur, & lucum habebat Horatio nominatum, *—illa recubat Tiburnus in umbra*, Statius ibid. Horat lib. 1. od. 7.

Horatius, *& Tiburni lucus*. Apud Propertium quoque Anienus dei nomen eſt, *Acceſſit ripæ laus Aniene tuæ*, Propert. lib. 4. eleg. 7.

ſed ad Maronem reuertor, cuius aliquid è Papinio quiſpiam interpretaretur. Quod enim de Dictamo ſcribit, *Puberibus caulem foliis*, adultis Grãmatici qui familiam ducunt, quorumque ſententia prima eſt, exponunt: ſed Papinius accepiſſe videtur pro florentibus: ſic enim Maronem æmulans ſcribit, *—Idæa profert quam Creta ſub umbra* Virg. 12. æneid. Stat. lib. 1. Silu. In Soterijs pro Rutil. Gallico.

Dictami florentis opem: hoc tamen alio loco aliter expono. Quod autem mox Papinius addit, *—quóque anguis abundat Spumatu*, Stat. ibid.

De ſaliua anguium Aeſculapij interpretor, qui lingendo ægros ſanabant ſua ſpuma. Ariſtophanes, Ariſtoph. Plut.

Τάπὸ τῶν φοινικίδ' ἐπόδων ἡσυχῆ,
Τὰ βλέφαρα ἐξέλειχον.

—Piſæúmque domus non æſtuat annum,

Papinius nouè dixit: vt ſi æſtuat æſtum, quis diceret. Paris eſt audaciæ Perſianum illud, *Iratum Eupolidem prægrandi cum ſene palles*. Stat. li. 1. Sylu. in Tiburtino. Manli Vopiſc. Perſ. ſat. 1.

pro pallorem ſtudendi in Eupolidis libris palles, vel pallorem ſtudio & aſſiduitate legendi Eupolidis comœdias contractum palles. Ius ſuum poëtæ tenent, vt licenter multa loquantur, ac ne proſcriptione fortè excludantur, ea vſurpant ad retinendam poſſeſſionem.

Scena verſatilis, aulæum ſcenicum, centum miſſus circenſes, Gangaridæ & Gandaridæ, volentes, aquilo ab hyperboreis, lucus Dianæ.

CAPVT IIII.

HVIVS eſt profeſſionis & ſenſus carptim locos hinc inde bonorum enucleare auctorum, quod lubenter ſequimur, non aſſequimur tamen, & voluntati facultas non reſpondet: perſeuerabimus tamen in inſtituto noſtro, pro re ſtudium lectoribus noſtrum perſoluturi. Scribit Maro libro tertio Georg. Virg. 3. Georg.

Vel ſcena vt verſis diſcedat frontibus.

hîc

hîc exiſtimo ſignificari ſcenam, quæ periactos habet, vbi verſatiles ſunt machinæ, auctore Vitruuio & Polluce, quę verſatæ, quæ extra vrbem, aut quæ in vrbe erant, oſtendebant: nam & dextra & ſiniſtra erant. Vitru. li. 5. c. 7. Pollux lib. 4. cap. 19.

Purpurea, autem, *intexti tollant aulæa Britanni*, Virg. 3. Georg.

Ideo ait, quia in ludis ſcenicis aulæum tendi ſolebat. Cicero pro Cælio, *deinde ſcabella concrepant, aulæum tollitur*. Apuleius, *aulæum tragicum remoueto*: his autem verbis Maro ludos ſcenicos & theatrales ſignificat, vt antè gymnicos & paleſtricos. Eſtque phantaſia, nam cùm tollitur aulæum leuaturque perſona ei intexta, ipſum leuare videtur. Ouidius, Cic. pro Cælio. Apuleius. Ouid. 3. Meta.

Sic vbi tolluntur feſtis aulæa theatris,
Surgere ſigna ſolent, primúmque oſtendere vultus,
Cætera paulatim, placidóque educta tenore
Tota patent, imóque pedes in margine ponunt.

Meminit etiam Maro hîc gentis Romanis armis nondum ſubactæ, ſed vt optat, & auguratur, ab Auguſto vincendæ, cùm ait,

In foribus pugnam ex auro ſolidóque elephanto Virg. 3. Georg.
Gangaridum faciam: & de Gangaridis Indiæ populis victoriam & lauream optat Auguſto, quos inuictos, & exterorum armis ſemper intactos fuiſſe conſtat, vt res Auguſti aliorum facta ſuperent. Cæterum illi populi Indiæ, à Ptolomæo Gangaridæ, ab alijs Gandaridæ vocantur. Diodorus Σπολαμβάνων εἰς τὸ πρὸς ἕω μέρος τὸ ἔθνος τὸ τῶν Γανδαριδῶν, πλείστους ἔχον καὶ μεγίστους ἐλέφαντας· διὸ καὶ τῆς χώρας ταύτης οὐδεὶς πώποτε βασιλεὺς ἔπηλυς ἐκράτησε. Eorum etiam regio à Strabone Gandaritis appellatur. Valerius autem Flaccus Gangaridas populos Scythiæ commemorat hoc verſu, Ptolemæus lib. 7. Geograph. Diodorus Sicul. lib. 3. Strabo li. 15. Geog. Valer. Flacc. li. 5. Argon.

Miſit in arma Darabs, acies quem Martia curru
Gangaridum,

Hîc inſitiuum quiddam è Suetonio eadem opera addam: ſcribit enim in Domitiano, *Circenſium die, quo facilius centum miſſus peragerentur, ſingulos à ſeptenis ſpatijs ad quina corripuit*: centum miſſus circenſes ſunt, inquit Seruius, vnius diei: centum enim currus mittebantur, quare Maro ſcribit, Suet. in Domitiano cap. 4. Seruius in 3. Georgic. Virg. 3. Georg.

Centum quadrijugos agitabo ad flumina currus.

Vltimus autem miſſus ærarius vocabatur: quanquam & centum pro multis poëtarum conſuetudine accipi poſſent. Virg. ibid.

Ipſa autem macie tenuant armenta volentes,

id eſt, de induſtria: eſt & volens, beneuolus, vt in deorum precationibus. Cato, *Mars pater, te precor quæsóque, vti ſies volens propitius mihi, domo, familiæque noſtræ*. Liuius., *pacem precibus expoſcunt, vti volens propitius ſuam ſemper ſoſpitet progeniem*. Ait Maro, Cato de re ruſtic. cap. 141. Liu. lib. 1. ab vrb. condit. Virg. 3. Georg.

Qualis hyperboreis Aquilo cum denſus ab oris,

Quod

Quod contrà Græcorum opinionem, & vocabuli notionem dictum esse videtur: cùm enim trans Aquilonem Hyperborei incolant, si modo vlli sunt, inde eum oriri Maro facit: nisi si quis dicat è finibus eorum, citra tamen eum oriri. Sed videtur Maro parum curare eam, quam retulimus Græcorum opinionem. Ait idem poëta,

Virg. 3. Georg. —*aut sicubi nigrum*
Ilicibus crebris sacra nemus accubat vmbra.

accubare nemus sacra dixit vmbra, cùm vmbra potius sacra accubet in nemore, ac sub arboribus iaceat, vt & antè loquutus est,

Virg. 2. ibid. *Speluncæque tegant, & saxea procubet vmbra.*

Horat. in art. poëtic. ex his quæ hic Seruius dicit, apud Horatium, cùm scribitur,

—*cum lucus & ara Dianæ,*

ita debere intelligi videtur, non tantùm quòd Ariciæ nemus & ara Dianæ esset: sed quòd omnis lucus Dianæ sacer sit, etiam si alijs nuncupatus sit dijs. Seruius, *nam, vt dicimus, & omnis quercus Ioui est consecrata, & omnis lucus Dianæ.*

Seruius in 3. Georgic.

Commoda, libra, forma, ne, conuexa sidera, formido, linea.

CAPVT V.

IN re militari commoda dicebantur, vel munera, vel præmia, vel agri denique, qui dabantur militibus. Ouidius,

Ouid. lib. 1. de arte amandi. *Romule militibus scisti dare commoda solus.* & iterum,
Hæc mihi si dederis commoda, miles ero.

Sed nos nullam sequemur viam, & varia diuersaque vndique adscribemus vt quicque succurret. Libra interdum altitudinem & fastigium significat, propter perlibrationem aquarum. Frontinus, *aquæ omnes diuersa in vrbem libra perueniunt*, id est diuersa altitudine. Opus arcuatum dicitur, quod arcus & fornices habet, non solidam cõstructionem. Formæ sunt interdum rerum aliquarum imagines, & deformationes, ac picturæ. Frontinus, *formas quoque ductuum facere curauimus.* Ne pro non à veteribus positum non rarò legimus: vt apud Plautum, *nisi tu ne vis*, & apud Terentium, *Quid ne es alacris?* pro, cur non es alacris?

Frontin. de aquæductibus lib. 1. Frontin. ibid. Frontin. ibid. lib. 1. de aquæduct. lib. Plaut. Trinum. Sc. neque fuit neque erit. Terent. 1 nunc. act. 2. sc. 3. Virg. 1. encid.

—*Conuexa polus dum sidera pascet,*

Quo sensu ab eximio poëta dictum accipimus? nam astra conuexa non videntur, cùm globosa potius & rotunda sint: ego conuexa dici astra interpretor, non singula, sed vniuersa: conuexitatem enim eandem, quam cœlum efficiunt, toto obsita & dispersa cœlo vndique in orbem. Sed ecquónam modo polus ea pascit? censent Stoici sidera, cùm igneæ sint & feruentis naturæ, pasci humore: quo sanè dictum est, vt hic palus à doctissimis viris legeretur: sed nihil

nihil censeam esse causæ cur hic nouitatis studiosi simus: nam cùm cœlum versetur astra tanquam palantia & errantia, & tanquam alimentum sequentia dum voluuntur, fit proinde vt tanquam pastor ea pascere videatur: hoc si sensu accipias, qui (vt reor) & probabilis est, nec indignus poëta, nihil profectò habeas cur quicquam hic nouandum putes. Formido in venatione lineam significat vario plumarum nexu discolorem, qua terrentur apri, vulpes, lupi, vrsi, sed potissimũ cerui. In ea alternus textus plumarum, sed vulturis, & cygni præcipuè laudatur: sed & interdum sandice fucabatur. Meminit formidinis Maro, ne alios cõmemorem hoc versu,

Virg. 3. Georg. *Puniceæ ve agitant timidos formidine pennæ,*

dicitur & linea, Nemesianus,

Nemesianus lib. Cynegeticõn. *Linea quinetiam magnos circundare saltus*
Quæ possit, volucrésque metu concludere prædas,
Digerat innexas non vna ex alite pinnas.

Eam etiam lib. 4. de venatione Oppianus δειμαλέην μήκιστον, id est lineam formidolosam appellat, & δεῖμα πολύχροον, id est formidinẽ multicolorem.

Oppian li. 4. de venatione.

Amphitheatrum, renes, numeri eburni, tali, vulturij & basilicus apud Plautum, versus ropalici. CAPVT VI.

AMPHITHEATRVM in quo & venationes & gladiatores dabantur, tanquam duplex theatrum erat: velut enim è duobus theatris, quorum forma semicirculum reddebat, è regione commissis & coniunctis confectum erat: eiusque forma rotunda ouum referebat. Calphurnius,

Calphurnius Sicilus eclog. 7. *Et geminis medium se mollibus alligat ouum.*

Nam duobus theatris ouum alligari, & rotundari amphitheatrum dicit: sed nos hic etiam varietati studemus & indulgemus. Renes pro lumbis in consuetudine vsurpamus, sed & antiquos sic loquutos reperimus, vt Ausonium, & eo antiquiorem Nemesianum in Cynegeticis:

Nemesianus li. Cynegeticõn. *Renibus ampla satis validis, diductáque coxas.*

In tesseris antiquorum vt nostris, scripti erant tantum numeri, vnde iactare numeros pro iacere tesseras dixit Ouidius.

Ouid. 2. de arte amandi. *Seu ludet numerósque manu iactabit eburnos,*
Tu male iactato, tu bene iacta dato.

Ac cùm senûm sint laterum, plures numeros, quam tali, qui quaternûm sunt, habebant: vnde & numeros fortasse appellasse putabitur Ouid. aut potius quod tali etiam sine punctis & numeris fierent. Nam in talis erant aliquibus fortasse numeri, vt senio: sed & canis numerus erat vnitatis, ideo damnosus. Ouidius,

Ouid.ibid. *Seu iacies talos, victam ne pœna sequatur:*
Damnosi facito stent tibi sæpe canes.

Aliqui tamen interdum fiebant, qui pro numeris effigies animalium habebant, vt vulturum aut regulorum: sed & ipsum tali latus, quod & verius, sine punctis & numeris notatis, senionem aut vnitatem significabat. Iull. Pol. lib. 9. cap. 7. Nam, vt ait Pollux, ipsa casus figura & facies in talo pro numero erat. Igitur, vt reor, sine numeris notatis erant tali, quos notatos habebant tesserae: vnde numeri sunt vocatæ. De vulture in talo ait Plautus, Plaut. Curcul. Sc. Date viam. *Iacit vulturios quatuor:* id autem infœlix erat: Erat & basilicus, *Herculem, iacto basilicum,* Plaut. ibid. inquit Plautus, qui iactus fœlix. At Venus erat, cùm nullus eodem vultu stabat talus, qui fœliciſſimus erat iactus. Versus rhopalici apud Ausonium sunt, quorum singula verba sequẽtia singulis syllabis priora exuperant, vt,

Auson. Edyl. 2. *Spes Deus æternæ stationis conciliator.* Sic vocata sunt, quòd clauæ more quibusdam gradatim surgunt toris & nodis. Ausonij versum quem subscribam labe quadam inquinatum puto, quæ eluenda est.

Auson. de Narbone. *Vsque in Teutosagos primæuo nomine Belgas,*
Vel vt in alijs scribitur —*Paganáque nomina Belgas.*
Ego & Tectosagos & Volcas scribendum esse arbitror, & ita emaculandum eum locum. nihil enim est cum Tectosagis commune Belgis: nec minus, Auson. de Burdigala. *Quantus in amne rumor,* In eo, vt è syllabæ tempore perspici potest, violatum est, cùm tumor incorruptæ integritati restituendum sit. Sed & in sapientium ludo, vt multa prętermittam alia, quis non putet, qui quidem numeros iambicos teneat, eorumque modulos, esse legendum,

Auson. in ludo 7. Sapientum. *Breuitate nota qua lacones vtimur.* Nam quod editum est, *vsi sunt*, versus lege damnatur.

Auguria duorum generum, accipio omen, Acheron, debere cœlestibus, tum geminas vestes, apud Maronem.

CAPVT VII.

AVGVRIA duorum erant generum, quædam oblatiua, quædam impetratiua: Impetratiua petebantur à dijs, nec in impetrantis erat potestate, ea vel accipere vel non accipere, vel agnoscere vel non agnoscere. quæ vltro nobis non petentibus facta & oblata erant, in potestate nostra erant. nam non agnoscere vel agnoscere licebat, quod & in ominibus obseruabatur: vnde in historijs, accipio omen legimus. Maro tamen, velut in oblatiuo augurio, de impetratiuo dixit,

Virg. 12. æneid. *Hoc erat, hoc votis, inquit, quod sæpe petiui:*
Accipio, agnoscóque deos.

id & in funeribus valebat: nam non inquinabatur funere, non inquam funestabatur

nestabatur nec polluebatur, qui funus non agnoscebat. Liuius de Horatio Puluillo, *Nihil aliud ad eum nuntium à proposito auersus, quam vt cadauer efferri iuberet, tenens postem precationem peragit, & dedicat templum.* ita funus non agnouit, nec ad se pertinere significauit, sed ad alios, cùm dixit, efferte, quasi ipsorum cadauer esset. alij eum respondisse dicunt, vt refert Seruius, cadauer sit. sed nos miscellanea scribimus & ad alia transimus. Acherontem legimus inferorum fluuium esse: sed apud veteres Latinos inferos plerunque significat, non fluuium: vt apud Plautum,

Liuius li. 2. ab vrb. cond. Seruius in 12. æneid. Plaut. Trinũ. Sc. Minus quindecim dies sũt. Virg. 1. æneid.

In nostro agro ostium est Acherontis, id est inferorum:
& apud Maronem, —*Qui solus honos Acheronte sub imo est:*
& alijs multis locis, quos adscribere supersedi, ne copia onerem lectorem. Qui viuunt, obnoxij sunt superis dijs, mortui extra eorum ditionem sunt, & in aliorum ius conditionemque concedunt: qui autem alicui obnoxius est, qui alicuius imperio paret, is ei aliquid debet: ex eo Maro nihil debentem cœlestibus cùm scripsit, mortuum intellexit hoc versu,

Virg. ibid. *Nos iuuenem exanimum, & nil iam cœlestibus vllis*
Debentem, vano mœsti comitamur honore.

Veteres veste vna corpus induebant, altera, qua amiciebantur, etiam interdum inuoluebant caput, quo factum est vt duas vestes mortuo Pallanti injciat Æneas, vt vna corpus, altera caput tegatur.

Virg. ibidem. *Tum geminas,* inquit, *vestes ostróque auróque rigentes*
Extulit Æneas. sequitur enim mox.
Virg. ibidem. *Harum vnam iuueni, supremum mœstus honorem*
Virg. 3. æneid. *Induit, arsuráque comas obnubit amictu.* sic & libro tertio.

Var. li. 4. de ling. latin. *Purpureo velare comas adopertus amictu*: & Varro vestes in inductum & amictum diuidit: *prius,* inquit, *deinde indutui, tum amictui quæ sunt, tangam.* More Græcorum pactis aliquot dierum inducijs militiæ cadauera ad sepulturam petebantur: atque id etiam victi impetrabant, quod ex Thucydide percipi potest, qui sæpe νεκρὸς ὑποσπόνδους esse datos refert: id etiam ex Homero notum est: quod quidem libro vndecimo est imitatus Maro. *Velati ramis oleæ,* cùm scripsit eo libro ἱκετηρίαν, de qua iam aliquid diximus, intellexit. ea enim dicitur esse ramus oleæ lana inuolutus. Alio etiam loco id significauit.

Thucydid. Homerus. Virg. lib. 12. æneid.

Virg. li. 7. æneid. *Præferimus manibus vittas, & verba precantum.*

Illam enim lanam, infulas, vittas, velamenta, tum in poëtis, tum in historicis Latinis vocari reperimus.

Miror laborum, decurrere, decursio circum rogum & sepulchrum, custodia, columnæ Protei, subsidere, subsessor, apud Maronem.

CAPVT VIII.

QVEMADMODVM Græci dicunt Ἰαμβάζω σε τῆς ἀρετῆς, in quo subaudiunt ἕνεκα, ita huius elegantiæ imitator dixit Maro,

Virg. 11. æneid. *Iustitiæ ne prius mirer belline laborum?* Vbi subauditur causa, estque sermo, si figuram spectes, merè Græcus. In funeribus clarorum virorum decursiones militares fieri solebant: milites enim suis instructi armis & tanquam in procinctu, gradu militari & exercitatione quadam ludicra decurrebant. Tacitus, *Princeps ipse cum legionibus decurrit*: Suetonius, *Cæterum ei exercitus honorarium tumulum excitauit, circa quem deinceps stato die quotannis miles decurreret*: Id Virgilius in funere Pallantis imitatus est.

Tacitus. Suet. in Claud. cap. 1.

Virg. 11. æneid. *Ter circum accensos cuncti fulgentibus armis,*
Decurrere rogos. Sed læuos orbes agere, circumque in sinistram decurrere primum solebant: deinde vt expiarent contagionem funeris, in dextram decurrebant. Papinius libro sexto,

Stat. lib. 6. Thebaid. Statius ibid. *—Lustrántque ex more sinistro Orbe rogum,*
Deinde subijcit. *—hic luctus abolere, nouíque*
Funeris auspicium, vates, quanquam omina sentit
Vera, iubet dextro gyro & vibrantibus armis,
Hac redeunt. Milites autem, cùm in armis ordinem seruantes pleno passu incedebant, aut currebant, decurrere dicebantur. Seneca,

Senec. lib. 2. epist. 18. *Miles in media pace decurrit sine vllo hoste, vallum iacit, & superuacuo labore lassatur vt sufficere necessariò possit.* Sed nos miscelliones sumus: quicquid enim mens suggerit, sine delectu scribimus. Custodia sæpe est reus, qui custoditur, aut in carcere, aut à militibus seruatur. Seneca, *Quemadmodum eadem cathena & custodiam & militem copulat.* Itaque miror Seruium hæc

Senec. lib. 1. epist. 5. Seru. in 11. æneid. scribere, *nam vt hi qui custodiuntur, custodiæ dicantur, vsurpatum est, vnde male in vsu custodiæ audiuntur.* Nam custodias à magistratu audiri, elegantissimè dici, ex eo quem protuli Senecæ loco non est obscurum. cùm Menelaum in Aegyptum auectum esse Maro significat, & scribit,

Virg. 11. æneid. *Atrides Protei Menelaus adúsque columnas*
Exulat, ad fines Aegypti peruenisse intelligit: ex eo quòd in confinijs colũnæ, quæ dirimerent terras, ponerentur. Pollux, στήλας ἐφορίας vocat. Iterum, ἡ ἐνεστηκυία στήλη, ὅρος. Cùm inter Peloponnenses & Ione esset de finibus controuersia in Isthmo columnam posuere, quæ litem discerneret, regionesq; definiret & terminaret. Strabo ἡ στήλη ἔφησαν ὅτι τῶν Ἰωνομολογηθέντος τόπου περὶ αὐτὸν ἰσθμόν. Subsessor dicitur, qui clàm domi subsidet, insidiaturque ad adulterium obeũdum. Valerius, *nulli enim tunc subsessores alienorum matrimoniorum oculi metuebantur.* Proinde scripsit Maro,

Pollux li. 9. Onomastic. Pollux ibid. Strabo. li. 3. Valer. Max. lib. 2. cap. 1. Virg. 11. æneid. *—deuicta Asia subsedit adulter,* quo significat, subsessorem non defuisse Agamemnoni adulteriorum vindici & Asiæ victori. Subsedit igitur

tur, est clam substitit, & in insidijs ad stuprum delituit. Quod si,

—Deuictam Astam subsedit adulter, legas (quod in quibusdam exemplaribus extare refert Seruius) sententia erit, victorem Asiæ excepit insidijs & interfecit adulter. Nam & subsessę dicuntur hostium doli in insidijs subsidentium. Sic loquutus est Marcellinus, vt & ita legisse videatur, *subsident alij curiosos homines, senes aut iuuenes, orbos vel cœlibes.* Qui scripserunt, inquit Seruius, *de arte militari, dicunt summum genus esse dimicandi, quoties calcato vmbone aduersarij, se in hostilem clypeum erigit miles, & ita contra stantis vulnerat terga.* Quadrigarius etsi animo magis, quam arte confisum Mãlium cum Gallo pugnasse scribit, tamen eo ferè genere pugnandi vsum esse refert, Scutum (inquit) *scuto percussit, atque statum Galli perturbauit.* Iterum, *Manlius iterum scutum scuto percutit, atque de loco certo hominem iterum deiecit: eo pacto ei sub Gallicum gladium successit, atque Hispanico latus hausit.*

Am. Marcellinus lib. 28. Seruius in 11. æneid. Quadrigarius apud. A. Gellũ lib. 11. ca. 13. Quadrigarius apud. Gellium lib. 11. cap. 13.

Transenna, vestis triumphalis. CAPVT IX.

VERBA Nonij Marcelli, quibus transennam apud Cic. & Sallustiũ explicat, subscribam, *Transenna non, vt quidam putant, transitus, sed fenestra est. Cicero de Oratore lib. 1. Nunc pete à Crasso vt illam copiam ornamentorum suorum, quam constructam vno in loco, quasi per transennam prætereuntes, strictim aspeximus. Sallust. hist. lib. 2. transenna demissum Victoriæ simulachrum, cùm machinato strepitu coronam capiti imponebat.* A Nonio Seruius dissentit, qui hoc in Sallust. loco transennam extentum funem interpretatur, cùm explicat libro quinto Aeneid.

Non. in Transenna. Seru. in lib. 5. æneid. Virg. 5. æneid.

—& volucrem traiecto in fune columbam,

ac veriorem equidem esse Seruij sententiam arbitror. Nam Valerius eadem de re loquẽs scribit, demissas esse lacunaribus coronas aureas. quod profectò factum esse funibus existimandum est. Idque adeò magis intelliget, qui totum Sallustij locum à Macrobio perscriptum perleget. Sed & Plutarchus nullum nobis relinquit dubitandi locum, qui Sallustij interpres scribit in Sertorio de Metello, ἡ νῖκα πεποιημένα δι' ὀργάνων ἐπιδρόμων ξεύσεα τρόπαια, καὶ στεφάνους ἀφαιρέσεα κατήρτιο. Nam epidromum funem esse constat, & in venatione sic eum appellant, qui est summus & imus in retibus, quoque intenduntur. Plinius, *vt annulum hominis cum epidromis transirent.* Fauet & Seruij interpretationi Isidorus, qui transennam scribit esse extẽtum funem. Nunc quispiam putaret, vt in Sallustio, sic & in Cic. per transennam prẽterire eos, qui machina quadam, vt assolet in ludis fieri, celerrimè transeunt per funem tensum in theatro, id est per funem ferun-

Valer. li. 9. c. 12. Macrob. lib. 3. Satur. cap. 13. Plutarch. in Sertorio. Plin. li. 19. c. 1. Isidorus lib. 19. Etym. cap. 8.

runtur & prætereunt theatri ſpatium. Itaque cùm ſcribit Horatius,

Horat. li. 2. epiſt. 1.

Ille per extentum funem mihi poſſe videtur
Ire poëta,

eſse poteſt tranſenna, id eſt extenſus funis, quem veluti perambulet funambulo poëta rerum miraculo perſimilis. videtur tamen in Ciceronis exemplo eſſe tranſenna tranſitus, quaſi tranſienna: tranſitum autem intelligo peruium ſpatium inter conclauia, cubicula, aut cœnationes: ſi enim per tranſennam præteriẽs in veſtiario per fores eius videres veſtem pulcherrimam conſtructam & compoſitam, non acquieſceres in tam breui aſpectu. ſic vſurpat tranſennam Paulinus in epiſt. ad Seuerum, *hæc*, inquit, *baſilica, in baſilica memorati confeſſoris aperitur trinis arcubus paribus perlucente tranſenna, per quam viciſſim ſibi tecta ac ſpatia baſilicæ vtriuſque iunguntur*. Iterum, *Intra ipſam verò tranſennam, qua breue illud, quod propinquas ſibi baſilicas potius diſcludebat, interuallum continuatur*. Eſt etiam tranſenna funis, vt in Salluſtij exemplo. Itaque cùm ad illaqueandum aues intendantur funes,

Paulin. ad Seuerum. Paulin. ibid.

Nunc à tranſenna hic turdus lumbricum petit,

Plaut. Bacch. Sc. Nimio ill hæc res.

Plautus dixit: nam in auium pedicis funiculus eſt: παγίον vocari dicit Pollux. eum funiculum atque adeò pedicam totam Plautus tranſennam vocauit. Eſt & vt ait Iſidorus, in traiectu fluuiorum, qua pontones ſunt, traiectus funis, quem ait tranſennam vocari. quomodo apud Marcellinum libro vigeſimo quinto accipi videtur, cùm ait, *tanquam è tranſenna ſimul emiſſi, ſpe citius ripas occupauere*: melius tamen ſit intelligere velut pedicis & laqueis emiſſos. Nam eis aues liberatæ celerrimè auolant, & feruntur ocyſſimè. Eadem autem de Metelli vanitate & inſolentia ſcribens Valerius, Metellum ait cum palmata veſte conuiuia celebraſſe. Salluſtius, ei plerunque accumbenti togam pictam amiculo fuiſſe: ita apud eos intelligimus eandem eſſe veſtem palmatam & pictam, quæ triumphalis veſtis erat, vt Plutarchus ait, ἐν οἷς ἐσθῆτα ποικιλωτὴν ἔχων ἔπινε.

Iſidorus li. 19. Etym. cap. 1. Am. Marcel. li. 25.

Valer. li. 9. c. 1. Salluſt. apud Macrob. li. 3. Satur. cap. 13. Plutarchus.

Conſulatus ordinarius, ſportulæ, perſuaſoriæ aſſertiones, parmularius, cornicularius. CAPVT X.

Scribit in Domitiano Suetonius, *In ſex conſulatibus, non niſi vnum ordinarium geſſit*. In quo quæritur, quis ordinarius ſit conſul: eum ſic appellatum reor ex cuius nomine anni ſupputatio ordinabatur, id eſt, cuius nomen in literis & inſtrumentis, & in faſtis ſcribebatur, qui denique Calendis Ianuarijs honorem inibat. Nam ætate Imperatorum, annus in multos diuidebatur conſules: ſed ſoli, qui anni initio inibant honorem ordinarij cenſebantur, honoratioresque erant. Seneca, *conſulem me fecit, ſed non*

Suet. in Domitiano cap. 2.

Seneca.

non ordinarium: Id à Dione lib. quadrageſimo tertio etiam ſcribitur. Cùm autem in eodem Domitiano ſcribitur *relictum ſe principem Imperij*, videor non temerè facturus, ſi & ſenſu, & veterum librorum fiducia participem emendem. Iam alio quodam capite doceo pſilocithariſtas non pſallocithariſtas in Domitiano legendum, quos & ibi expono. Addo ſcribẽdum *etiam virginum certamini præſedit*, quod è breuiario Dionis intelligi poteſt. ſed &, *purpurea amictus toga Græcanica*, perſpicuè & ſine controuerſia verum eſt, cùm more præfectorum ſacris certaminibus in Græcia, tum Domitianus amictus præſideret. *Septimontiali die ſenatui*, inquit Tranquillus, *& equiti panaria, plebi*, ſic enim legendum cenſeo, *ſportellas cum obſonio diſtribuit*. ab hac conſuetudine dandi in ſportulis obſonij, aut cœnæ in ſportulis ferendæ, ſportulæ nomen ortum videtur eſſe, quòd obſonij & cibi loco pecunia donaretur in victum, quæ cùm cœnam mentiretur, & cœnæ loco daretur, rectæ cœnæ opponebatur, quòd recta ſit cœna, cùm clientem lautè accipimus & paſcimus: non recta cœna, ſed in locum cœnę, aſſes cœnę cauſa numerati, id eſt, ſportula data. *ſportulas*, inquit, *publicas Suſtulit, reuocata cœnarum rectarum conſuetudine*. Quæ ſunt apud Tranquillum perſuaſoriæ aſſertiones in eo loco? *reciperatores ne ſe perſuaſorijs aſſertionibus accommodarent, identidem monuit*. olim qui in libertatem vindicabantur, cùm ſerui eſſent, nec pro ſe iudicio liberali experiri poſſent, aſſertorem quærebant. In cauſis igitur liberalibus monuit recuperatores, ne tametſi fauorabilis libertas eſt, ſequerentur in iudicio aſſertiones vel prece, vel pretio, vel perſuaſione eblãditas contra ius dominorum. Iuriſconſultorum tamen princeps Cuiacius, perſuſorijs legendum cenſet, & vt legit, in antiquiſſimo libro reperi, pudetque diſſentire. *Patrem familias*, inquit, *quòd Threcem Myrmilloni parem munerario imparem dixerat, detractum à ſpectaculis in arenam canibus obiecit cum hoc titulo: Impiè loquutus Parmularius*. hîc ego pro munerario aliquando libentiſſimè retiarium legiſſem: Nam perſæpe retiarius cum myrmillone componebatur: vt, cùm tum eſſet comparatus myrmillo cum Thrace, comparari etiam optauerit cum retiario: ſed Thraci cùm faueret Domitianus ægerrimè tulerit, eum dici imparem retiario, cùm retiariorum factioni & armaturæ non faueret. Nunc munerarius mirum in modum placet, vt Imperator intelligatur, qui gladiatorium munus dabat, infeſtusque: ita erat armaturæ Thracum, vt penè cum eis pugnare videretur: quare ei imparem dixit paterfamilias ille Thracem, parem tamen aduerſario myrmilloni. Cùm autem Imperatores penè pro dijs colerentur, & Domitianus tantos ſpiritus gereret, vt diuino faſtigio parem ſe putaret, impietatem interpretatus eſt arrogans Imperator in patrefamilias, quòd à ſtudio & voluntate ſua diſſentire auſus

Dio lib. 43. Suet. in Domit. cap. 2. lib. 20. aduerſar. cap. 16. Suet. in Domit. cap. 4. Suet. ibid. Suet. ibid. Suet. ibid. Suet. in Domitiano cap. 7. Suet. in Domit. cap. 8. Suet. in Domit. cap. 10.

esset, eumque arripi ad supplicium iussit. Parmularius autem hîc est qui Threcum vel Thracum armaturæ fauet. Thraces enim parmam gerebãt.

Anton. Imper. in vita sua. Antoninus Imperator in vita sua φιλὸς τῷ προφέως, τὸ μητὲ πρασιανὸς, μητὲ βενέλιανὸς, μητὲ παλμυλλάριος ἢ σκουλόριος γενέσθαι. hîc Prasinianus est qui Prasinę factioni fauet: Venetianus, qui Venetæ, parmularius, qui Thracum armaturæ. Thracum autem eam fuisse armaturam ex Aristophane constat, qui in fabula quæ inscribitur ἀχαρνῆς de Thracibus ita scribit,

Aristophan. Acharn. Καταπελλάσονται τὴν βοιωτίαν ὅλην.

pelta enim parma est. Parma enim breue scutum est, quo qui armati erant in arena, quòd eius breuitate non satis essent tecti, sępe vincebantur.

Martialis, *Hæc quæ sæpe solet vinci, quæ vincere raro*
Parma tibi scutum pumilionis erit.

Mart. lib. 14. epig. 213.

Suet. in Domit. cap. 13. *In puluinar suum* dixit Domitianus vocatam vxorem, superbè se deum faciens: puluinaria enim dijs sternebantur. Formalem epistolam vocat Tranquillus, formatam epistolam, qua aliquid Imperator edicebat & publicè imperabat, aut publicè ad aliquos scribebat: vt ex eius stilo & forma & exemplari, similes scriberentur. Nam cùm habent eam formam, quam instrumenta publica & edicta habent, formales epistolæ dicuntur.

Suet. in Domit. cap. 20. Suetonius, *Epistolas orationésque & edicta alieno formabat ingenio*. Itaque epistola formalis, alia est quam familiaris. Vt *cuidam*, inquit Tranquillus, *Græcè inscriptum sit aream & caluitium*: In veteri libro reperi *Græcè inscriptum sit ἄρθπα*, quod verbum tollare significabit: & verisimile est verba Græca esse posita à Tranquillo: quanquam non me fallit aream significare defluuium capillorum: in antiquo alio reperi ἄρσι, in alio ἀρχεῖ: idque maximè omnium placet, vt satis illi multos arcus extructos esse dicat. Trabeati equites à trabeis vestibus dicuntur, quæ tanquam quasdam discolores habent pannorum trabes: Inde enim nomen. *Saucium*, inquit Tranquillus, *ac repugnantem adorti Clodianus Cornicularius & Maximus*: vt in exercitu & acie dicitur cornu, ita in cohortibus Tribuni militum corniculum, & fortasse in ordinibus centurionum: à quo cornicularius qui corniculo Tribuni militum præest. Valerius, *Libidinosi centurionis supplicium, M. Lectorij Mergi Trib. militaris æquè similis fœdus exitus sequitur: cui Cominius Tribunus plebis diem ad populum dixit, quòd cornicularium suum stupri causa appellasset*. Tranquillus de claris grammaticis, *primo apparitoram fecit magistratibus, deindę in Macedonia corniculo, mox equo meruit*. Scribo in Tranquillo, *hoc etiam illum simul seque consolans inseruerit* ὦ χ ὁρᾷς οἷος κἀγὼ καλός τε μέγας.

Suet. in Domit. cap. 14. Suet. in Domit. cap. 17. Valer. Maxim. li. 6. cap. 1. Suet. de claris Grammat. de Orbilio. Suet. in Domit. cap. 18.

Amanuensis, sequius, quæstoris vice, inciuile, amphitheatrum in Tranquillo. CAPVT XI.

TITVM scribit Tranquillus cùm amanuensibus suis per ludum iocumque certare solitum: vbi amanuenses serui sunt à manu, qui excipiunt & scribunt: at serui ad manum, vt antè diximus, alij sunt, vt apud Ciceronem libro tertio de Oratore, *quem seruum sibi habuit ille ad manum*: & apud Liuium, *Inde ad manum cantari histrionibus ceptum*. Nam ad manum significat, quod pręsto est, quod in promptu, quod paratum est. *Sed non deerant* inquit idem scriptor, *qui secus interpretarentur*: Ibi lego in vetere libro sequius, quod deterius valet & secius. Itaque quanquam mihi altera scriptura probata est, tamen hæc dissimulanda non fuit. Lego in eodem, *Oratio-nęsque in Senatu recitaret etiam quæstoris vice*: nam officium erat quęstorum orationes Imperatorum in Senatu recitare: de quæstoribus enim illis, qui candidati principis erant, sic refert Vlpianus, *Hi etenim soli libris principalibus in Senatu legendis vacabant*. Quid est, *egit inciuilius*? nempè violentius, asperius, acerbius, sæuius, & tyranni more: Ciuilis enim dicitur, qui sæuus non est, sed moderatus, pariqúe cum cæteris iure viuit: inciuilis qui se pro principe & Imperatore non gerit, sed superbus, & arrogans est & tyrannus. Tacitus, *nam iuueni ciuile ingenium, mira comitas, & diuersa à Tiberij sermone, & vultu arrogantibus & obscuris*. Iterum, *non tamen fidem faciebat ciuilis animi: nam legem maiestatis reduxerat*. Amphitheatrum, quod Titus ædificandum curauit, breuiarium Dionis appellat τὸ θέατρον τὸ κυνηγετικὸν, id est theatrum venatorium, quòd venationum causa extructum esset: vt & thermas βαλανεῖον: in quo pro quinque millibus ferarum à Tranquillo scriptarum, referuntur nouem millia.

Suet. in Tito cap. 3. Cic. li. 3. de Orat. Liuius. li. 7. ab vrb. cond. Suet. in Tito cap. 5. Suet. ibid. cap. 6. L. vnica. ff. de offic. quæst. Suet. in Tito cap. 6. Tacit. lib. 1. Tacit. ibid. Suet. in Tito cap. 7. Dio in Tito.

Castaneæ molles, pressi copia lactis, caseus manu pressus,

CAPVT XII.

QVAE sint apud Maronem castaneæ molles inter grãmaticos quæritur & certatur, ac quorum sentẽtia probabilissima est maturas explicant: nã immaturæ & acerbæ aliquãto duriores sunt, quæ eædẽ cùm mitescũt, etiam molliuntur: nec enim hanc explicationem improbare, aut velim aut possim: non ab re tamen fuerit earum certum genus intelligere, quod facere videmur posse, cùm interpres Nicandri quoddam genus earum μαλακὸν appellet. sic enim scribit, τῶν δὲ χαράγων τὸ μὲ σάρδανον, τὸ δὲ λόπιμον, τὸ δὲ μαλακὸν, τὸ δὲ πιμελικόν. *Pressi*, autem, *copia lactis*, cùm dicitur, circumlocutione poëtica à Marone significatur caseus, qui & coagulo cogitur & premitur: sed & ipsa interdũ manu premitur, formatur atque figuratur. Tranquillus, *& caseum bubulum manu pressum*. Columella, *illa verò notissima est ratio casei faciendi, quem dicimus manu pressum*. Premitur etiam aucto-

Virg. eclog. 2. Nicandri interpres. Virg. eclog. 1. Suet. in Cęsarian. cap. 76. Colum. li. 7. c. 8.

Columel. ibid. re Columella, ne sit fistulosus, quod ei accidit, qui laxius remissiusque in formis suis habetur, nec satis cogitur.

Cumera frumenti apud Horatium, granarium, benigne, scruta, dicenda tacenda loqui. CAPVT XIII.

Horat. lib. 1. epist. 7. INQVIT Horatius in epistolis, *Repserat in cumeram frumenti*, vbi cumera vas est vel vimineum vel fictile reponendis idoneum frugibus,

Aristoph. pace. Aristophan. enarrat. in pace. κυψέλη à Græcis, nisi fallor dicitur. Aristophanes, ἐξμέδιμνον κυψέλλω ἀπώλεσαν: vbi enarrator scribit, κυψέλη ἐστὶν εἶδος ἀγγείου ἢ μέτρου δεκαπλοῦν πυρῶν ἢ κριθῶν, ἃ μόνον δὲ πλεκταὶ ἦσαν αἱ κυψέλαι, ἀλλὰ καὶ κεραμέαι. In eis autem triticum aut hordeum recondere pauperes solebant, vt diuites in granarijs: nam granaria interdum loca sunt in horreis tabulis septa, ad fruges seruandas suo cuique generi discluſa: atque ita ab Iaboleno in titulo actionum empti & venditi vsurpatur sic scribente, *granaria quæ ex tabulis fieri solent, ita ædium sunt, si & stipites eorum in terra defossi sunt*. eodem etiam modo ab Horatio positum in illo versu recordor,

L. Granar. ff. de act. empt. & vendit. Horat. li. 1. sat. 1. *Cur tua plus laudas cumeris granaria nostris?*

Fest. lib. 3. in litera c. Etiam *cumeram*, vt ait Festus, *appellabant antiqui vas quoddam, quod opertum in nuptijs ferebant, in quo erant nubentis vtensilia, quod & camillum dicebant, eo quòd sacrorum ministrum κάμιλλον appellabant*: sed vt ad eandem epistolam Flacci reuertar, cùm in ea scribitur, *benignè* respondet. aduerbium illud est blandè recusantis: est enim perinde ac si diceret, excusatum me habeas: apud Aristophanem in Ranis, κάλλι' ἐπαινῶ, quod est laudo, renuëtis est: & apud Terentium, *rectè*. Itaque illud eiusdem epistolæ in eundem accipiendum sensum esse arbitror,

Horat. lib. 1. epist. 7. Aristophanes Ranis. Terent. Hecyra act. 3 sc. 2. Horat. lib. 1. epist. 7. *— At tu quantumuis tolle: benignè,*

vt hoc respondentis sit & bellè recusantis. Scruta autem quæ dicit, esse videntur quæ γύτλω Græci & γυτάεια vocant, quæ sunt friuola & vilia & parua vasa, quæ qui vendit γυτοπώλης & γυτάρης, id est, scrutarius & friuolarius vocatur: vnde & friuolariæ nomen datum Plautinæ fabulæ quæ ætatem ferre non potuit, nec perennare: ῥυποπῶλαι ijdem appellabantur ex venditione sordidarum mercium. Ita fit vt à Latinis huic verbo præpositus sit sibilus, qui in Græco non stridet. eo autem nomine omnia censentur veteramenta, quæ per vias & rudera scrutando eruimus, vt multi censent, qui originis Latinæ verbum volunt: alij coriacea omnia & scortea opera vetera propriè eo significari credunt, vt scruta quasi scorta intelligantur, quæ notio latius postea patuerit, & ad omnem vilem & veterem supellectilem pertinuerit. *Dicenda*, porrò, *tacenda loquutus*, sic intelligi

Horat. ibidem.

gi debet, vt familiariter eum in cœna loquutum intelligamus & amicè, vt qui omnem pectoris sui sensum alijs ingenuè facileque aperiunt, nihilq; celant, nec sermones eos refugiunt, freti amicitia & bonitate eius, quo cum sunt, qui si eliminarentur, capitales interdum auctori forent.

Quædam in Plinio emendata, pexa vestis, pexitas telæ. CAPVT XIIII.

NVNQVAM expiscari potui probabilem sententiam ex his Plinij verbis: *Luporum minimi non texunt, maiores in terra cauernarum exigua vestibula præpandunt*. Itaque, quod assolet, ad antiqua exemplaria mihi confugiendum putaui, nullum in eis adulterium scripturæ arbitratus esse. Hanc igitur dictionem illinc deportaui, quam mediusfidius parentem agnituram Plinium confido pro nata. *Luporum minimi non texunt, maiores internæ cauernæ exigua vestibula præpandunt*. In eodem autem capite pexitas telæ aranearum, est villosa quædam in ea & lanuginosa filorum natura, quæ in rara eorum textura non perinde apparet, verùm in densa: ex quo non longè hinc scribit, *Et contra frigora quanto villosior*: vnde & pexæ vestes, vt apud Plinium, *pexis aliena vestibus*, & Martialem,

Plin. li. 11. c. 24. Plin. ibid. Plin ibid. Plin li. 8. c. 48. Mart. li. 2. epi. 58.

Pexatus pulchrè rides mea zoile trita.

Vestes enim illæ pexæ sunt, in quibus nec stamen nec subtremen appareat, eminente & operiente villo: nam in quibusdam licet numerare licia, vt in quibus textis & tramis lana est pilo propior, vt istrianis. In summo autem orbe telæ ea subtilitas & raritas est, vt subtemina oculos fallant, suique cõspectum furentur, vt eam partem ab araneo suspicari liceat lasso pertextam non esse, sed derelictam. quo fit vt Pliniana sic legenda censeam auctoribus etiam libris veterum tabulariorum: *derelicta lasso prætendi summa parte arbitrari liceat: illa difficile cernuntur, atque vt in plagis lineæ offensæ præcipitant in sinum*. Nam quod in editionibus *prætenti* excusum est, sententiam vitiat, vt &, *arbitrari licet*, &, *præcipitantur in sinum*: sinus autẽ in cassibus & plagis venatorum etiam à Gratio in libro de venatione nominatur. *Ingrati*, inquit, *maiora sinus dispendia sument*. Vnum etiam addam mendosum locum ex eodem libro, cùm de melle loquitur. Sic enim vitiosè scribitur, *præterea solstitio, cùm thymum & vna florere incipiunt*, reperio hic pro *solstitio* in libris sanctę antiquitatis atque venerandæ, *soliti*, quam verissimam esse scripturam certum habeo. solitum enim mel vocat, quod è floribus colligitur, cui alterum accedit, non ita solitum, quod exuberat ea tempestate, magnorum siderum exortu ex aëre in stirpes cadens.

Plin. li. 11. c. 14. Grat. lib. de venat. Plin. li. 11. c. 14.

Chinæa

Chinæa ſpecula apud Catullum. CAPVT XV.

Catul. in Ianuam.

PENTAMETER Catulli eſt, *Brixia chineæ ſuppoſita ſpeculæ*, in quo cùm chineæ domo Græcum eſſe videatur, inceſſit animo ſuſpicari vna curtum litera eſſe, quam facilè modulus verſiculi abſorbuerit: adducor igitur ad exiſtimandum Echinææ ſcribẽdum eſſe: ab Echino, vt hoc monti nomen ab aſperitate inditũ eſſe credamus: ſic Echinades, vel ab Echinorum copia, vel ab aſperitate nomen ſortitæ dicuntur, auctore Stephano: & Echinus nomen erat vrbis Acarnaniæ. Idem nomen Brixiani mõtis fuiſſe non leuis animo irrepſit ſuſpicio, vocabulum conſideranti vnius literæ ſupplemento integratum, & ad verſus legem accommodatum, & monti aſpero, qualem impoſitum eſſe Brixiæ narrant, conſentaneum & conueniens. ſi quis ſecus cenſet, quando nulla in re tam liberæ ſunt ſententiæ, quam in hoc genere literarum, id verò fecerit me non multum repugnãte, præſertim cùm de nudo vocabulo diſputatio ſit, quæ rerum naturam nullo modo immutat: Nam qui aliter ſenſerit, non tamen idem protinus nullum illic montem eſſe decreuerit: certè ſi Chinææ probatur, tamen pro Echinææ dictum erit, vt ructo pro ἐρεύγω ſuppreſſo e, & νέρτερος à Græcis pro ὑπέρτερος.

Steph. de vrb.

Commune ſepulchrum, hæredes monumentum non ſequitur, apud Horatium. CAPVT XVI.

CVM olim, qui locupletes erant, in ſuis fundis aliquid loci ſepulturæ ſeponerent, & priuata haberent ibi ſepulchra ſibi familiæque ſuæ, aut hæredibus, plebs, quæ agris fundiſque carebat, in loco aliquo communi ſepulturæ deſtinato humabatur: ſepulchrumque commune vocabatur, vbi ſepeliebatur. ex quo ſcripſit Horatius,

Horat. li. 1. ſat. 8.

Hoc miſeræ plebi ſtabat commune ſepulchrum.

Et elegantiſſimus poëta Catullus fata fratris ſui deplorans, apud Troiam mortui & conditi, vbi tot quondam heroes belli Troiani tempore ex Aſia & Europa occubuerant & compoſiti fuerant, eam vrbem commune ſepulchrum appellat Europæ & Aſiæ.

Catul. ad Mal.

Troia, inquit, *nefas commune ſepulchrum Europæ Aſiaque.*

Et optimus poëta Lucretius terram mortuos omnes omniaque fenectutis ſitu cariosa & putrida æuoque feſſa, ſuo ſinu gremioque receptantem, commune ſepulchrum eodem modo appellat:

Lucret. lib. 5.

Omniparens, inquit, *eadem rerum commune ſepulchrum.* Lepide autem iocatur Horatius, vt interpretor ex illa nota inſcriptione ſepulchrorum,

Sepulchri inſcriptio.

HOC monumentum hæredes non ſequitur, cùm in exquilini buſti cippo ſcriptum

ſcriptum fuiſſe dicit, *monumentum hæredes ne ſequeretur*. Nam alio ſenſu deflexum, quam intelligi ſoleret, accipit: ſepulchrum ſcilicet illud eſſe pauperum & exhæredatorum & bonis euerſorum. Hoc, inquit, monumẽtum non eſt hæredum, ſed hominum tenuium & nullum hæredium habentium, nullamque agri perticam, vel decempedam poſſidentium. Cæterùm, ne hoc prætermittam commune extra exquilias ſepulchrum Varro puticulas nominat. *Puticulæ*, inquit, *quòd putescebant ibi cadauera proiecta, qui locus publicus extra exquilias.* Feſtus *puticulos vocat.*

Horat. lib. 1. ſat. 8.

Var. li. 4. de ling. Lat. Feſt. li. 14.

Appiades deæ, appiada appellabo, appietas. CAPVT XVII.

HAS Venus è templis multo radiantibus auro,
Læta videt lites, Appiadéſque deæ. inquit Ouidius.

Ouid. li. 2. de art. amandi.

Quæſitum eſt à Grammaticis, quæ ſint illæ deæ Appiades, exponuntque ferè Venerem, Pallada, Pacem, Concordiam, Veſtam, quas propè Cæſaris forum conſtructis templis, ab aqua Appia, quę in idem forum deducta eſſet, ſic appellari cenſent. mihi non videtur ſatis eſſe cauſæ in aquæ ductu, vt tot vicinorum templorum numina, inde nomen mutuẽtur. ſed nec Venus in Appiadibus numeranda videtur, cùm ab ijs diſertè à poëta ſeparetur. Nec verò tantùm in plurali Appiades vocat, ſed & in ſingulari, quanquam de pluribus ſemper loqui videtur: vt cùm ſcribit,

Turpe vir & mulier iuncti modo, protinus hoſtes:
Non iſtas lites Appias ipſa probat.

Ouid lib. 2. de remed. amor.

Ego putem, cùm eo in loco ſaliret aqua Appia, ac ſub Veneris templo eius lacus ac ſaliens eſſet: vel muſarum, vel nympharum potius, quæ in aquæ ductibus ſolent ore & mammis aquam euomere, vel aliarum certè dearum quarum nomina neſcimus, ſignis aquæ ductum illic ornatum fuiſſe. Cùm autem Venus præſit fœderibus amorum: Appiades autem illæ deæ ſub templo Veneris poſitæ eſſent, eas quoque velut Veneris contubernales & eiuſdem templi conſortes, amorum fœderibus ceu feciales præeſſe voluiſſe Ouid. nec talia iurgia litesque probare dixiſſe. Id autem ita ſeſe habere, vt dixi, apparet è verſibus Ouidij.

Subdita, quæ Veneris facto de marmore templo
Appias expreſſis aëra pulſat aquis.

Ouid lib. 1. de arte amandi.

Hic locus fidem facit ſub templo Veneris fuiſſe aquæ Appiæ ſalientem: illudque Appij monumentum, vt credibile eſt, dearum ſignis, & vt reor nympharum ornatum erat, quę Appiades deæ ſunt. Sed nec illud quidem Ciceronis ſcrupulo caret: *Idque me, quoniam tu ita vis, puto non inuita Mi-*

Cic. li. 3. epiſt. fam. epiſt. 1. ad Appiũ. Pulchr.

O *nerua*

nerua esse facturum, quam quidem ego, si fortè de tuis sumpsero, non solùm Palladam, sed etiam Appiada nominabo. Ego (inquit) eximius ille Mineruæ cultor, & qui eam in exilium iturus in Capitolino templo dedicaui hac inscriptione, *Palladi Romæ custodi*, si signum Mineruæ mihi ad te missum de tuis sumpsero, non tantum Pallada, vt antè feci in calamitosa mea profectione: sed etiam de tuo nomine Appiada, quòd à te mihi dono data fuerit, eam nominabo. Illud etiam multò magis omnes vrit, & male habet, *vllam Appietatem, vllam Lentulitatem valere apud me plus, quam virtutis ornamenta, existimas*? ego suspicor, Ciceronem more & consuetudine Stoicorum nomina fabricatum esse, quæ Appij, & Lentuli factum, & exemplum & auctoritatem significarent. Nam cùm Stoici ex habitu cuiusque, & qualitate nomina licenter fingerent, & virtutes sererent, earum quoddam examen peperêre, vt inquit Plutarchus de Chrysippo. ὡς γὰρ τὸν ἀνδρεῖον ἀνδρείαν, καὶ τὸ πρᾶον πραότητα, καὶ δικαιοσύνην τὸ δίκαιον· ἧττον· οὕτως τὸ χαρίεσσα χαριεντότητα, καὶ τὸ εὐθὺν εὐθύτητα, καὶ τὸ μέγαν μεγαλότητα, καὶ τὸ καλὸν καλότητα, ἑτέρας τε τοιαύτας ὑπιδεξιότητας, εὐανταπτησίας, εὐτραπελίας, ἀρέλας πθέμθνος. Obseruauit & doctissimus Budæus in eruditissimis suis commentarijs Lentulitatis & Appietatis tãquam fabricam Graiorum exemplo nouatam.

cic. lib. 3. fam. epist. 7.

Plutarch. in comment. Stoicarũ repugnãt.

Budæus in cõment. linguæ Græcæ.

Locus purgatus, traiectiones stellarum, duo genera diuinationis, fissum familiare & vitale, caput, diu perflabiles & pellucidi.

CAPVT XVIII.

QVOD ait Cicero libro de Diuinatione secundo, locum de finibus bonorum & malorũ à se perpurgatum esse, in eam sentẽtiam intelligo, vt quemadmodum hortus herbis noxijs liberatus & sarritus purgatus esse ab olitore dicitur: sed & qui dumis & spinis horret, eruncatus purgatus appellatur: postremò alueus fluuij, qui ruderibus limo arena oppletus est, ijs electis purgatus esse dicitur: eodem quoque modo eum philosophiæ locum multis obsitum spinis, multisque molestijs & difficultatibus impeditum, Ciceronis opera apertum & liberatum, omnique difficultate extricatum interpretemur. Sed cur in recensione suorum librorum commentarij de Legibus non meminit? credo quòd quanuis eos libros ante bellum ciuile scripsisset, non tamen eis summam manum imposuerat, nec eos elimarat. Itaque non arbitror eos à Cicerone editos, sed in eius scrinijs, vel pluteis repertos, post eius mortem publicatos fuisse. eodem fortasse modo vulgatæ sunt Partitiones in eius forulis repertæ, quas tamen eo tempore ab ipso scriptas perspicuum est, cùm in Reipublicæ administratione

cic. 2. de diuinat.

stratione occupatissimus erat ante bella ciuilia filio puero. Quæ est eo in libro stellæ traiectio? an ea est, cùm stellæ è cœlo præcipites labi videntur? Græci διάλοντας appellant: atque ita quidem libro secundo bis traiectiones stellarum appellari censent: nec libro primo aliter accipi debere putant multi, cùm Assyrios traiectiones motusque stellarum obseruasse dicit: eos enim disciplinam quãdam aiunt instituisse è lapsu facium, & sulco flammarum è cœlo cadentium. Ego tamen existimo & libro primo & secundo significari παρόδους, id est transitus stellarum errãtium, quod & propius verò est. Cùm fortasse Assyrij non horam natalitiam cuiusque obseruarent notarentque, è traiectione tamen & situ siderum prædictiones effari solerent. Duo genera diuinandi ponit, vnum artificiosum, alterum naturale, quorum & partes enumerat è decretis Stoicorum vel teste Plutarcho, qui sic in Homeri vita scribit, μαντικῆς δὲ τὸ μὲν τεχνικὸν φασίν εἶναι τοὺς φυσικοὺς, οἷον ἱεροσκοπίαν καὶ οἰωνοὺς, καὶ τὸ περὶ φήμας καὶ κληδόνας καὶ σύμβολα, ἄλλο δὲ συλλήβδην τεχνικὰ προσηγόρευσαν· τὸ δὲ ἄτεχνον, καὶ ἀδίδακτον, τοῦτο δ' ἐστὶν ἐνύπνια, καὶ ἐνθουσιασμός. Cùm ex diuinitate dicit, nos animos libatos aut haustos aut acceptos habere, attingit quod à Stoicis relatum est, animum humanum esse ἀπόσπασμα θεοῦ, id est, quiddam è Deo tractum & sumptum. extispices in extis consulendis partem eorum inimicis, partem nobis assignabant: atque ex vtriusque partis habitu, colore, plenitudine, tabe, quid aduersarijs, quid nobis euenturum esset, ariolabantur. Lucanus,

cic. lib. 1. de diuinat.

Pluarch. in vita Homeri.

Cernit tabe iecur madidum, fibrásque minaces,
Hostili de parte videt:

Lucan. lib. 1.

Quare scripsit Cicero, *quæ pars inimici, quæ pars familiaris esset. Fissum familiare*, inquit, *& vitale tractant*, apparet duplex fissum fuisse, vnum familiare, vt opinor in iecore, alterum vitale, vt opinor in alijs extis, vt pulmone, de quo Lucanus,

Lucan. ibid.

Paruúsque secat vitalia limes.

Fissum etiam vnum erat nostrum, alterum hostium & aduersariorum: Eratque vt conijcio linea quædam & limes qui fibras in extis, vt iecore medio, bipartito diuidebat & secabat, & dirimebat: erat & duplex in iecore caput vnum nostrum, alterum aduersariorum: Lucanus,

Ecce videt capiti fibrarum increscere molem:
Alterius capitis pars ægra & marcida pendet.

Lego autem mox, *vt ei qui impetrire velit*, vnde & impetritum apud Valerium, & Plinium, de quo alio loco dicam. Quod ait deos Epicuro esse pellucidos & perflabiles, id eò facit quòd soliditatem eis non attribuebat Epicurus, nec concretionem, nec corpus, sed pellucidam quandam leuitatem & lineamentorum quandam adumbratam effigiem. Nam quę pellucida sunt & perflabilia, vt aër, nihil firmum, nihil solidum, nihil concre-

cic. 2. de diuinat. Valer. li. 1. c. 8. plin. li. 28. c. 2.

cic. ibid.

Cic.ibid. tum habent. Ioue tonante & fulgente comitia haberi nefas erat, vt Cicero refert. Idem à Græcis obseruatum videtur: nam apud eos pluuia & tonitrua comitia dirimebant: Aristophanes, διοσημί' ἔστ', καὶ ραγὶς βέβληκέ με. Iterum, ἰὼ γὰρ ἤ τις ἔξοδος μηδενὶ ξυὼ νῷ, τότ' ἢ βροντῶμεν, ἢ ψακάζομεν. *Quid enim*, inquit, *profecit, cùm in medium mare fulmen iecit? quid cùm in altissimos montes, quod plerunque fit?* His argumentis Epicurei vti plerunque solebant, vt è Lucretio constat, sed & ante Epicurum natum alij, Aristophanes, ἀλλὰ τ' αὐτῷ γε νεὼν βάλλει, καὶ σήνιον ἄκρον ἀφλοῖς, καὶ τὰς δρῦς τὰς μεγάλας, τί παθών.

Aristophan. Acharn. Cic.2.de diuin. Aristophan. Nebulis.

Fauere linguis, fauere faucibus cantu, auium congestus, congerere, silentium, sortes Fortunæ monitu tolli, τὸ πᾶν, Omne, contorquere, flexiloquus. CAPVT XIX.

FAVERE linguis non tantùm est tacere, quod & olim pascere linguam dicebatur, verùm etiam fausta loqui, id est εὐφημεῖν. Quare fauere faucibus cantu, pro canere, Ennius de gallis gallinaceis dixit: *qui silentio,* Cic.2.de diuin. inquit, *noctis fauent faucibus russis cantu, plausúque premunt alas.* Versus Homericos de passerum ostēto, quos draco deuorarat, Cicero ab Agamemnone pronunciari facit insigni memoriæ lapsu, cùm eos Vlysses loquatur. Homer.2.Ilia.

Cic.ibid. *Edidit hæc Calchas quæ iam matura videtis,*

id est, quæ videtis instare & propinqua esse. Auium congestus est, cùm aues ad nidum construendum festucas, herbas, floccos, aliaque congerunt. Nam congerere est nidum conficere. Virgilius,

Virg.eclog.3. —*nanque notaui*
Ipse locum, aëriæ quo congessere palumbes.

Cic.2.de diuin. *Peritum autem*, inquit Cicero, *esse necesse est eum, qui silentium quid sit intelligat:* silentium est augurale vocabulum, cùm in augurio vitium non est. Nam vitium ijs, quæ auspicata sunt & augurata, opponitur: vt vitio creati magistratus sunt, qui creati sunt contra auspicia. Legendum autem arbi-
Cic.ibid. tror ex libro priore & vetustis exemplaribus, *& prærogatiuam omen comitiorum.* Sortes dicit Cicero fortunæ monitu tolli: an quod fortuna prænestina quæ sortibus præerat, oraculo iuberet tolli sortes? Nam ei oracu-
Strab.li.5.Cosmograph. lum tribuit Strabo: An quod res ista tota fortuita cùm esset, fortunæ monitu & impulsu fieri videretur? Procles autē & Euristhenes Aristodemi
Herodot lib.6. filij, ex Herodoti monumētis nominari debent. Itaq; Proclus è Cicerone
Cic.2.de diuin. Cic.ibid. facessat. Quod autem Græci τὸ πᾶν appellant, quo vocabulo summam rerum complectuntur, Cicero omne vocauit, cùm scripsit, *vidésne Epicurum (quem hebetem & rudem dicere solent Stoici) quemadmodum quod in natura rerum omne esse dicimus, infinitum esse concluserit?* Contorquere Ciceroni est

ni est oratione non recta, sed tortuosa vti, quo genere solebant plerunq; suas contexere argumentationes Stoici. *Deinde* (inquit) *contorquent & ita concludunt: non igitur sunt dij, nec significant futura.* Nam esset recta oratio, si igitur sunt dij, significant futura. Ea contortio orationis in repugnan-
Cic ibid. tium conclusione est vsitata. Acrostichis, cuius meminit Cicero etiā nunc
Cic ibid. August. de Ciuitate Dei. visitur in quibusdam Sibyllinis de Iesu Christo versibus apud diuum Augustinum, & in argumentis Fabularum Plautinarum: prætexuntur enim argumentorum versus nomine comœdiæ: sed & in versibus Sibyllinis fuisse, vt Cicero declarat, Dionysius ait his verbis, ἐλέγχονται δὲ ταῖς καλου-
Cic.2.de diuinat. Dionysius. lib 4. μένοις ἀκροστιχίσι. Quæ sunt oracula flexiloqua? nempe quæ inuersis verbis & flexis, id est tropo mutatis aliquid obscurè, & quodam anfractu & ambage significant, vnde & λοξίας Apollo à Græcis vocatus est, & aperta à
Cic.2.de diuina. Latinis, quòd minimè sit apertus. Duo sunt apud Ciceronem ænigmata, vnum de coclea, alterum de testudine: *terrigena herbigrada, domiporta, san-*
Cic.ibid. *guine cassa:* & *quadrupes tardigrada, agrestis, humilis, aspera, capite breui, ceruice anguina, aspectu truci, euiscerata, inanima cum animali sono*: quibus duo apud Græcos respōdent non absimilia de coclea, quam Anaxilas φερέοικον, Anaxilas apud Athenæum.lib. 2.dipnos.c.24. id est domiportam vocauit, ὑλογενῆς, ἀνάκανθος ἀναύχενος, ὑγροκέλευθος· &, ζῷον ἄποιον, ἀνάκανθον, ἀνόσφεον, ὁμαλόνωτον, ὄμματα τ' ἐκκύπτοντα τεθήκεα κεἰσπύπτοντα.

Cic.2.de diuinat. Narrat Cicero, Alexandro somno consopito Draconem, quem Olympias mater alebat, visum esse ostendere radiculam, qua sanaretur Ptole-
Lucian.in Alexād. seu pseudomante. Strabo li.15. Cosmograph. Cic.2.de diuinat. mæus. Solebant, vt scribit Lucianus in Pseudomante, mulieres Pellæ Dracones alere, eosq; æstate frigoris causa collo circundare. Strabo ait, vulnerato in Oritis Ptolemæo sagitta venenata, quendam Alexandro secundum quietem visum esse, qui radicem qua Ptolemæus sanaretur ostenderet: Draconis nihil meminit. Patrocinium somniorum Cicero tradit susceptum esse à philosophis imprimis acutis, & consequentia & repugnantia videntibus: in quo Stoicos intelligit Dialecticę perstudiosos, & argumentationum leges consecutionesque & repugnantias intelligētes.

Communia iura migrare, bestiæ, grandescere fœtu, magnum ad columen, fixum & signatum tempus, auguria coacta, diræ.
CAPVT XX.

INVASIT in Ciceronis librum priorem de Diuinatione, insignis nec dissimulandus error, vbi scribitur, *Quam verò Græcia misit Coloniam in Ætoliam, Ioniam, Asiam:* ego pro Ætolia, Æoliam corrigendum censuerim: cùm præsertim notum sit eam regionem ab Æolibus Græcis nomen habuisse, & colonijs Græcorum frequentatam fuisse: sed & dictare hanc
Cic.2. de diuinat.

nobis emendationem propè videtur nomen finitimæ prouinciæ, Ioniæ. quin & ante ſic crediderim integritati verborum & ſententiæ conſulendum, *quáque proximè ad deorum vim natura mortalis poſsit accedere*. quid quod infra non communi iure migrare, ſed *communia iura migrare*, id eſt violare, tranſilire, deſerere, eſt legendum? Quæ ἀνοσία Græci vocant, quo nomine veniunt venenata animalia, Cicero beſtias vocauit: *mirari licet*, inquit, *quæ ſint animaduerſa à medicis herbarum genera, quæ radicum, ad morſus beſtiarum*. Illud & cenſura eget: *ſed ineſt mire & ranunculis*: ego verò vindicibus libris ſcriptis lectionem veram reduco in ſuum domicilium, *ſed ineſt in re vis, & ranunculis natura*.

Cic. ibid.
Cic. ibid.
Cic. ibid.
Cic. ibid.

Lentiſcum, autem, *triplici grandeſcere fœtu*.

pro ter quotannis fructu augeri dicit, ea dicendi ratione, qua aliquem augeri liberis dicere ſolemus. nomen Cicero Ariſtolochiam dicit ex inuentore inueniſſe: in quo dentem calumniæ vitare non potuit. Clamãt enim odiosè eſſe herbæ nomen inditum ex eo, quòd puerperis ſit ſalubris: ſed quid vetat & ſalubrem eſſe puerperis, & ab inuentore Ariſtolocho nomen habuiſſe? Equidem puto id Ciceronem in aliquo, qui hodie non extet, ſcriptore legiſſe, non de ſuo commentum eſſe. Sed & Ariſtoteles à muliere inuentam eſſe ſcripſerat, vt Nicandri interpres refert, cuius verba ſunt, τάυτλω δέ φησιν Ἀειστέλης γυναῖκα εὑρηκέναι, adeò de inuentoribus rerum inter auctores non conuenit, vt alij alia prodant: in quo auctoris fides deſideranda eſt, non eius culpanda diligentia, qui alienam ſequutus fidem retulit. hæc enim ex Chryſippo exſcribebat Cicero, & in Latinum traducebat. Scribo autem mox, *in ſecundo de conſulatu Vrania muſa pronuntiat*, &,

Nicand. interp.
Cic. 1. de diuinat.

Concurſúſque graui ſtellarum ardore micantes.

Cum autem facem belli nunciam flammato ardore ſcribit volaſſe magnum ad columen, facem intelligo volaſſe inſtar columnæ, & ad columnæ magnitudinem, quod ex Obſequente conijcimus, qui eadem de re ita ſcribit, *Trabs ardens ab occaſu ad cœlum extenta*. Species generata Nattæ, eſt ſtatua nata & facta Nattæ, id eſt in eius honorem facta. Fixum & ſignatum tempus eſt temporis momentum, quod punctum temporis dicitur, & à Lucretio punctum tempus. Auguria Romana Cicero dicit coacta eſſe, quòd augurarentur è pullis in cauea ante fame enecatis, & quòd ex offa cadere aliquid oporteret, vt tripudium ſoliſtimum fieret: contra libero vtebatur augurio Deiotarus, qui liberè volantes aues aperto cœlo, non clauſas cauea ſpectabat. legendum autem puto, *aui tripudium fieri*: & *nuptiarum auſpices declarant*. Dio non C. Ætheium, ſed C. Attium vocat, quod & verius, atque hiſtoricus ille non Ciceroni ſed Appio adſtipulatur, & ex neglecta dirarum obnuntiatione putat calamitatem accidiſſe.

Iul. Obſequens li. de prodig.
Cic. 1. de diuinat.
Cic. ibid.
Cic. ibid.
Lucret. lib. 2. & 4.
Cic. 1 de diuin.
Cic. 1. de diuin.
Dio lib. 39.

Diras

Diras autem hîc execrationes & deteſtationes accipio. eodem auctore lego, *etenim diræ*, &, *in regiones diſtributa*, hæc ego pauca carptim ex eo libro libata adſcripſi leui defunctus opera: alia quæ maiora ſunt, aliorum induſtriæ reliqui.

Cic. 1. de diuin.

Sortes, ſors, & quædam in Cicerone emendata.
CAPVT XXI.

Ex libro de Diuinatione duo genera oraculorum fuiſſe cognoſcimus, vnum quod à furentibus profundebatur, vt à Pythia numine Apollinis correpta: alterum quod æquatis & paribus ſortibus è ſitella vel vrna ducebatur. habebant enim ſortes certis quibuſdam ſententijs, obſcuris tamen, notatas: quarum quædam fœlicitatem, quædam calamitatem denuntiabant, aut alia eiuſdem generis. hæc poſteriora oracula dicit Cicero, quæ æquatis ſortibus ducuntur. vnde & ſors pro oracuło vſurpari conſueuit: vel quia certo ordine ſorte ducta reddebantur: Aeſchylus, ἴτων πάλῳ λαχόνλες ὡς νομίζεται. Intereſt autem inter ſortem & ſortes, quòd ſortes velut teſſellæ quædam aut taleolæ lineæ inſcriptæ fuerant, ipſaque ſortis inſtrumenta: Sors autem ipſa ſortitio. Cicero, *& ſortes ipſas & cætera, quæ ad ſortem erant parata, diſturbauit. Quæ*, inquit Cicero, *Lacedæmonijs, quæ Taygetis, quæ Argiuis, quæ Corinthijs reſponderit, quis ignorat?* lego Tegeatis ex Herodoto. his enim oracula reddita apud eum ſcriptorem referuntur. *Cognata tibi ſunt ante gerendæ ærumnæ*. hîc *cognata* à patre filia vocatur, quòd cum alijs liberis eius nata eſset, vel ô gnata legendum eſt. *Ex fluuio fortuna reſiſtet*, id dicit propterea quod ad ripas ſe ſomniarat ſolam deſertam: proinde ex fluuio curſum ſuum inhibituram fortunam auguratur, neque vltra perrecturam, vt eam exagitet & vexet. doctiſſimè autem, vt alia plurima, Sigonius vir eximiæ & ſingularis doctrinę *in Numerij Fabij Pictoris Græcis annalibus*, legit, non vt vulgatum eſt in numerum. Lego mox, *de quo in Bruto Accij loquitur ipſe*: nec multò poſt, *Rex, quæ in vita vſurpant homines*: non vt per exemplaria eſt propagatum, res. Lege item, *commutationem portendit fore per propinquam*.

Cic. ibid.
Aeſchylus Eumenid.
Cic. 1. de diuin.
Cic. ibid.
Cic. ibid.
Cic. ibid.
Cic. ibid.
Cic. ibid.

Tempeſtas, ſuperſtitioſus, galeotæ, iamidæ, glutidæ, apud Ciceronem.
CAPVT XXII.

TEMPESTAS diem in illo Ciceronis verſu ſignificat,

Tertia te Phthiæ tempeſtas læta locabit.

Cic. ibid.

Id verſus Homericus docet quem expreſſit:

ἤματί κεν τριτάτῳ φθίῃ ἐρίβωλον Ἴκοιο,

Homer. 1 iliad.

Cic. 1. de diuinat. Animus seuocatus à societate & contagione corporis nihil quicquam aliud est, quam animus à coniunctione consortio & contactu corporis separatus. Nam contagio pro contactu non rarò vsurpari consueuit. Appulsus autem deorum accessus est, cùm in libris de Natura deorum appulsui, abscessum opponat, vt ipse sui interpres sit. *vbi illa paulò ante sapiens & virginali modestia?* hoc in trochaico, &, *illa*, priore breui, nisi, vbi, finis versus sit: & *modestia* tribus primis correptis legendū est, vt constet mensio: nec qui in comicis versibus versatus fuerit, id vt insolēs mirabitur. Sed cùm tragœdia non tantam vsurpet in versu licentiam, quantam comœdia, si virginis modestia legamus, versus penè legitimi iuris fuerit. idque verius puto. Superstitiosæ autem ariolationes, vaticinationes sunt diuinæ & fatiloquæ. Nam superstitiosus pro fatiloquo non infrequens est veteribus, in his Plauto fata fanda sunt fata dicenda & canenda. Fatis igitur fandis, id est ad fata canenda & eloquenda. *Virgines verò æquales, patris mei, meûm factûm pudet*: sic hunc versum vt posui, distinguendum reor: sed & *med obesse, illos prodesse*: interposito d, quod in poëtis antiquis frequens est, huc inducendum arbitror. illud mirandum magis, sed necessarium tamen, vt lex trochaici constet, adest posteriore breui, vt in modestia tertiam à fine syllabam notaui:

Cic. ibid. Plaut. Curcul. Sc. Beatus videor. Cic. 1. de diuinat. Cic. ibid.

Adest adest fax obuoluta sanguine atque incendio.

quod ipsum vulgi pronuntiatione transigitur & subleuatur. nam sic appellabatur adest, vt duplex litera non audiretur, verùm altera supprimeretur: ita corripiendi occasio erat: nisi fortè, quod & melius censeo, *heu adest fax*, vel, *ah adest fax*, scribatur.

Cic. ibid.

Multos annos latuit, ciues ferte opem & restinguite.

trochaicus etiam est, quod annoto, quia video in duo mẽbra diuersorum versuum distractum esse. pro, *vt cùm ille in agro Nolano*, lego *vt cùm Sulla*.

Cic. ibid. Aelian. de var. histor. lib. 12. Stephan. de vrbib. Cic. 1. de diuinat. Strabo. li. 13. & 14. Virg. 7. æneid. Cic. 1. de diuinat. Virg. 3. æneid.

Aelianus autem libro duodecimo ostentum quod Dionysio factum est equo in voragine demerso, narrat: vbi & Galeotarum vatum meminit: quos Stephanus genus in Sicilia vatum fuisse tradit. Plutonia quæ dicit in Asia esse, specus sunt tetrum & pestiferum halitum euomentes, omniaque accedentia animalia statim enecantes, vt ad Hierapolim Plutonium describitur à Strabone, & Charonium ad Thymbriam vicum Cariæ: spiracula ditis Maro vocat, vt quodam loco dicimus. Helenum dicit Ciceronem augurijs diuinasse, vt Cassandram mentis incitatione & furore: ita sola auguria Heleno tribuere videtur, cui Maro omne propè diuinationis genus his versibus concedit,

Troiugena interpres diuûm, qui numina Phœbi,
Qui tripodas, Clarij lauros, qui sidera sentis,

Et

Et volucrum linguas, & præpetis omina pennæ.

Quid Polyidum Corinthium? lego, non Polybum ex Homero: sed & Iamidas, non Ianudas lego. sic enim familia Aruspicum ab Iamo filio Apollinis nominabatur, quorũ vnus Thrasybulus è canum extis vaticinabatur, vt scribit Pausanias libro secundo Eliacon, quod & à Victorio eruditissimo viro traditum est. Idem quos Cicero glutidas vocat, clutidas appellat. sic familia aruspicum vocabatur à Clutio filio Alcmeonis. Homerus. Pausan. lib. 2. Eliacôn. Cic. 1 de diuin.

Omen comitiorum, cedere, eluuio, rudentis explicatio, sortes, sortilegi, fallax circus. CAPVT XXIII.

SCRIBIT Cicero libro priore de Diuinatione maiores voluisse *prærogatiuam omen esse iustorum comitiorum*, quod hoc sensu dictum esse interpretor, Romanos tantùm posuisse in suffragio prærogatiuæ centuriæ, vt eum semper consulem declararint, qui ab ea factus esset. Ita omen in consulibus rogãdis erat, vox prærogatiuæ & suffragium. Scribo autem *quam mox emittat pictis è faucibus currus*: qua circũlocutione carceres circi significauit Ennius. *Cedunt de cœlo ter quatuor corpora sancta*, id est veniũt, accedunt: vt apud Plautum, *Cedit miles, æs petit*, id est venit. *Stabilita scamna solúmque*. hic solum solium significat. vnde & solaria, quod alio loco annotare me memini. *Tarquinio dedit imperium simul & sola regni:* Festus explicat terram, vt cùm sola terrarum dicimus. *vt aquarum fluxiones & deflagrationẽ futurã*: explicat duo verba Græca κατακλυσμὸν & ἐκπύρωσιν, id est mũdi diluuium & incendium, quæ euenire Stoici existimãt longinquis tẽporũ interuallis, Deo notis & naturę, hominibus ignotis: proinde libẽtius legerim *aquarum eluuiones*, quam fluxiones. Iugis puteus in Cicerone est puteus aquam habẽs perennem. Nam putei etiam sine aqua esse possunt. Cic. ibid. Plaut. Aulul. Sc. Nauali amis multus. Cic. 1. de diuinat. Fest. lib. 17. Cic. 1. de diuinat. Cic. ibid.

Eheu videte iudicauit inclytum
Iudicium inter Deas tres aliquis, quo iudicio
Lacedæmonia mulier furiarum vna adueniet.

Tres iambici versus sunt in editionibus conturbati, in ijs *Deas*, monosyllabum est, & *iudicio*, & *adueniet* trisyllabum, quanquam aduenet legi possit, vt Nonius in Ennio aduenat pro adueniat, obseruat. In traductione temporis fatum quãdam rudentis explicationem efficere ait, vt proxima quæque replicet & reuoluat: vt enim rudẽs in spiram cõuolutus & complicatus, si explicetur, singuli orbes suo ordine explicabũtur, initio primi, deinceps proximi quique: sic curricula annorum explicant suos orbes, & tanquam conuolutos reuoluunt, & rerum seriem nexumque. Sortilegos contemnit Quintus qui solebant in triuijs sortibus ductis, non tam futura prædicere, Nonius. Cic. ibid.

prædicere, quam ad quæſtum ſuum mentiri. ſortes autem illæ verſabantur & educebantur manu pueri: Tibullus,

Tibul.lib.1. eleg.3. *Illa ſacras pueri ſortes ter ſuſtulit, illi*
Rettulit è triuijs omina certa puer.

Sed & ſortilegus dicebatur æquè Apollo, quòd ſortibus æquatis oracula interdũ vaticinaretur, etſi etiam furore adflata Pythia: certè ſortes etiam oracula dicuntur, & ſimia in Dodoneo templo, vt Cicero ſcribit, ſortes diſſipauit. ſortes oracula eſſe ex eo apparet quòd,

cic. 2 de diuinat. Horat. de art poëtic. *Sortilegis*, inquit Flaccus, *non diſcrepuit ſententia Delphis.*
Non habeo nauci, eſt, non facio flocci, prorſusque contemno.

Cic.1 de diuinat. cic. ibid. *Non Aruſpices vicanos, non de circo Aſtrologos*

Vicani Aruſpices ſunt, qui in vicis & pagis aruſpicinam exercebãt, qui vaniſſimi & mẽdaciſſimi erant. In circo Romano erãt Aſtrologi, Iuuenalis,

Iuuen. ſat. 6. *Conſulit antè Phalas Delphinorúmque columnas:*

nec alia de cauſa quam propter diuinaculos, circum fallacem dicere videtur. Horatius hoc verſu,

Horat. lib. 1. ſat. 2. *Fallacem circum, veſpertinúmque pererro*
Sæpe forum.

Illic autem multos diuinos fuiſſe liquet è Iuuenale ita ſcribente,

Iuuen ſat. 6. *Si mediocris erit, ſpatium luſtrabit vtrunque*
Metarum, & ſortes ducet, frontémque manúmque
Præbebit vati crebrum poppyſma roganti.

cic. lib. 1. de diuinat. Lego *coniectores, interpretes ſomniũm*, poſtulante verſu: &, *non enim ſunt hi aut arte diuini aut ſcientia*: mox item lego, *malitia excluſa.*

Frangere ſaxo, lapide lapidem terere, præcurrere, inane vacuum.

CAPVT XXIIII.

EFFVGERE & elabi plerunque nobis ſenſus ſolet, clamque ſurripi quodam furto in antiquis auctoribus, niſi propius inſpicimus & attendimus, etiam cùm verba de medio ſumpta ſunt. Quod quidem mihi accidit in illis Lucretianis verſibus, quos ſubijciam, & ne alijs idem vſuueniat, etſi nihil in eis magnopere latebroſum eſt, tamen lucidiorem aliquanto clarioremque eorum ſententiam reddam. Scribit igitur,

Lucret. lib. 1. *Conueniebat enim fruges quoque ſæpe minacis*
Robore cum ſaxi franguntur, mittere ſignum
Sanguinis, aut aliquid noſtri quo corpora aluntur:
Cum lapidi lapidem terimus, manare cruorem.

hîc cùm de alimento Lucretius loquatur, quid eſt loci lapidi, & cur cùm teritur poſtulat, vt ex eo cruor manet? hîc puto duas rationes molendi indicari,

dicari, vnam cum ſuſpenſa mola fruges frangimus, vt in faba freſa, & in polenta craſſiuſcula, quam Græci κρίμνον vocant: & ex eo Ariſtophanes κριμνώδη appellat, quæ craſſa ſunt: Et Maro dixit,

Ariſtoph. Neb. Virg. 1. æneid. *Et torrere parant flammis & frangere ſaxo,*

quod eſt vtcunque molere atque adeò molere. Aliquando autem non ſuſpendũtur molæ, ſed lapis lapidem terit, id eſt mola molam, cùm tenuior farina & minutior elicitur. cùm igitur franguntur in grandiuſculam farinam fruges, debebant ſignum aliquod ſanguinis eliſæ oſtẽdere: ſed cùm in minutiſſimum pollinem & ſimilam friantur & comminuuntur, tum verò ex eis manare ſanguis, non tantum oſtendi debebat, ſi, vt Anaxagoras ait, omnia ſunt in omnibus: poſteriorem rationem molẽdi ſignificari puto, cùm Lucretius dicit, *Cum lapidi lapidem terimus.*

Plaut. Aſinar. Sc. Sicut tuum vis vnicum. atque inde comica quadam laſciuia & luſu, ſeruus apud Plautum piſtrinum circunloquitur ex genere molituræ:

Non me illuc ducis, vbi lapis lapidem terit?

Ita etiam liquidius & clarius apparet ioci venuſtas ſcenici. in eodem Lucretij libro pręcurrere eſt vſurpatũ pro pręoccurrere, præoccupare, quod Græci προλαμβάνειν dicunt: ac mediusfidius verbum illud explicare Latinè videtur voluiſſe:

Lucret. lib. 1. *Illud*, inquit, *in his rebus ne te deducere vero*
Poſſit, quod quidam dicunt præcurrere cogor.
Lucret. ibid. *Omne*, autem, *quod eſt ſpatium, vacuum conſtaret inane,*

cùm dicit, mirum videtur, quod inane vacuum dicat: quaſi timendum ſit, ne ſit inane plenum: & certè. nam aër à Latinis plerunque inane dicitur, ad eius igitur diſcrimen vacuũ addidit, vt ſpatium acciperemus omni vacans corpore: aut certè ſic loqui abundante quadã oratione veteres poëtæ ſolebant, etiam in aëre, quia noſtris oculis inanis & vacuus occurrit. Maro,

Virg. 12. æneid. *Tum lapis ipſe viri vacuum per inane volutus.*

Sed & inane repletũ eſt, quod corpus obſidet & occupat: hinc Lucretius,

Lucret. lib. 1. *Non per inane meat vacuum.*

eſt & apud eum ſtringere, detrahere, diſtringere,

Lucret. ibid. *Sed quæ ſunt rerum primordia, nulla poteſt vis*
Stringere.

id eſt, nulla vis de eis quicquam poteſt deradere, detrahere, diſtringere quicquam, nec ea lædere.

Aureus funis, apparere, animi tactus, manu ducere, barbarica veſtis, barbaricarius, figuræ, ferus centaurus apud Lucretium.

CAPVT XXV.

NEGAT aureo fune de cœlo mortalia ſecula Lucretius (ſic enim loquitur)

quitur) in terram esse demissa: in quo subijt quærere, cur aureum funem nominarit: sic enim scribit,

Lucret.lib.2. *Haud, vt opinor enim, mortalia secla supernè*
Aurea demisit de cœlo funis in arua.

sed hoc tãquam æs alienũ ab Homero sumptũ suspicor, apud quem iliad. n aurea catena, vel funis, vt interpretatur Lucretius, de cœlo religatur.

Homer. Iliad. n. Σειρὴν χρυσείην ἐξ οὐρανόθεν κρεμάσαντες.

Plato in Theæteto. Plato autem in Theæteto aureum apud Homerum funem interpretatur solem esse, vt etiam eruditissimo viro Lambino placere animaduerti. in eo Lucretij libro pro aptaret, illo versu,

Lucret.lib.2. *Aptaret spatium cœli domus altáque tecta.* non est iuris ancipitis, melius esse, quod proferunt putres mẽbranæ, *appareret*, vt sit acquireret spatium & amplitudinem cœli domus, & augesceret. illud verò mirandum cuipiam videatur esse, quod animi tactum dixerit hoc versu,

Lucret.ibid. *Atque animi tactus liber quo peruolet ire.*

apagesis enim illud quod scabie quadam libros fœdauit tractus: sed tactus animi non aliud quicquam est, quam eius sensus: nam duplicem posuerunt Philosophi tactum, exteriorem omnibus notum, etiam belluis, si loqui possent: interiorem sequestrum & arbitrum voluptatis & doloris.

Cic. in Lucul. Lucret lib. 2. Horat. lib. 2. epist. 2. Cicero in Lucullo, *quid de tactu? & eo quidem quem philosophi interiorem vocant, aut doloris aut voluptatis.* lego etiam, *nam tibi veméter*, vt apud Flaccum, *vemens & liquidus*: quod si vehementer & vehemens legere vis, vocales duæ per synecphonesin in vnam coibunt & coalescent. Expressit autem verbum Græcum Lucretius, cùm dixit,

Lucret.lib.2. *Sed magis ipsa manu ducunt.* id enim est χειραγωγοῦσιν, vt & Cicero

Cic. lib.1.de nat.deor. libro 1. de Natura deorum, qui locus pro mutilo & curto stellatus est in libris editis, *sed etiam sic tractat vt manu ducat, eam esse vim & naturam deorum.* Nã hinc doceat pro reijculo remouendũ: tentauit enim χειραγωγεῖν quod est manu ducere, Latinè enuntiare. Putricauũ autem in nobili poëta putet, & lege carminis reijcitur: sic igitur versum legendum conijcio.

Lucret lib. 2. *Molli lenta, fragosa putri, caua corpore raro.* in illo autem versu,

Lucret.ibid. *Iam tibi barbaricæ vestes, melibœaque fulgens.*

barbaricæ vestes Phrygiæ intelligendæ sunt, vnde & barbaricarij in iure ciuili: nam barbarum pro Phryge dici est frequentissimum. Phryges autem acu pingere instituerunt. Apud eundem etiam hoc versu atomi, id est individua corpuscula, vocantur figuræ, propterea quod quædam angulatæ sunt, quædam hamatæ, quædam vncinatæ, quędam quadratæ. Sic apud

Aristot. Aristotelem Democriti sententiam referentem sæpe vocantur σχήματα: inquit Lucretius,

Dicere

Dicere enim posßis cœlestem fulminis ignem
Subtilem magis, & paruis constare figuris. Lucret.lib.2.

cùm autem ferum Centaurum dixit illo versu,

At contra tetra absinthi natura, ferique
Centauri: intellexit Centaureum, quod Latini vocant fel terræ, & feritatis cuiusdã nomen ei tribuebãt, vt è Dioscoridis codicibus perspici potest, in quibus vocari dicitur à Romanis fieri, & vuæfera, quæ verba eluxata videntur è fero, & vua fera: certè quamuis deprauata sint, ostendunt tamen non leuiter impressa feri vestigia, quod nomen ei tribuerit tum fuisse, non solùm ob feritatem centaurorum, à quibus nomen habebat, existimo (nam & φῆρες ab Homero appellantur) sed etiam ob amaritudinem saporis. Iam qui magnificentissimi & splendidissimi erant, pro lychnuchis & candelabris statuas in ædibus habebant, pueros prælucentes, thedamque aut lampada ferentes, qui sunt δαδοῦχοι & λαμπαδηφόροι, imitantes. *Si non*, inquit, *aurea sunt iuuenum simulachra per ædes*
Lampadas igniferas manibus retinentia dextris.

Lucret.lib.1. Lucret.lib.2. Dioscorid.li.3. Homerus. Iliad. 1.

Catenæ apud Lucretium, penes æterna, omnituentes.

CAPVT XXVI.

VT moribus antiquis stabat res Romana, sic Romana lingua stat antiquis exemplaribus, à quibus cùm recedũt editiones, meritò doctis suspectæ sunt, & propè falsi condemnantur. Etsi enim aliquid plerunque non incommodè fingũt, nouitium tamen id est & nuperum, non cana illa vetustate venerandum. Itaque etiam cùm minus fidem facit antiquitas, tamen eam quoquo pacto possumus, interpretari & retinere malumus, quàm quicquam innouare: velut in Lucretij quibusdam locis, vt libro 2.

—inter se fortè catenas Lucret.ibid.
Ludunt, in numerúmque exultant sanguine læti.

hodie cateruæ parum fideliter excudunt omnes: sed catenas quid vetat intelligere choreas catenatim consertas, vt illos fanaticos se gladijs lacerantes & cruentantes in suo exultasse & lusisse sanguine, & pernices agitasse choreas accipiamus? quod & à toto poëtarum choro mediusfidius cõcinitur, vt nemo dubitare debeat. Sunt & editiones falsariæ in illo quoque versu *Ære atque argento sternunt iter omnia circum.* Lucret.ibid.
cùm in sanctioribus exemplis scribatur, *—sternunt iter omne viarum.*
corruptum & illud, *Néue putes æterna parum residere potesse* Lucret.ibid.
Corpora prima. Libri clandestini &, vt ita dicam, mystici, *Néue putes æterna penes*: Ac, ita me deus amet, fateri malim

lim me neſcire quid hæc verba ſignificent, quàm ea audacter ſtilo confodere: ſentio tamen non inconcinnam in eis latere ſententiam, non reſidere nec remanere in æternis textis corpora prima, ſed ea plerũque fluitare in ſummis rerum oris, & res interpolare ſubinde alias atque alias, vt quædam in ortu natalibusque moriantur ſuis: tantum abeſt vt æternitas eſſe poſſit in his, quæ prima corpora procreãt & integrant. Teſtatur & illud vetera exemplaria: *Poſſe ea non ſenſu ſenſus mutabilitate,*

Lucret.ibid. *Aut aliquo tanquam partu, quod proditur extra.* Id autem multo aliter diuulgatum omnes ſciunt. Ego autem *ea* non puto eſſe vt quidam cenſerent, ea ratione & eo modo: vt eãdem ſæpenumero apud Plautum, pro eadem via: quanquam neque aliena à Lucretio eſſet illa ſynecphoneſis, quæ ſubleuando verſui neceſſaria foret ob productionem vltimæ ſyllabæ: ſed *ea*, vermes & oua quæ animantur. ſic

Lucret.ibid. *Aëre, fluminibus, terris, terráque creata,*

proferunt foruli Priſcorum voluminum: hodie, *flammáque creatis*, ſcribitur licenter, ne dicam ſtultè: nam de flamma nihil naſcitur: ſed cùm dixiſſet flumina & terras, nomineque terrarum ſignificaſſet hanc & illam terræ partem, hoc & illud terrę genus, quod quotidie gignitur aut ſarcitur, vt quotidie gignuntur flumina: tandem vniuerſam elementi molem complexus eſt, initio rerum creatam. Non incommodè *terráque creatis*, etiam legeretur, & deſtirpibus acciperetur. Proximos verſus ita legendos ex antiquis libris puto.

Lucret.ibid. *Non congreſſa modo vitales conuenienti*
Contulit inter ſe motus, quibus omnituentes
Accenſi ſenſus animantem quanque tuentur.

ſed tamen ne quid diſſimulem, ex, *omne tuentes*, *omnituentes* feci, quam vocabulorum iunctorum rationem cognoſcet Lucretianam, qui eum poëtam legerit, apud quem *ædituentes* multo inſolentius reperiet. In eo etiam

Lucret.li.6. ad finem. Lucret.li.2. *pœniceúſque color*, lego potius ex antiquis libris, quam phœniceus: ſolet enim u, plerunque in œ mutare, munire mœnire, munera, mœnera, punibat, pœnibat, ſic puniceus pœniceus.

Radix ferri, quod ſupereſt, nónne videre, ne, abrupti ignes, tantum
quod, proporro, ali, omne magnum contulit.

CAPVT XXVII.

RADIX ſaxi à Lucretio dicitur tranſlatè, veluti ſi diceres ſtirpem ſaxi, ſed & Græci terram ἐρριζωμένην non ineleganter ſolent dicere, eam ſtabiliter hærentem fundatamque dicere ſtudentes. Quod ſupereſt apud eundem

dem plerunque eſt deinceps, poſtea, in reliquum, igitur, poſtremo: vt quod Græci λοιπὸν dicunt, vt

Lucret.lib.2. *—Neque nobilitas neque gloria regni,*
Quod ſupereſt animo quoque nil prodeſſe putandum,

id eſt, λοιπὸν οὐδὲ τῇ ψυχῇ λυσιτελεῖν ὀιητέον.

Lucret.ibid. Iterum, *Omnimodis expertus eris quam quiſque det ordo*
Formarum ſpeciem totius corporis eius:
Quod ſupereſt, ſi forte voles variare figuras,

id eſt deinceps, poſtea, λοιπὸν: rurſum, *neque quod ſupereſt procreſcere, alique,* Lucret.ibid. id eſt οὐδὲ λοιπὸν ἀυξηθῆναι, id eſt deinceps, in reliquum, poſtea. Quid plura commemorare attinet, neque tam exemplis certa confirmare, quam lectorem copia onerare atque fatigare? Illud autem,

Lucret.ibid. *—Nonne videre*
Nil aliud ſibi naturam latrare?

Indignantis eſt & ſtomachantis, vt & Maronis illud, Virg.1.æneid.

Lucret.lib.2. *Mene incepto deſiſtere victam?* ſed & *—Niſi vt qui*
Corpore ſeiunctus dolor abſit:

Per archaiſmum dictum eſt, *qui*, quod eſt quomodo redundante, vt apud Terentium: alio tamen quodam modo,

Terent.Andri. act.1.sc.1. *Ita tum diſcedo ab illo, vt qui filiam*
Neget daturum.

aut, *vt qui* erit vt aliquo modo, aliqua ratione. Ne archaiſmo quodã non iniucundo, pro non etiam idem poëta poſuit.

Lucret.lib.2. *Illa quoque, in Solis quæ lumine cernere quimus,*
Ne quibus id faciant plagis, apparet apertè,

Id eſt, non apparet apertè: ac hærere aliquam in ſcriptura fraudem putarem, niſi apud comicum Plautum eadem vſurpatio vocis eodem in ſenſu Plaut.Trinũ. sc. Neq; fuit neque erit. reperiretur, vt, *niſi ne vis*, pro niſi non vis: & apud Terentium, *mihi qui ne detur*, id eſt, vt non detur, Donato interprete. At verò Terent.Andri. act.2.Sc.1.

Lucret.lib.2. *Tum vacuum tempus linquunt,*

Id eſt, vacuum animum, qui in capite eſt: tempus ſic numero ſingulari dicit Cornificius libro quarto *percutit tempus*. Proporro etiam vſurpatur, vt Cornific.lib. 4.ad Heren. Græci ſolent congeminare πρόπροσωλινδόμενος.

Lucret.lib.2. *Ipſáque proporro paulò maiora laceſſunt.*

Lucret.ibid. *—Abrupti nubibus ignes,*

Sunt vt Græcè ἀπερρωγότες, id eſt, à nubibus erumpentes & tanquam abſciſſi, apud Maronem quoque, *abruptis nubibus ignes*, legitur, quòd fulmen eas diuidat & rumpat. Tantum quod, etiam pro vt ſolum modo Lucretius poſuit. Virg.3.æneid. Lucret.lib.2. *Tantum quod momen mutatum dicere poſſis.*

Cic. in Ver. 2. act. Cicero in Verrem dixit *tantum quod*, pro niſi, *tantum quod hominem non nominat*, id eſt, niſi quod hominem non nominat. Cùm autem ſcribit,

Æraque quæ claustris reſtantia vociferantur,

Ea ſignificat fortaſſe, quæ Græci πόπλες & χορώνας appellant, quibus pulſantur fores, & intus homines euocantur: ſed credo eum eſſe circunlocutione vſum, quòd vox Latina ei deeſſet: quanquam potuit cornicem more Græcorum ob garrulitatem appellare. Vidi qui de cardine aheno

Virg. 1. æneid. intelligeret, vt apud Maronem, —*Foribus cardo ſtridebat ahenis,*

nam cùm ianua clauditur vociferatur renitens cardo. Iterum,

—*Aperit ſtridentia limina conſul.*

Virg. 7. æneid. Atque hanc interpretationem meliorem puto. Sudor pro humore, ab eo

Lucret. lib. 2. etiam nouo more vſurpatur, *ſudor vti maris eſt*: etſi enim non me fallit ſudorem eſſe ſuapte natura falſum, & à quibuſdam mare exiſtimatum ſudorem quendam eſſe, quod ab Ariſtotele relatum eſt: tamen puto ſudorem

Ariſtot. maris hic nihil aliud quicquam, quàm humorem eſſe. Eleganter autem & ſcitè illud ſcriptum eſt,

Lucret. li. 2. *Ne tibi dent in eo flammarum corpora fraudem:*

quod eſt, caue ne te ignis fallat. ex *in eo*, fecerunt *timeo*, bono quidem ſenſu, ſed illud alterum ſuauius multo eſt & elegantius. Ali non eſt apud eum nutriri plerunque, ſed altum & adultum euadere. Itaque creſcunt apud eum res, deinde aluntur. Nec verò præpoſtera ordinis perturbatione videri poteſt id dicere, cùm perſpicuè in ea notione quam dixi verbum illud ab eo vſurpetur, vt

Lucret. ibid. *Donec aleſcendi ſummum tetigere cacumen.*

Lucret. ibid. Iterum, —*Neque quod ſupereſt procreſcere alique.* Rurſum,

Lucret. ibid. *Quæque ſua de materia grandeſcere alique.*

Numen in eo etiam nutus eſt, vt

Lucret ibid. *Terrificas capitum quatientes numine criſtas:*

ſcio ad numen magnæ matris referri poſſe videri, ſed perſpicuè nutus motusque capitis ſignificatur, quem ſequitur & nutus criſtæ, vt apud Ho-

Homer. Iliad. 3. merum, —δεινὸν δ' ἐ λόφος χαθύπερθεν ἔνευεν.

Lucret. li. 2. Legendum autem arbitror, *Præterea quoniam non certis certa figuris*, non vt ſcribitur *niſi*, quod ſenſui ita repugnat, vt contrariam voluntati Lucretij ſententiam afferat: atque ita doctiſſimus Lambinus emendat, figuras autem pro atomis ponit. At illud

Lucret. ibid. —*Quæ magnum iaculando contulit omne,*

cùm ait, ab immenſo illo vniuerſo, quod omne vocat & interdum ſummam ſummarum, corpuſcula conferri dicit, quibus mundi huius elementa conſtent & augeantur, mundusque creſcat & amplificetur. Hæc, quæ admonitionis loco eſſe poterunt ijs, qui aliud agẽtes ea fortaſſe non animaduerterẽt

maduerterent, malui attingere, quàm operæ parcendo non iuuare ſtudia iuuentutis, ſæpe in tenui laborantis.

Collegium capitolinorum & Mercurialium apud Ciceronem, ferre calumniam. CAPVT XXVIII.

ROMAE collegia quædam erant, in his Mercurialium & Capitolinorum, vt ex epiſtolis ad Q. Fratrem cognoſcimus: ſed quinam erant illi Capitolini? Id enim è libris erutũ, Ciceronis epiſtolas legentibus præ- Cic. ad Quintum fratrem. lucebit: etſi enim noſtra non magnopere refert hos intelligere: tamen quià eum ſcriptorem meritò docti & ſtudioſi peruolutant, in quo ſi quid minus intelligunt offenduntur, excutiẽdum mihi eſſe credidi. Erant igitur Capitolini collegium hominũ Capitolium & arcem incolentiũ, ludosq; capitolinos celebrantium. Sed quia in hoc ſcribendi genere, non Oratorum artificioſa fide, ſed auctorum literis omnia probantur: quod à nobis poſitum eſt, ex eorum velut tabulario & inſtrumento depromendum eſt. Liuius igitur libro quinto ab vrbe condita, ita eſſe, vt retulimus, his verbis planum facit, *Ludi Capitolini fierent, quòd Iupiter optimus maximus* Liuius li. 5. ab vrb. cond. *ſuam ſedem atque arcem pop. Rom. in re trepida tutatus eſſet, collegiúmque ad eam rem M. Furius dictator conſtitueret ex his, qui in Capitolio atque arce habitarent*. Mercurialium autem collegium mercatorum fuiſſe crediderim: ac ne leuis coniectura putetur, quæ probabilitate ſubnixa ſit eius dei, qui mercaturæ præeſt: quanquam ſi alia deſint argumenta, ſatis hoc veriſimilitudinis ad credibilitatem ſatisque ponderis habeat: ex ipſius velut tablino Liuij teſtimonium proferemus. is ergo ita ſcribit, *Certamen conſulibus inciderat, vter dedicaret Mercurij ædem: Senatus à ſe rem ad populum reiecit, vtri eorum dedicatio iuſſu populi data eſſet, eum præeſſe annonæ, Mercatorum collegium inſtituere, ſolemnia pro Pontifice iuſſit ſuſcipere*. Sed quia è Ciceronem omnis hæc nata eſt oratio, ſupplementum capitis ex eodem ſcriptore addam. Quid eſt igitur in eius libris in epiſtola Cælij calumniam ferre? ſic autem ſcribitur, *Scito Sempronium Rufum, mel, ac delitias tuas calumniam maximo plauſu tuliſſe*. Id mihi videtur eſſe calumnioſum quiddam & aſtutum doloſumque excogitare & afferre, & obtinere fortaſſe, quod tum fecit Rufus, qui accuſatorem ſuum poſtulauit lege Plotia, vt hoc extraordinario reo cauſam non diceret. Sic & in Salluſtium Cicero ſcripſit, Liuius. lib. 2. ab vrb. cond. Cic. lib. 8. fam. epiſt. Cælius Cicer. epiſt. Iſi de Repub. Cic. in Salluſt. *ſed eſt quædam calumnia quam vnuſquiſque noſtrum teſtante animo ſuo fert de eo, qui falſum crimen bonis obiectat*: vbi hoc ſcilicet ſignificat, eos improbari tacito hominũ iudicio, qui falſo crimine alios calũniantur: ita in hoc poſteriore exẽplo, à prioris ſententia aliquantum deflectitur, vt exiſtimo.

LIBRI QVINTI FINIS.

ADRIANI TVRNEBI ADVERSARIORVM LIBER SEXTVS.

Delibitari, arca, ſutorio atramento abſolutus apud Ciceronem, malis onerari. CAPVT I.

Cic li. 9. epiſt. famil.

DVOBVS in locis epiſtolarum Ciceronis ad Pętum vel auctoritatem veterum exemplarium aduerſus editiones tueri conabimur, vel aliam ab vſitata ſcripturam eliciemus: ſed veteris tamen ſcripturæ fides penes Victorium ſit, quo tradente hoc ſcribimus. Ergo vbi excuſum eſt, *ſolebam enim antea delectari oleis & lucanicis tuis*, in veternoſis, vt ita dicam, & vetis libris reperit, *delibitari*, quod mediusfidius non improbandum eſt, hoc ſenſu: tu me tua promulſide ante delibabas, ac meam famem diminuebas illis primis ferculis, quam tibi integram & illibatam ad omnia cœnæ fercula afferam, neque primis illis miſſibus, & primo guſtu eam perdam & conſumam, ac delibabo: ſed, vt integer & recens ad reliqua fercula veniam, principio cœnæ abſtinebo. vt autē ab appello appellito, à cœno cœnito deducitur, quidni pari ratione à delibo delibito deriuari poſſit? Nullus eſt, vt puto, Grammaticus, qui non genus hoc deductionis agniturus ſit. Alter locus ſic ſcribitur vulgò, *nos iam ex areis tantum habemus, vt Verrium tuum & Camillum, qua munditia homines? qua elegantia? vocare ſæpius audeamus.* Equidem ſcio *ex areis* dici poſſe pro è frugibus, & meſſibus noſtris, vt apud Varronem, *rura largitur ad aream*: ſed in aliquot extat libris *ex artis*: quare puto ex arcis ſcribēdum eſſe leui mutatiuncula & ferenda. Arcam autem habere dicebatur, qui bene nummatus erat: cui nihil nummorum erat, is arcam non habere dicebatur: ſed multò ille pecunioſior, cui arcæ plures, vt hic numero multitudinis loquutus eſt. Catullus de paupere, *cui neque ſeruulus neque arca*. Et Cicero quodam loco, *confidito arcæ noſtræ*. Aſſuemus indidem & pannes. *Dediſcendæ*, inquit, *tibi ſunt ſportellæ & artolagani tui*: dicere eum puto vitiles ſportellas, quibus artolagani & bellaria ferebantur. Sed & interdum ſportulis obſonia cœnarum ferebātur, cùm ad aliquem cœnatum ibant: & in

Cic. li. 9. epiſt. famil. epiſt. Delectauerūt.

Cic. eod. lib. famil. epiſt. Dupliciter. Var. li. 4. de ling. Lat.

Catul. epig. 21.

Cic. ad Attic. lib. 1. epiſt. Nimium raro.

Cic. lib. 9 fam. epiſt. Duplicit.

& in cœnationem domeſticam portabant. Nam & apud Pollucem ſunt κίστραι ὀλοφόροι & σπυρίδες. Ego autem putem artolaganos in parabilibus & vulgaribus cibis fuiſſe numeratos. Rurſum, *Iam pater eius*, inquit, *accuſatus à M. Antonio ſutorio atramento abſolutus putatur*: puto per ænigma ſignificari abſolutum crimine eum fuiſſe fœdiſſimis ſordibus & maculis iudicum. qui ignominioſo iudicio & turpi eum liberaſſent, per corruptelam, quem grauiſſimis ſententijs condemnare debuerant. Nam ſutorum atramentum, quo ligulæ ſolearum & corium calceorum denigratur, nigerrimas ducit maculas. Itaque atramentum ſutorium maculoſum iudicium & infame vocauit. *Spurina quidem*, inquit, *cùm ei rem demonſtraſſem, & vitam tuam ſuperiorem expoſuiſſem magnum periculum ſummæ Reipublicæ demonſtrabat, niſi ad ſuperiorem conſuetudinem tuam, cùm Fauonius, flaret reuertiſſes.* Imitatus eſt feſtiuè reſponſa hariolorum & aruſpicum, qui aliquando ſolebant diem præfinire, ante quam niſi quid fieret, mali aliquid eſſet euenturum. Terentius, *gallina cecinit: interdixit hariolus, aruſpex vetuit ante brumam aliquid noui negotij incipere*. Ait etiam, *Me autem à te, vt ſcurram velitem, malis oneratum eſſe non moleſtè tuli*. Malis oneratur qui malè mulctatur & vapulat oneraturque plagis: ſcurram autem velitem dicit, ſcurram tironem, non veteranum, grauis armaturæ: vt enim ſi veles cum armato milite congrederetur malè acciperetur, ſic vt velitem ſcurram ſe verberatum eſſe iocatur à Papirio dicaciſſimo & acerrimo ſcurra.

Iul. Pollux li. 10. cap. 3.

Cic. li. 9. fam. epiſt. 21. ain.

Cic. eod. lib. epiſt. 24.

Terent. Phor. act. 4. ſc. 4.

Cic. lib. 9. fam. epiſt. Duplicit.

Qualis in Eurotæ ripis apud Maronem.

CAPVT II.

POETAE Latinorum principis verba ſunt,

Qualis in Eurotæ ripis, aut per iuga Cynthi
Exercet Diana choros:

Virg. li. 1. æneï.

quibus Homeri lineamentis tabellam ſaltantis Dianæ choreasque ducentis expingit: qua quidem in tabula picta Momus veluti reprehendendi animo quæreret, quid ita viſum ſit vtrique poëtæ potius eam in ripis Eurotæ tripudiantem ſtatuere, quam alicuius alterius fluminis. Nam de iugis Cynthi propter natalem Delon nihil habuerit Momus aut Zoilus quod carpat. vt igitur à calumnia, qua nihil hominum generi iucundius eſt, vt quam etiam in Deum aliquando deſtringant, in eius conſilia & facta malignè inquirentes, vtrumque poëtam liberemus: hoc exiſtimo ab eis conſilio ſcriptum eſſe, quòd Taygetus mons Eurotæ imminens, eſſet Dianæ ſacer, vt veriſimile ſit eam, in loco ſibi dicato ſacroque & grato, in numerū cum Nymphis ſaltare libenter ſolitam, non propter aquę riuum,

Homer. Odyſſ. ζ.

ſed fluuium potius amœnum. ſed tabellari nobis eſt opus ſuffragio, quod nobis non denegabit elegans & concinnus poëta Callimachus, qui in Dianæ hymno his verbis ei chariſſimum eſſe dicit Taygetum:

Callimach. εἰς ἄρτεμιν. Νήσων μὲν δολίχη, πολίων δέ τοι εὐάδε πέργη,
Τηύγετον δ' ὀρέων.

Equidem credo etiam non defuturos, qui mirentur quid ita deam illam puerperiorum, venationumque præſidem, tripudiatricem ſaltatricemque inducant: ſed mirari deſinent, vbi intellexerint, ita animis hominum religionem illam ſectantium inſitum fuiſſe, vt eam ſemper in montibus, niſi venaretur, ſaltare exiſtimarent. Argumento eſt prouerbium, πόθ' ἄρτεμις οὐκ ἐχόρευσε; quando Diana non ſaltauit? & quòd, vt poëta idem Callimachus canit, ſaltatriculas comites ab Ioue popoſcerit ſexaginta nymphas.

Callimac. ibid. Δὸς δέ μοι ἑξήκοντα χορήπδας ὠκεανίνας.

Sed & Oreades eam ſequuntur glomeranturq;, cùm choros exercet, quia montes omnes in poteſtate Dianæ ſunt: & omnes nymphæ mõtium eius familiares, & propè contubernales habebãtur. Nam apud Callimachum ſibi poſcit ab Ioue montes omnes donari: ſic enim ſcribit,

Callimac. ibid. —Δὸς δέ μοι ὄρεα πάντα.

hæc, vt opinor, quæ expoſui, haud parum addent gratiæ verſibus Maronis, quæ neceſſe eſt ſurdo velut palato non ſentiatur, niſi eorum quæ aſperſi, guſtu commendetur.

Turricula, fritillus, dare, reuocare.

CAPVT III.

INTERESSE non crediderim inter turriculam & fritillum, quibus veteres vtebãtur in teſſeris luſorijsque tabulis, nec noſtri Grammatici inter iſta diſtingunt: neque internoſcendi vllam afferunt notam. mihi autẽ videtur fritillus vaſculum buxeum longum & teres fuiſſe, è quo mitterentur teſſeræ, vel tali in tabulam. Id ex eo apparet, quod apud Senecam condemnatur Claudius alea ludere pertuſo fritillo: ſic enim fruſtrà talos colligebat, cùm ſemper caderent nullo retenti fundo. verba ſunt Senecæ, *Tum Æacus iubet illum alea ludere pertuſo fritillo: & iam cœperat fugientes teſſeras quærere & nihil proficere.* Senec. de mort. Claud.

Nam quoties miſſurus erat reſonante fritillo,
Vtraque ſubducto fugiebat teſſera fundo.

Idem & pyrgus ſiue turricula erat, vt è Martiale conſtat:

Mart. lib. 14. epig. 16. *Quærit compoſitos manus improba mittere talos:*
Si per me miſit, nil niſi vota facit.

Nam

Nam vaſculum illud oblongum & teres imaginem & effigiem rotundæ turriculæ præbebat. ne igitur improba fallacique manu bolos quos vellent aleatores veterani iactarent, aliosque fallerent, excogitatum fuerat ad fraudem tollendam, vt per pyrgum mitterentur tali: intus autem pyrgus excauatus erat gradatim exculptusque, vt agitati concuſſique tali, in graduum offendentes ſupercilia, volutarentur incertiorque iactus eſſet: Auſonius,

Auſon. in commemorat. profeſſor. Burdegalenſ. *Vidimus & quondam tabulæ certamime longo,*
Omnes qui fuerant enumeraſſe bolos:
Alternis vicibus, quos præcipitante rotatu
Fundunt excuſi per caua buxa gradus.

Bolos porrò in eo ludo vel dabant vel reuocabant: vnde & hodie teſſerarum ludus, datorum ludus vocari ſolet: Auſonius eodem loco,

Auſon. ibid. *Narrantem fido per ſingula puncta recurſu*
Quæ data, per longas quæ reuocata moras.

Quod idem in duodecim ſcriptorum ludo vel calculorum fiebat. Cicero in Hortenſio, *Itaque tibi concedam, quod in xij. ſcriptis ſolemus, vt calculum reducas, ſi te alicuius dati pœnitet.* qui enim calculũ mouit, & in aliqua ſede lineáue collocauit, dedit: qui ſi ſe malè collocaſſe putat, reducit calculum. cic. in Hortẽſ.

Albæ ſententiæ, Dama, cæcus fluctus.

CAPVT IIII.

ASINIVS Pollio apud Senecam Albutij ſentẽtias, quæ apertæ erant, faciles, non obſcurę, non tenebricoſæ, appellat albas, quòd quæ alba ſunt nihil atrum, nihil caliginoſum habeant, ſed clara quadam luce ſuffuſa pelluceant: eius verba ſunt, *Sententiæ, quas optimè Pollio Aſinius albas vocabat:* id Græco more factum eſſe ſuſpicor, cùm præſertim apud Euſebium ſæpenumero legamus λευκότατον, pro clariſſimo & facillimo. Sed quod nõ tranſiri temerè & inattentè debuit, ex eo mox Senecæ loco perſpici poteſt, cur ab Horatio ſcriptum ſit, Senec. lib. 4. controuerſ. Euſebius.

Horat lib. 2. ſat. 5. *Viſne tegam ſpurco Damæ latus?*

Nam cùm Dama diminutionis forma à Demetrio deductum ſit, nomen ſeruile eſt, & in Horatio libertini hominis, quales multi ad opes perueniebant, & ſi pro viliſſimis & ſordidiſſimis ſemper habebantur. Adſcribam Senecæ verba, *Idem rei dicebat omnium ſordidiſſimas, acetũ & puleium, & Damam, & Phileroten, laternas & ſpongias.* Cùm igitur Horatiani mihi loci in mentem inter legendum veniſſet, in articulo opprimendum putaui, & huic ſchedulæ inſerendum, cùm ei nonnulla lux è Seneca affulgere videatur. Æquè & quiddam Græcanicum olet illud Liuij apud Senecam Senec. lib. 4. controuerſ.

de

Senec.lib.1. Controuers. de Ciceronis morte, *vnde aliquoties in altum prouectum, cùm modo venti aduersi retulissent, modo ipse iactationem nauis cæco voluente fluctu pati non posset*: illud enim cæco fluctu, est quod ab Homero scriptum est κύματι κωφῷ, quod & ante Liuium ita Latinè Sisenna explicarat, vt apud Nonium reperimus. Nec mediusfidius alienum & inscitū fuerit verba Sisennæ subiungere: *subitò*, inquit, *mare subhorrescere, cæcósque fluctus in se prouoluere leuiter cœpit*. cæcum autem fluctum Nonius idem interpretatur, occultè malum, latentem, & tacitum: grammatici Græci explicant fluctum sine vento ortum, nec murmurantem sonantemque. Liuius quidem intelligere videtur fluctum vento silente, aut non strepēte excitatum, cùm scripsit, *partim ventis reflantibus relatum sæpius in littus, partim cæco fluctu iactationem nauis pati non potuisse*: nec aliter sentit Sisenna. Ac cæcus dicitur fluctus, cuius non sentitur nec apparet causa, vt cùm venti quiescunt. quæ enim præter ventum excogitari potest maris frementis & fluctuantis causa? quo horrescente & aëre quieto, meritò fluctus cæcus dicitur: id autem plerunque fit ante ventos coortos, vnde & Maro scripsit in prognosticis venti,

Homerus. Apud Non. in Cæcum. Senec.lib.1. Controuers. Virg.li.1.Geor.

Principio ventis surgentibus, aut freta Ponti
Incipiunt agitata tumescere.

Flamen furinalis, Falacralis.
CAPVT V.

Varr.li.4.de ling.Lat. FLAMEN est apud Varronem furinalis diuæ, vt ait ille, Furinæ: sed quæ sit ista diua Furina, sollicitè anxieque quærunt antiquarij, qua ignorata, nec eius quidem flamen cognoscetur. ego si potero istum scrupulum eis eximam: ego enim diuam Furinam arbitror Erinnyn esse, & furiam, quod duorum locorum comparatione constituere & confirmare posse videor: atque hoc genus argumēti imprimis firmum certumque est, cùm alterius loci aut scriptoris interpretatione, obscuritas & caligo detergetur. Sic ergo in libro de viris illustribus scribitur de Graccho, *& Pomponio amico apud portam trigeminam, P. Lectorio in ponte sublicio persequentibus non resistente, in lucum Furinæ peruenit*. Idem istud sic Plutarchus scribit, ὁδὲ φθάνει μικρὸν εἰς ἱερὸν ἄλσος ἐρινύων καταφυγών. Ita Plutarchus Furinam interpretatur furias, cui sententiæ nec intercedere possum, neque quicquam diffindere, vt inquit Flaccus, cur non ei assentiar. est & in Varrone falacralis flamen à diuo Falacre dictus, sed deus iste in vasto quodam latere obscuroque & caliginoso chao videtur tacitus & ignotus, neque cuiquam qui sit, proditus: eruere tamen eum conabimur è tantis tenebris in lucem, si nostræ aspiret coniecturæ fortuna. nam præter coniecturam afferre nihil

Plin.de viris illustr.c.65. Plutar. in vit. Gracchor. Varr.lib.4.de ling.Lat.

hil possum: quæ si in grauioribus rebus interdum boni consulitur, hîc aspernanda non est. Igitur vt diua Palatua dea erat, quæ Palatio præerat, cuius flamen Palatualis vocabatur, & Volturnus fluuius, cuius flamen Volturnalis: item crediderim diuum Falacrem deum fuisse, qui loco cuidam, qui falacer aut falacrinus vocabatur, præerat: sunt enim cognomines & gentiles locorum dij, vt Clitumnus & fontis, & dei fontis præsidis nomen erat. Falacrinus autem locus recensetur ab Antonino in itinerario Italiæ non procul Roma: quispiam fortasse etiam existimet à phalis circi nomen habuisse, sed alterum credibilius videtur. Hæc mea est in hunc locum symbola, qui quid melius conferre poterit, non modo non offensurus est me, vt gratiam vltro sim ei habiturus, quòd me errore liberauerit: etsi non multum errat ille, qui suæ non multum confidit coniecturę, cuius vt verisimilem fidem, ita dubiam lubricamque sententiam intelligit.

Antoninus in Itinerar.

Auida pars, fortuna gubernans, mœnia mundi, tremor clarus, pennipotentes, plumbi potestas.

CAPVT VI.

AVIDOS homines auaros plusque semper appetentes insatiabili quadam cupiditate intelligimus, à qua notione non deflexit Lucretianum illud, quod quadam nouitate insigne, neque vulgaris palati neque publici saporis, obseruandum fuit:

Principio, inquit, *quantum cœli tegit impetus ingens,*
Inde auidam partem montes siluæque ferarum
Possedere,

Lucret.lib.5.

Hîc auidam partem, si quid iudicare possum appellat magnam, quòd auidi sit plus appetere, nec paruo contentum esse. vt autem Romæ erat fortunæ obsequentis, fortunæ respicientis templum: sic cùm Epicurei fortunę arbitrio omnia sursum deorsum temerè ferri in hac rerum summa censeant, vniuersoque reginam & imperatricem præficiant omnia regentem, ritu Romano cognomentum ei imposuit, gubernantemque appellauit hoc versu ex eodem libro deprompto,

Quod procul à nobis flectat fortuna gubernans:

Lucret.ibid.

Quanquam & eo respexisse videtur, quod vetustas non vnum tantum sed duo fortunæ gubernacula tribuit: vnde à Plutarcho scriptum est de ea ex Pindaro, ὃδὲ δίδυμον πρέψαι πηδάλιον. est & ab eo natura gubernās eodem modo vocata: neque vt à politissimo & doctissimo interprete Lambino scriptum est, desunt libri in quibus pro fortuna gubernans, natura scriptum extet. Illud singulare & nusquam locorum ab vllo prætereа (quod equidem

Plutar.lib. de fort. Romanę

Lucret.lib.5. equidem recorder)vsurpatum *ambens* pro ambedens, quod & erroris insimularem, nisi carminis lex calumniandi fiduciam eriperet & auferret: nam in prosa non dubitassem sine vlla religione audacter ambedens huc inferre. Proinde autem quasi hic mundus vel vrbs quædam sit, mœnibus vndique septa & circundata, aut locus munitione circunuallatus & clausus, cœlum mundi mœnia vocare consueuit: vt eodem libro,

Lucret.ibid. *Lunámque efficerent & magni mœnia mundi,*

id est cœlum. Idem etiam pereleganter & è proprietate luminis stellarum tremuli, cuius etiam rei causam philosophi inuestigare conantur, cœlestium illorum ignium splendorem, tremorem vocat,

Lucret.ibid. *Dum tremor est clarus, dum cernitur ardor eorum.*

ex quo & Maro doctissimus poëtarum dixit de luna,

Virg.7. æneid. *—Splendet tremulo sub lumine pontus.*

& de Solis etiam luce Lucretius,

Lucret lib.5. *Sub terris ideo tremulum iubar hæsitat ignis.*

Pennipotentes etiam egregio vocabulo aues appellat, ex eo quod pennis potiantur: nam potens, est etiam potiens, vt

Horat. lib.1. od.5. *—potenti vestimenta maris deo,* id est Neptuno maris potienti.

Lucret.lib.5. *Quadrupedum,* inquit Lucretius, *membris & corpore pennipotentum:* quanquam non me latet etiam Neptuno dici posse permissam maris potestatem, eoque potentem maris appellari, & pennipotentes quæ pennis

Virg.4.æneid. valent & nituntur vocari. vt autem à Marone *canum vis*, pro canibus, & à Lucretio quoque dicitur: eodem etiam modo & plumbi potestas hoc

Lucret lib.5. versu, *Et simul argenti pondus plumbíque potestas.*

Lucret.ibid. & rursum, *Ex alienigenis membris compacta potestas,* Cùm autem canit,

Lucret.ibid. *Et ferro cœpere solum proscindere terræ,*
Exæquatáque sunt creperi discrimina belli:

significat, vt ferro arare cœperunt, sic & peræquè ferro instituisse pugnare, & ferro committere aleam præliorum.

Libatis dapibus apud Flaccum, noster ludos spectauerat, vna luserat in campo. CAPVT VII.

QVID sit apud Flaccum *Libatis dapibus pascere*, non tam facilè fortasse reperias, qui tibi explanet, quàm vel in littore algam, vel in sentibus spinã inuenias. proinde operã mihi hanc sumendã putaui, vt eos edocerem, qui facilius à vero aberrarent, quàm rectam viam instarent: sic autem scribit,

Horat.li.2. sat.6. *Ante larem proprium vescor, vernáque procaces*
Pasco libatis dapibus.

Ego

Ego hoc crediderim referendum ad antiquorum pietatem, qui partem cœnæ lari, dijsque donabant, & in focum mittebant lari sacrum, vt constat: id enim erat libare dapes: ex ea consuetudine, vt arbitror, scribit Varro, vt à Marcello citatur, *quocirca oportet bonum ciuem legibus parere, & deos colere, in patellam dare μικρὸν κρέας:* & Cicero de Finibus, *atqui reperiemus Asotos primum ita non religiosos, vt edant de patella,* id est, vt edãt ea, quæ dijs è cœna libata sunt: sed ritus ille optimè intelligetur è Plutarcho, ita in libello de fortuna Romanorum scribente, ὁι δ' ὅ φασιν, ἀλλὰ παρθένον τὴν ὀχρισίαν ἀπάργματα ἡ λοιβὴν ἐκάστοτε λαμβάνουσαν ἀπὸ τῆς βασιλικῆς τραπέζης, ὅτι τὴν ἐστίαν κομίζειν, καὶ τότε τυχεῖν, ὥσπερ εἰώθει, τῷ πυρὶ τὰς ἀπαρχὰς ἐπιβάλλουσαν.

Varro apud Non. in patellã. Cic. 2. de Finib. Plutarch. in lib. de fort. Rom.

Ea igitur se castitate & sanctimonia ruri dicit cœnare Horatius, vt dapibus nisi ante Deo piè libatis, vesci non soleat. Inde & dij patellarij à Plauto festiuè iocante sunt dicti, quibus in patella libabatur, non magna sacrificia fiebant. Tales dij erant in larario domestici penates & lares. Quid? non & illud negotium facessit?

Plaut. Cistell. Sc. Credo ego.

—noster ludos spectauerat, vnà
Luserat in campo.

Horat. lib. 2. sat. 6.

Non tamen operosè velut è cuniculo latebroso effodiendus est sensus. Imitatur enim sermonem hominum sibi inuidentium, & mirantium tam prosperam secundamque fortunam suam. Horatius, inquiunt, nostri ordinis & loci erat, & in vltima cauea nobiscum spectabat ludos inter pauperum cuneos, in campo Martio nobiscum sese exercebat, qui fortunæ filius nunc videtur, tantis auctus successibus est. Nam Senatores ludos threatrales spectabant ex orchestra: è quatuordecim ordinibus equites, & plebeiorum lautiores & ditiores commodius sedebant, pauperiorum deterior vt conditio, sic & in cauea locus: in campo quoque generosi cum generosis se exercebant, pauperes cum pauperibus. Ergo iuuenem Horatiũ olim sui fuisse ordinis dicebant, qui fortunæ indulgentia ad amicitiam Mæcenatis opesque peruenerit, & fortunæ beneficio prouectus sit ad tantam fœlicitatem.

In secunda Horatij oda quædam explicata, sacras iaculatus arces,
Ilia vltrix necis Cæsaris, pater & princeps.
CAPVT VIII.

MIHI videtur Horatius secundo carmine libri primi commemorare prodigia mortem Cæsaris secuta, offensionem deorum & iram ostẽdentia, & augurium ciuilium deinceps bellorum euentumque portendentia. Cùm autem solerent prodigia & portenta procurari & expiari, iraque

deorum obsecrationibus & precibus placari, vtrunque in ea oda reperiemus. Ostentum autem erat dirum & funestum, cùm sacræ ædes de cœlo tangebantur: ex quo scripsit, —*& rubente*

Horat. lib. 1. od. 2.
Dextera sacras iaculatus arces
Terruit vrbem sic M. Tullius,

Cic. 1. de diuinat.
Nam pater altitonans stellanti nixus olympo,
Ipse suos quondam tumulos ac templa petiuit,

Horat. li. 1. od. 12.
Et Capitolinis iniecit sedibus ignes. & alio loco Horatius,
Tu parum castis inimica mittes
Fulmina lucis.

Iam quòd rubentem dextram dixit, id verò fecit vt tertiam manubiam significaret, quæ ignea est, & minax, & ab Ioue de consilio deorum superiorum mittitur, aduritque & magnam significationem habet statumque mutat, vt à Verrio scribitur. Iliam autem vltricem esse necis Cæsaris dicit, quòd Iulia familia ab Iulo esset, qui & Ilus erat, dum res stabat Ilia, vt poëta scribit: ab Ilo autem Ilia erat oriunda, vt & reges Albanorum. Eam vxorem Tiberis ait Horatius, cùm alijs fuerit Anienis, quod ex eo fictum est, quòd in Anienem ceciderit. Ouidius,

Verrius apud Fest. lib. 11.

Ouid. 3. amor. eleg. 5.
Nec te prætereo, qui per caua saxa volutus
Tiburis Argæi spumifer arua rigas:
Ilia cui placuit Iterum,

Ouid ibid.
Atque ita se in rapidas perdita misit aquas:
Supposuisse manus ad pectora lubricus amnis
Dicitur, & socij iura dedisse thori. Silius libro 12.

Silius Italic. li. 12.
Ad genitorem Anio labens sine murmure Tibrin.
Hic vt signa ferox dimensaque castra locauit,
Et ripas tremefecit eques, perterrita pulsis
Ilia prima vadis sacro se coniugis antro
Condidit.

Veruntamen quia mox in Tiberim euehitur Anio, quidni huic nupsisse videri eodem modo possit, cùm fortasse in confluentem se abiecerit? Porphyrio narrat Ennium scripsisse iussu Amulij in Tiberim præcipitatam fuisse: quod si est, iustius vxorem & verisimilius etiam eam finxit Tiberis. Proteus autem phocas Neptuni pascit vt Enalus eius equos: sed & *columbas* cùm dicit, palumbes intelligit, quæ in arboribus sedent, non item villaticæ. Expiationem prodigiorum & portentorum optat mandari dijs Romano amicis populo, vt Apollini, qui Romanis Troianorum

Porphyr. in Horat.

Ouid. li. 1. Tristium eleg. 2.
progeniei fauet. nam vt ab Ouidio scriptum est,
Iuppiter in Troiam, pro Troia stabat Apollo:

&

& alioqui religiosissimè Romæ & augustissimè colebatur, additis ad religionem etiam magnificentissimis Apollinaribus ludis.

Nube candentes humeros amictus,

Horat. li. 1. od. 2.

dixit, vt Homerus in Iliade, νεφέλῃ εἰλύμενος ὦμοιϛ: & libro primo ὃϛ ῥ' ἠὲ νυϰ- Homer. Iliad. 5.
τὶ ἐοιϰὼϛ. quòd scilicet dij cùm veniunt, tamen à nemine videntur. Venus autem vt Æneæ mater, Romani generis erat parens, & *Æneadum genitrix* à Lucretio vocatur. Mars verò conditoris pater, atque ei etiam vindicata Cæsaris nece, templum cognomento Vltori condidit Augustus. Augusto postremò assentatur, quem scelus cædis Cæsarianæ dicit expiasse cæsis interfectoribus, Mercurium hominis specie celantem, & deum inter homines gerentem. Mercurium porrò etiam vltorem & expiatorem cupit, quia Troianis per Maiam cognatus erat. Quod autem ait,

Homerus Iliad. 1.

Lucret. lib. 1.

Hic ames dici pater atque princeps.

Horat. lib. 1. od. 2.

Ideo dicit, quia Augustus pater patriæ appellatus fuit, atque etiam ante hoc cognomen Senator erat, & nomine principis Rempublicam sub ditionẽ accepit suam. Tacitus, *Lepidi atque Antonij arma in Augustum cessere, qui cuncta discordijs ciuilibus fessa nomine principis sub imperium accepit.* Nomen autem istud sumpsit eorum imitatione, qui principes, vt reor, Senatus legebantur, aut quòd Senatores principes dicerentur.

Cornel. Tacit. lib. 1.

Arma Herculis ad postem fixa, soluere operam, coleata cuspis, mina ouis, naphtha, viuus lapis, viuum oleum, maltha, malthinus.

CAPVT IX.

APPARET ad gladiatorios ludos fuisse Herculis ædem aliquam, vel ædiculam, aut etiam ludos ei dicatos fuisse: aut cur scripsit Varro? *Ex his atque huiusmodi institutis & vita, vel ad Herculis athletæ facti erant:* &

Apud Non. in vel pro etiam.

Horat. lib. 1. epist. 1.
Veianius armis *Herculis ad postem fixis,*
ab Horatio dictũ est, pro relicto ludo gladiatorio. qui enim artẽ aliquam desinebant, eius instrumenta dijs suspendebant, sacrabantque: Maro,

Virg. Eclog. 7.
Hic arguta sacra pendebit fistula pinu.

Potissimum tamen artis præsidibus eum honorem habebant, vt è 6. epigrammaton lib. constat: sic & gladiatores, qui se virtutem Herculis æmulari censebant, cùm erant rude donati, arma Herculi sua dicabant, quod furtim fecit Veianius rude non donatus. Sed nos varia consectamur, similesque venatoribus diuersas feras agitãtibus vno in saltu, vno capite multa mouemus. Operari, in rebus sacris est frequentissimum: sic & soluere operam, est interdum sacra facere, & soluere rem diuinam, quæ debebatur: vt apud Afranium, *soluo operam Dianæ.* Liber erat M. Terẽtij Varronis

Apud Non. in Operari.

nomine Pseudulus Apollo, ex eo quod Apollo, vel Laomedonti, vel potius Admeto seruisset, à quibusdam tamẽ Pseudoapollo inscribitur. Pseudulus autem à falso mendacioque nomen habuit, eiusque inscriptionis iam meminimus, vt & comici Plauti Pseudulus seruus è mendacio totus falsoque concretus nomen inuenisse videtur. Coleata cuspis apud Nonium à Pomponio dici videtur pars illa, qua viri sunt, nec honestè potest nominari: *conspicio*, inquit, *coleatam cuspidem*. Mina ouis à Marco Varrone vocatur, quæ vẽtre non est lanato, sed glabro: sed origo nominis quæritur, quam à minus deduci puto, vt sit quæ minus habet lanæ: argumento est, quod apud Festum Ælius minam esse dicit vocitatam mamma altera lacte deficientem, velut minorem factam. quod igitur hic in mamma, illic dicitur in lana: eadem tamen vocis vtrobique potestate. *Naphtha*, inquit Plinius, *appellatur circa Babyloniam & in Austagenis Parthiæ profluens bituminis liquidi modo*: quod idem ferè è Dione Xiphilinus his verbis scribit, καὶ τὴν ἅφτα καὶ τῶν μηχανῶν χρωμένη δεινῶς ἐκάκωσαν· ἀσφαλτώδες δὲ τὸ φάρμακον τοῦτο καὶ διάπυρον ἔστιν, ὥστε ὅσοις ἂν προσμίξῃ, πάντως αὐτὰ καταφλέγειν. *Huic*, inquit Plinius, *magna cognatio ignium, transiliuntque protinus in eam undecunque visam. Ita ferunt à Medea pellicem crematam, postquam sacrificatura ad aras accesserat, corona igne rapta*. Hæc Plinij verba plurimum afferent lucis, ac veluti prælucebunt Horatio sic scribenti,

Apud Non. in Contui.
Var. de re rust. 2. cap. 2.
Fest. lib. 11.
Plin. lib. 2. cap. 105.
Dio in Pomp.
Plin. lib. 2. cap. 105.
Horat. Epod. od. 3.

Hoc delibutis vlta donis pellicem
Serpente fugit alite:

Etsi iocatur allio non naphtha imbutam fuisse coronam. appellare videntur Latini hoc genus bituminis liquidi, oleum viuum, Gratius,

Grat. de venat.

Vulcano condicta domus, quam subter eunti
Stagna sedent venis, oleoque madentia viuo.

Sic & Latini lapidem Græcis pyriten dictum vocant lapidem viuum, vt idem Gratius,

Grat. ibid.

Et viuum lapidem, & circa melitensia nectunt

Iul. Poll. lib. 8. Onom. cap. 4. Cic. 1. in Verr. Hesychius. Horat. lib. 1. sat. 2. Senec. lib. 20. epist. epist 115. Plin. li. 2. cap. 104.

Coralia. Maltha est Iulio Polluci cera qua tabella iudicum illinebatur, & interprete Festo, pix erat cum cera mixta: similis est quam in Verrem Cicero ceram legitimam vocat, qua tabellæ iudiciales incerabantur: Hesychio, cera mollis est. Est & maltha mollis, ex eo quòd mixtum è cera & pice molle erat: inde Horatianus Malthinus mollis est, & effœminatus. *Malthinus tunicis demissis ambulat*: qui Mæcenas videtur fuisse, si credimus Senecæ ita scribenti: *Non statim hæc cùm legeris hoc tibi occurret, hunc esse qui solutis tunicis in vrbe semper incesserit?* At Plinio Malthalimus est stagni in vrbe Comagenæ Samosata qui flagrans, cùm quid attigit solidi, adhæret, præterea tactus sequitur fugientes: sic defendêre muros

ros oppugnãte Lucullo, flagrabatque miles in armis suis: aquis etiam accenditur, terra tantum restingui docuêre experimenta. Hîc me quispiam non temerè dixerit, pharmacopolæ quandam tabernam instituere velle, qui tam multas species materię medicamentorum commemorauerim, & varietate quadam luserim: etiam quæ ad medicamentarios nihil pertinent, prẽterea inseruerim. sed illa nihil illusione offendar, factumq; agnoscam meum, meque etiam copię potius verborum explicandorum, quàm delectui consuluisse vltro profitebor.

Tali, Ianus, falces ahenæ, spumans in herbas luna, venefica spumans veneno. CAPVT X.

PLVRIBVS talis ludebatur olim quàm tesseris: quatuor enim ludebatur, vnde & Martialis scripsit,

Mart. lib. 14. epig. 15.

Non sum talorum numero par tessera.

In talis figura laterum pro numero erat, quod & ante obseruauimus: Pollux, τὸ δὲ σχῆμα τοῦ κύβου τὸ ἀφάγαλον πλώματος ἀριθμοῦ δόξαν εἶχεν. In tesseris erat numerus, vnde & numeros eburnos Ouidius tesseras appellat, vt secundo de arte Amandi,

Iul. Pollux lib. 9. onom. cap. 7.

Seu ludet numerosque manu iactabit eburnos,
Tu bene iactato, tu bene iacta dato.

Ouid. 2. de art. amand.

& libro tertio,

Et modò tres iactet numeros, modò cogitet aptè
Quam subeat partem callida, quamque vocet.

Ouid. lib. 3. de art. amand.

Atque, ne hoc quoque prætermittam, subire hic & vocare contraria sunt. Nam subit ille eam partem, quam si referat tessera vincitur: vocat quam partem quemque numerum optat reduci vt vincat. Itaque qui iactat tesseras, optionem dat collusori subeundi vel vocandi: qui non iacit, is è iactatis deligit quos subeat & quos vocet, quod quidem & ante attigimus, sed in tumultuaria opera qualis hæc est, fieri vix potest quin quædam repetantur bisque scribantur. sed hæc opera Babyloniorum acum imitetur, varieque pingat.

Qui puteal Ianumque timet celeresque calendas,

Ouid. 2. de rem. med. amor.

cùm Ouidius scribit, vtrum de Iani templo, an de Iano, id est de transitione quadam, quæ ad puteal Libonis esset intelligendum est? nihilo secius illud Horatianum,

—postquam omnis res mea Ianum
Ad medium fracta est.

Horat. lib. 2. sat. 3.

Nam & in fori Romani regione legimus fuisse Iani templum, & prope puteal Ianos duos celebrem mercatorum locum auctore Victore. Ego igitur de templo non crediderim accipiendum: eorum autem alter supe-

P. Victor de vrb. Rom. regionib. & locis.

perior dicebatur, alter inferior eodem Victore auctore, vnde & ab Horatio ſcriptum ſuſpicor —*hæc Ianus ſummus ad imum Perdocet*, quod eſt ſuperior ad inferiorem vſque: ac medium eorum ſpatium, Ianus medius dicitur, vt ſuſpicor, ab Horatio, & à Cicerone libro ſecundo Officiorum, *à quibuſdam viris optimis ad medium Ianum ſedentibus*. non deſunt qui ibi tres Ianos fuiſſe ſcribant. eſſe etiam Ianus cuipiam videretur in Ouidio pars portæ peruia, vt ſi duos in ea diſcrimine interpoſito poſtis medij, Ianos diceres. inquit enim 2. Faſtorum,

Carmentis portæ dextro eſt via proxima Iano:
Ire per hanc noli, quiſquis es, omen habet.

Et Liuius, *infœlici via è dextro Iano portæ Carmentalis profecti.* proinde quaſi vetus illa Carmẽtalis porta continuò duas haberet in proximo vias ſuis adiunctas Ianis: dextram quæ ſcelerata eſt appellata ob calamitatem trecentorum Fabiorum, & alteram ſiniſtram: ſed his in locis de templo Iani proximo Carmentali portæ verba accipienda ſunt, auctore Feſto, cuius hæc verba ſunt, *Religioni eſt quibuſdam porta Carmentali egredi, & in æde Iani, quæ eſt extra eam Senatum habere.*

Falcibus & meſſæ ad lunam quæruntur ahenis
Pubentes herbæ,

non eſt de nihilo à Marone dictum. Nam & vim æri medicatam ineſſe credebant, vt ahenis potius falcibus à venefica ſecarentur herbæ quàm ferreis: niſi poëticèæs pro ferro ponitur. Ouidius,

— et plantas partim radice reuellit:
Partim ſuccidit curuamine falcis ahenæ.

& ad lunæ lumen lectas herbas efficaciores veneficijs credebant, quòd lunam veneficijs præeſſe cenſerent, & herbas ſua quadam ſpuma & ſaliua inficere: Lucanus, *Donec ſuppoſitas propior deſpumet in herbas*, & Valerius Flaccus: *Quanuis Athracio lunam ſpumare veneno Sciret:* Eodem modo & de venefica ſcripſit,

Contra Tartareis Colchis ſpumare venenis.

Itaque in ea re vim maiorem lunæ plenæ etiam credebant: Ouidius,

— poſtquam pleniſſima fulſit,
Et ſolida terras ſpectauit imagine luna.

Apud Maronem quoq; ſacra inferis magica ſe facturã ſimulans Dido, eſt

Vnum exuta pedem vinclis in veſte recincta,

videlicet è ritu & conſuetudine nocturnorum ſacrorum & veneficiorum, vt & apud Ouidium,

Egreditur tectis veſtes induta recinctas,
Nuda pedem, nudos humeris infuſa capillos.

Apud

P. Vict. ibid.
Horat. lib. 1. epiſt. 1.
Cic. 2. de Offi.
Ouid. 2. Faſt.
Liuius. lib. 2. ab vrb. cond.
Feſt. Pöp. li. 16.
Virg. 4. æncid.
Ouid. 7. Met.
Lucan. lib. 6.
Valer. Flac. lib. 6. Argon.
Val. Flac lib. 8. Argon.
Ouid. 7. Met.
Virg. 4. æneid.
Ouid. 7. Met.

Apud Horatium tamen venefica ſuccincta eſt:

Vidi egomet nigra ſuccinctam vadere palla
Canidiam: ſine calceis tamen, & capillo paſſo:
—pedibus, inquit, *nudis paſſóque capillo.*

vt & apud Ouidium, *—paſſis Medea capillis.*

Quod autem addit Horatius, *—ſcalpere terram*
Vnguibus, & pullam diuellere mordicus agnam:

eò facit, quòd veneficæ ſolebãt in ſcrobe ſacra facere dijs inferis, vt apud Ouidium, *Haud procul egeſta ſcrobibus tellure duabus*
Sacra facit. quod quidem & ab Homero in Odyſſea cantatur. Quæ in hunc veluti faſciculum illigaui, ſi malè quis coniuncta putet, vinculum faſciculi enodet, & pro ſcopis diſſolutis habeat.

Horat. lib. 1. ſat. 8.
Ouid. lib. 7. Metam.
Horat. lib. 1. ſat. 8.
Ouid. lib. 7. Metam.
Homer. Odyſ. λ.

Dij patrij, conſiſtere, lymphatici nummi, de loco ſuperiore, munus
recipiendorum hoſpitum, bibere Græco more.

CAPVT XI.

OBSERVATIVNCVLAS quaſdam in legenda in Verrem oratione tertia, pluma & ramento leuiores in hac collocare charta non ſum grauatus. videor igitur obſeruaſſe vt apud Maronem dij patrij ſunt non patriæ vrbisq; cuſtodes, ſed patrum, familiæ & generis præſides: vt cùm ſcribit,

Dij patrij ſeruate domum, ſeruate nepotem.

Item apud Ciceronem patrios deos, eſſe eos, qui pietati præſunt patrum in liberos, & liberorum in parentes, cùm ſcribit, *rapiunt eum ad ſupplicium dij patrij, quòd iſte inuentus eſt, qui è complexu parentum abreptos filios ad necem duceret.* non conſiſtere eius mentem dicit, qui furore & vecordia percitus eſt: qui enim furioſi ſunt, iactantur & agitantur, neque vel corpore vel animo conquieſcere poſſunt. *Conſiſtere*, inquit, *eius animum ſine furore atque amentia non ſinunt*. Et in Antonium, *Nec verò te vnquam neque vigilantem, neque in ſomnijs credo mente poſſe conſiſtere*. hinc & iocus ille Plautinus in Pœnulo,

A G. *Sunt mihi intus neſcio quot nummi aurei lymphatici.*
M. *Deferto ad me, faxo actutum conſiſtent lymphaticum.*

ſignificat ſe nummos habere, qui exire geſtiant, nec conſiſtere queant, ſed lymphatici ſint atque furioſi: ſeruus pollicetur medicinam, ſeque effecturum, vt ſi ad ſe deferantur lymphatici nummi, conſiſtant, quietíque reddantur ſanato furore & lymphatico morbo. Caput eſt ſumma: *quod*, inquit, *aliquot nominibus de capite, quantum commodum fuerit, frumenti decumani detraxerit*. locus ſuperior, roſtra: *cùm agam beneficio populo Romano de*

Virg. 2. æneid.
Cic. act. 3. in Verrem.
Cic. ibid.
Cic. Philip. 1.
Plaut. Pœnul. ſc. Negotij ſibi qui volet.
Cic. 3. in Ver.
Cic. ibid.

loco ſuperiore. Homo ſui iuris, qui alteri non paret, nec morem gerit, nec ſeruit, nec in alterius poteſtate eſt, ſed ſuus eſt, & ſententiã ſequitur ſuam, non alienam, nec precibus flecti poteſt. *quòd*, inquit, *eos in iudicãdo nimium ſui iuris ſententiæque cognoſceret.* Brutus in epiſtola ad Ciceronem de libertate Reipublicæ dixit, *an vt eſſet ſui iuris & mancipij Reſpublica?* Eſt enim ſui iuris, quod alterius non eſt ſubiectum manui & poteſtati vllo iure: eſt ſui mancipij, quod non eſt alieni mancipij & dominij. Expugnare eſt pugnando & contendendo obtinere & impetrare: vt, *quibus allegationibus illam ſibi legationem expugnauit*: ſic efflagitare flagitando impetrare: *cùm*, inquit, *iſte à Dolabella efflagitaſſet.* erat in oppidis Græciæ munus quoddam recipiendorum hoſpitio ſenatorum, legatorum, magiſtratuum, quod πρόξενία dicebatur: quique eos recipiebãt, qui hoſpitio publico cum ciuitate erãt coniuncti, πρόξενοι dicebãtur: hoc munus ſignificat Cicero cùm ſcribit, *oſtẽdit munus illud ſuum non eſſe: ſe, cùm ſuæ partes eſſent hoſpitum recipiendorũ, tum ipſos tamen prætores & conſules, non legatorũ aſſeclas recipere ſolere. Fit*, inquit, *ſermo inter eos & inuitatio vt Græco more biberetur: hoſpes hortatur: poſcunt maioribus poculis.* dictũ Anacharſidis magnã afferet huic Ciceronis loco lucem. Is enim reprehendebat (vt à Laërtio relatũ eſt) Græcos, quòd cùm initio minoribus poculis biberent, poſtea iam ſaturi & vuidi ſe maioribus prouocarent: verba ſunt eius, χαμάζε φησὶ πῶς ἕλληνες ἀρχόμενοι μὲν ἐν μικροῖς πίνουσι. πληθόντες δὲ ἐν μεγάλοις. hæc ego telis araneorum per aërem volitantibus leuiora, & pappis carduorum, tamen iſta ſubitaria & tumultuaria ſcriptura non putaui indigna, ſupercilium hominũ ſeueriorum, & nihil niſi graue poſtulantium facilè contempſimus ſemper, & porrò contemnemus.

Cic. 3. in Ver. Brut. ad Cic. epiſt. 15.
Cic. 3. in Ver.
Cic. ibid.
Cic. ibid.
Diog. Laërt. in Acharſide Scytha.

Depalationes dierum apud Vitruuium, & quædam in eo emendata. CAPVT XII.

LIBRO Vitruuij nono dierum breuitates & depalationes reperimus: & prioris quidem vocis ceu magiſterio, poſteriore incrementa dierum ſignificari magis ſuſpicamur, quàm certò ſcimus, cùm cur depalatio, dierum accretio dicatur, diſpicere non poſſimus. Ego ex horologiorum ratione vocem eſſe iſtam vſurpatam puto. Nam cùm eis cuneos modò adijcerent modò detraherent, diminutionique dierum conueniret adiectio cuneorum, incremento detractio, depalationem ceu cuneorum remotionem, amplificationem dierum ſignificare exiſtimo. Vitruuius, *Quarum breuitates aut creſcentias cuneorum adiectus aut exemptus in ſingulis diebus & menſibus perficere cogit.* Iterum, *Sin autem cuneorum adiectionibus & detractionibus correptiones dierum aut creſcentiæ non probabuntur.* Eodem in libro, cùm

Vitru. lib. 9. cap. 8.
Vitru. lib. 9. cap. 9.
Vitru. ibid.

cùm formæ horologiorum ab antiquis inuentæ commemorantur, quædam efferuntur ijs verbis, vt intelligi nullo modo poſſint: vt cùm ſcribitur, *vti gonarchen, engonaton, antiboræum*, quis has voces vlla in Grammaticorum aut Aſtrologorum ſchola vnquam audiuit? quis denique Græcus Græcas agnoſcit? & ſi neſcio quid Græcanicum balbutiunt, & ſtrepunt. Equidem non ſpero me ita fœliciter diuinaturum, vt quod ſcripſerit Vitruuius, me velut ab Apollinis cortina monitũ profari poſſe iactem: tamẽ quod hariolabor nihilo iſtis vocabulis deterius erit: & de eorum ineptijs, & nugis fortaſſe commẽdationem adipiſcetur & triumphabit. Quid igitur ſi dicam Vitruuium ſcripſiſſe? vt εἰκόνα γῆς, εἰκόνα τῆ ἀντιβορείᾳ, vel εἰκόνα τῶν ἀντιβορείων. has quidem voces quis non vendibiliores fallacibus illis mercibus putet? nec tamen ab earum ſono & veſtigijs longè recedunt: neque iſtæ appellationes parum quadrare horologijs videntur. Sed hîc fortaſſe vatem ſuum fefellit augurium, alterũ locum corruptiſſimum parum abeſt quin glorier à me verè reſtitutum. Nam cùm ita ſcribit, *Item aquarum expreſſiones αὐτομάτους, porrecti rotundationiſque machinas*, quis eſt ita cæcus, quin videat hic porrecti rotundationisque alieno loco mentionem inductam? Certè in antiquiſſimis editionibus hæ voces nuſquam cõparent, ſed in eis ita editum eſt, *automato pictáſque machinas*, è quibus integrãda vna vox eſt αὐτοματοποιητὰς, ſenſuſq; perbellè ſeſe habebit, & cõueniet his de quibus diſputatio inſtituitur. ſcribit non longè hinc Vitruuius, *Influens aqua ſubleuat ſcaphum inuerſum*: ad quem locum Budæi manu in editione antiquiſſima (cuius mihi copiam vir & humaniſſimus & doctiſſimus Memmius fecit) cùm emendatum inuenerim ſcaphium, tanti hominis iudicio, cui parem noſtra ſæcula nec tulerunt nec ferent, non dubitabo pronunciare ſcaphium ſcribendum eſſe videri.

Vitru. ibid.
Vitru. ibid.

Spiritus redundantia, ſabulo maſculus, liqueſcere, Vitruuius & Plinius emendati. CAPVT XIII.

APVD Vitruuium libro octauo ſpiritus redundantia eſſe videtur aëris quædam reciprocatio, impetus & vnda, *Nanque*, inquit, *corpora ſine ſpiritus redundantia non poſſunt habere vitam, niſi aër influens cum incremento fecerit auctus & remiſſiones continenter.* hoc ita explicãdum vt dixi puto, & vt ſcripſi excudendum. Nam hunc quidem ne apertè intelligi poſſit, velut quodam ſæpiæ atramento oblinentes obſcurantesque *ſine ſpiritu redundantia* excudunt. in eodem libro ſabulo maſculus eſt, ſabulo non tam tenuis ſolutusque: ſed paulò craſſior concretiorque: eum enim ſoluto opponit, veluti interpretatione ſua ſcripta declarans. ſed verba eius ſubijcere operæpretium

Vitru. in præf. lib. 8.

Vitru.li.8. c.1. ræpretium fuerit. neſcio quomodo enim teſtatiora videntur omnia, quæ cana illa antiquorum fide probata ſunt. *Item*, inquit, *ſabulone ſoluto tenuis.*
Vitru.ibid. non longè hinc ſubijcit, *Item ſabulone maſculo arenáque & carbunculo certiores*: ecce diſertè ſabuloni ſoluto maſculum oppoſuit. idem liqueſcere eleganter, pro colari & dilabi dixit, quòd quæ liquida ſunt, ſic diffluere
Vitru.ibid. ſolent. ita enim loquitur de aquis, *Rubro ſaxo & copioſæ & bonæ, ſi non per interuænia dilabantur & liqueſcant*: Id eſt modo per interuænia non diffluant tranſcolenturque ac diſperdantur. Scribit Vitruuius eodem libro, ſed vt excuditur, verè atro & nigro atramento: nec enim commodè in-
Vitru.li.8.c.3. telligi poteſt duntaxat, ſi verba ſequaris. Scribit igitur, *ruunt in ſummo ſpiritus aquæ bullitus*. Ego inuitis omnibus libris aquæ bullitu legam, putoque ſibilum aduerbij *ſimul* continuò excipientis adhæſiſſe tergo prioris vocis cum ſententiæ diſpendio. ſcio iſtud quibuſdam friuolum viſum iri, neque ſcriptione dignum: ſed vſque adhuc tamen exibilari illud non potuit, & omnibus negotium exhibuit: & ipſe mihi quoque conſcius ſum friuola me quidem paruaque conſectari, quæ tamen fortaſſe aliquem iuuabũt, vt ſcribere non pigeat. æquè illud moleſtum eſt & odioſum, *in quo*
Vitru.ibid. *natat inſuper oleum odore vti ſcobe citreo*: legendum vti ſcobs citrea. etiam Plinius deprauauit Vitruuium, ſi deprauaſſe videri poteſt, qui antè ipſe per ſummam iniuriam corruptus ab indoctis fuit. Nam in Plinio ita ſcri-
Plin.li.31.c.2. bitur, *Necare aquas Theopompus & in Thracia apud Cychros dicit*: at apud Sotionem aliter populus ille nominatur, & vt opinor melius, in referen-
Sotion. da Theopompi ſententia, cuius verba ſubſignabo, Θεόπομπος ἱστορεῖ κλώνην ἐν ἀχερωΐᾳ τῇ θρᾴκης, ἐξ ἧς τοὺς λθσταιθήρας πνεῦμα μεταλλάσσειν: & apud Vitruuium in antiquis editionibus nomen integrum conſeruatum erat hoc modo, *Chrobſi Thraciæ lacus, ex quo non ſolùm qui biberint moriũtur, ſed etiam*
Vitru.li.8.c.3. *qui lauerint*: vbi animaduertendum eſt aduerbium è gentis nomine à Vitruuio graiorum more Chrobſi elatum eſſe. Sed vti dixi Plinij iniuria Vitruuio calamitoſa fuit: nunc Sotion erit ambobus ſalutaris, & vtrique, quod ademptum eſt, reddet, iniuriamque illorum ſarciet.

Autumnus, vites fundi, ſereſcere, glacies æris, omnimodis, decepta non capiatur, flammæ flos. CAPVT XIIII.

Qvæ rerum eſſe vocabula plerunque credimus, ea rerum imagines ſignificant nobisque illudunt falſa quadam ſpecie & ludibrio: vt apud
Lucret.li.1. Lucretium, *Vites Autumno fundi ſudante videmus.*
vbi partem anni accipimus, cùm Autumni ſimulachrum pictum ſignificari credam. Autumni tamen tempus per inuerſionem intelligi cenſeam: nam

nam Autumnus ita pingebatur, vt aut è vitibus vinum colligeret, aut vuas calcaret, vel ab earum calcatione ſordidus eſſet: Ouidius,

Stabat & Autumnus calcatis ſordidus vuis: Ouid.2.Met.

pingebatur & pomis capite redimito, Flaccus,

Vel cùm decorum mitibus pomis caput
Autumnus aruis extulit. Horat.Epod. od.2.

Fundi autem vites dicuntur, quæ vinum fundunt, vt arbuſtum dicitur fluere, quod vinum profundit. Cæterùm ab eo poëta hoc verſu,

Denique fluctifrago ſuſpenſæ in littore veſtes, Lucret.li.1.

Fluctifragum littus dicitur, propterea quòd littora fluctum ſibi illiſum frangunt, vt apud Horatium,

Quæ nunc pumicibus oppoſitis debilitat mare, Horat.li.1. od. 11.

ἀκτὴ quoque Græcis à frangendo dicitur littus. At mox,

Diſpanſæ in ſole ſereſcunt: Lucret.lib.1.

per ſyllabæ detractionem curtatum, valet ſereneſcunt & ſiccantur. ſignificare & hoc verbum poteſt, in ſerum abire mutarique, quę tenuiſſima pars lactis eſt: vt ſi lac ſereſcere diceres, qua notione accipi in veſte non poteſt: niſi ſi quis vt caſeus exeunte ſero ſiccatur, ſic exeunte humore ſiccari veſtem diceret: quam tranſlationem vix probauerim. probabile eſt à ſero priore correpta ſerenum deductum, à quo & ſereſco: ſed & ſerum caſei eſt eius ſiccatio, & tanquam ſerenum cùm exit foras.

Tum glacies, inquit, *æris flamma deuicta liqueſcit,* Lucret.ibid.

Hic glaciem æris dixit audacia in loquendo penè temeraria, pro ſoliditate, rigore & duritie, quòd talis glacies ſit, vel potius Græcos imitatus eſt, quibus πάγος, id eſt glacies, etiam ſaxum ſignificat ſolidum & durum, ſed & frigus. Cùm autem ait, *Ignis enim foret omnimodis,* Lucret.ibid.
Intelligit quacunque ratione, ſitu, poſitu, collocatione, raritate, denſitate, adiectione, detractione, rem mutaret in procreando, ſemper ignem fore, nec rem aliam: eſtque omnimodis antiquum aduerbium, vt & multimodis. Illud autem, *Carmina quinetiam diuini pectoris eius*
Vociferantur, & exponunt diuina reperta. Lucret.ibid.
ob grandiloquum Empedoclis poëma à Lucretio dicitur, quod vocale propè animatumque erat, nec humili ſono deductoque verſu ſtrepebat, ſed contenta altaque voce profabatur vociferabaturq;. Quod autem ait,

—deceptáque non capiatur, tractum eſſe videtur à feris, auibus, piſcibus. Lucret.ibid.
nam fouea, pedica, naſſa, area, eſca decipiuntur atque capiuntur, in damnumque & incommodum incidunt: non tamen pueri, qui epoto amaro abſinthij poculo conualeſcunt. Donatus paulò aliter accipit, & capere decipere interpretatur. ſic enim in Eunuchum ſcribit, *Quia eſt & bonus* Donat.in Eun. Terent.act.3. Sc.3.
dolus,

dolus, quo à medentibus falli ægros, non tamen decipi Lucretius poëta testatur. Illud verò translatione pulcherrima exornatum est,

Lucret. li. 1. *Donec flammai fulserunt flore coorto:*

Quod est, donec arbores ramos inter se terendo, tandem expresso igne coruſca flamma micare fulgereque cœperunt. flos autem flammæ elegantissimè dicitur, nec multò secus videri potest dixisse Æschylus, τὸ σὸν γὰρ ἄν θος παντέχνῳ πυρὸς σέλας.

Aeschyl. Prōp. vincto.

Arbor asita, dignitas, prætereà. CAPVT XV.

NOs ex nostra insciti a alios fingimus & existimamus, improbè fortasse: sed profectò ea nobis causa est scribendi tralatitia multa: quæ quòd diu ignorauimus, alijs etiam multis ignota credimus: velut est illud quod apud Flaccum hic exponimus, quod, vt dici solet, in ore est omni populo.

Horat. lib. 2. epist. 2. *Sed vocat vsque suum, qua populus asita certis*
Limitibus vicina refugit iurgia:

Diu putauimus adsitam populum esse, in limite & confinio plātatam iuxta vicini possessiones: cuius sententiæ non me pœnitet aut piget: quia tamen plus scriptoribus antiquis fidei habeo quàm mihi, sententiæ incipio diffidere meæ, ac labasco paululum. Nam adsitam interpretatur Agretius maritam, iuxta vitem satam. eius verba proferam, *Insita*, inquit, *est arbor, cui insciſſæ alienum germen includitur, asita cui incolumi aliquid quod sustineat adiungitur*: locumque Horatianum quem protuli nominat,

Agretius. —*Qua populus asita certis:*

Agretius. *quippe*, inquit, *quæ vitibus maritatur.* Huius Grammatici sententiam perscribere volui, & facilè sum passus me ignorasse videri, quod ille, cui plus videre in literis datum est, perspexit: non tamen omnino quod credideram insulsum insciumq; est. legi & qui præpositionis rationem non haberet, & assitam pro sata intelligeret. Apertius autem multò Catullus scripsit,

Catul in Epithalamio Iul. & Manl. *Lenta qui velut asitas*
Vitis implicat arbores.

In eodem Grammatico locupletiorem auctioremque vna voce scripturam reperio quàm in voluminibus Ciceronis Cęlianæ orationis: sic enim

Cic pro Cælio apud Agret. scribit: *pulchritudo formæ in viris dignitas, vnde Cicero pro Cælio, quis non posſit huic ætati atque huic dignitati petulanter, etsi sine suspicione, at non sine argumento maledicere?* nomen dignitatis indignis modis ex omnibus expulsum libris nusquam comparet, credo quòd non satis huic loco conuenire videretur, cùm dignitas hominibus deterioris seculi in hac notione

Sallust. in Cat. apud Agret. ignoraretur. Idem apud Salustium in Catilina præterea exponit pro præterito

terito tēpore & anteacto, non cōsueta sanè significatione: sic enim scribit, *præterea præteriti temporis, Sallustius, nunquam Hispanos præterea tale facinus facere ausos.*

Sallust. in Catil. apud Agret.

Tempestiuum conuiuium, & intempestiuum. CAPVT XVI.

CONVIVIVM sæpe tempestiuum dici in antiquis scriptoribus legimus, vt Cicerone in Verrem: *Statuitur Lollius in illo tempestiuo gladiatorum conuiuio*: & de Senectute, *ego propter sermonis delectationem conuiuijs tempestiuis delector*. Apuleius, *Nuptiæne illæ fuerunt, an aliud celebratum officium, an conuiuium tempestiuum?* Sed & intēpestiuū cōuiuium dicitur ei contrarium. Cicero pro Murena, *neque in conuiuio moderato atque honesto: intempestiui cōuiuij, amœni loci, multarum deliciarum comes est extrema saltatio.* Ego tempestiuum conuiuium puto esse, quod non fit de die (Nam id turpe & nequam & intempestiuum habebatur, de die conuiuia agitare) neque in multam noctem producitur: sed quod tempori fit. Nam à Varrone apud Gellium conuiuium cōstare ex rebus quatuor dicitur, quod omnibus suis sit absolutum numeris, si belli homunculi collecti sunt, si lectus locus, si tempus lectum, si apparatus non neglectus. Ad tēpestiuum quoque conuiuium fortasse pertinuerit diebus potius certis, quàm alijs conuiuas vocare, vt diebus potius festis quàm profestis, & quibusdam profestis potius quàm alijs, vt nefastis. Cùm autem Cato in libro de Senectute ait se delectari cōuiuijs tempestiuis, non in eo plus latere significationis quàm explicaui è Plutarcho ostendam, qui de eodem homine & de eadem re ita scribit: ὧν δὲ καὶ τὸ δεῖπνον ἐν τῷ ἀγρῷ δαψιλέστερον. ἐκάλει γὰρ τῶν ἀρχαιοτέρων καὶ φιλοχώρων τὰς ζωηθείσας, καὶ σωδιῆγεν ἱλαρῶς ἐν τοῖς καθ' ἡλικίαν μόνοις ἡδὺς ὢν συγγενέσθαι καὶ πολείνοις, ἀλλὰ καὶ τοῖς νέοις.

Cic. de Senect. Apul. 1. Apol. Cic. pro Mur. Gell. li. 13. c. 11. Cic. de Senect. Plutarchus.

Vitrum herba, luridus color, lucumo samius, Eubœæ cœla. CAPVT XVII.

CAESAR commentariorum libro quinto, *Omnes verò se Britanni vltro inficiunt*: hodie glasto excusum est. sed veterem scripturam repræsentaui. Pomponius Mella de ijsdem Britānis, *incertum ob decorem, an ob quid aliud, vltro corpora infecti.* his in locis ab hominibus doctissimis emendari video, *luteo*, quibus cur non assentiantur nonnulli, hæ sunt causæ: luteam vocat auroram Maro, non vt ceruleam, sed croceam: & in Bucolicis

Caes. comment. lib. 5. de bell. Gall. Pomp. Mellæ lib. 3. cap. 6.

—*croceo mutabit vellera luto*

Virg. eclog. 4. dicit, non vt ceruleo: sed illi hoc peccare alijs videntur, quòd cùm huius

herbæ ſucco inficiatur ceruleus & viridis color, tamen flores melini ſint & crocei. hi autem vitrum eam herbam appellari ſuſpicantur, & de veſtigijs antiquæ ſcripturæ, & quòd Oribaſius helxinem herbam à Romanis vitraginem vocari dicat, quaſi vitrum etiam herba quædam ſit, non tantum quæ in conſuetudine conflatione efficitur materia pellucidi nitoris. Quod ad me attinet, equidem cenſeo vitrum ſcriptum fuiſſe à Mella, Cæſare, Vitruuio, quod vltrum in eis reperitur, eoque magis permoueor Vitruuij ſcriptis, quod in antiquis eius editionibus ſic reperio: *Item propter inopiam coloris indici, cretam Selinuſiam, aut anulariam vitro, quod Græci iſalin appellant, inficientes, imitationem faciunt coloris indici*. Iſatin autem ſcribendum in Vitruuio eſt, quod qui ignorauêre, ὕαλον fecerunt magno flagitio. Accedit auctoritas Oribaſij ſic ſcribentis, *iſatis, quam infectores herbam vitrum vocant*: ſed & iſatin Plinius glaſtum appellari dicit, quod vitrũ Germanorum lingua ſignificat. Cùm autem Vitruuius ſcribit, *herba, quæ lutum appellatur*, herbam aliam intelligit, quæ luteo croceoque colore inficit, mihi non notam, vt & violæ ſunt luteæ & calthæ. Nec officit, quod ea ſit infectiua Chryſocolla, quæ eſt coloris viridiſſimi: lutcum enim ceruleo mixtum, temperatione viriditatem gignit. Vitruuius, *herba quæ lutum appellatur, ceruleum inficiunt*. Plinius, *luteam putant à luto herba dictam, quam ipſam ceruleo ſubiritam pro chryſocolla inducunt*. Sed noſtro more ad alia hoſpitia diuerſabimur. Luridum colorem exiſtimauerim eſſe appellatũ à ſimilitudine coloris lurę, id eſt vtris coriacei, atq; adeò à ſimilitudine corij.

Oribaſius lib. de virtut. ſimplic.
Pompon. Mell. lib. 3.
Cæſar lib. 5. de bell Gall.
Vitru. lib. 7. cap. 14.
Oribaſ. lib. de virtut. ſimpl.
Plin. lib. 20. c. 7.
Vitru. lib. 7. cap. 14.
Vitru. ibid.
Plin. lib. 33. c. 5.

Alternis dicetis, amant alterna Camænæ:

Virg. eclog. 3.

ex eo à Marone dictum arbitror, quòd Homerus libro primo Iliados, muſas apud Iouem in Olympo finxerit amœbęo quodam carmine alternis cantare, reſpondentes Apollini his verbis: μουσάων θ' αἱ ἄειδον ἀμειβόμεναι ὀπὶ καλῇ: quod & ijſdem verbis in Apollinis hymno ſcribitur: perſtudiosè enim imitabatur veterũ poëtarum ſententias. Nam quod Heſiodus etiam dixit, Ἀρχόμεναι θ' ὑμνεῦσι θεαὶ, λήγουσί τ' ἀοιδῆς, nónne id eſt, quo ſuas exorſus eſt epiſtolas Horatius?

Homer. Iliad. 1.
Homer. Iliad. 1.
Hom. in hym. Apoll.
Heſiodus in Theogon.
Horat. lib. 1. epiſt. 1.

Prima dicte mihi, ſumma dicende Camæna.

Quod enim in Iouis honorem poëta Græcus facere muſas prædicat, illud idem ſe Mæcenati facturũ dicit Horatius. In Auſonio, Lucumonem quo ſenſu accipi debere ſuſpiceremur diximus: ſed quis ille eſt Samius Lucumo? cùm ſcribit, *Samij Lucumonis acumen*, quo ſignificat hominẽ Samium hebetem parumque ingenioſum & parum acutum. ac videtur Pythagoras intelligi, quem Samium conſtat fuiſſe: ſed is elleboro ſe purgaſſe non legitur, quod quidem ſciam, Quid igitur ſi legamus *Aſij Lucumonis acumen*, vt Cleanthes intelligatur: quem tamen ne id quidem feciſſe legimus: probabilius

Auſon. epiſt. 21.

probabilius eſt id ab Auſonio de Pythagora ſcriptum, quod de Carneade in literas miſſum accepimus, qui aduerſus Zenonem diſputaturus, eiusq; ſcripta refutaturus, ſe elleboro antè purgauerit. In Valerio ſcribitur, *Caryſtumque Chalcidico freto vicinam interiacens, cellæ Eubœæ nomen obtinet*: Iterum, *Eubœæ cellam obtinebis*, ſcribendum vtrobique è Strabone, *Eubœæ* χοῖλα: ita enim ea pars vocabatur: hoc caput è multis velut panniculis vtcunque conſarcinatum eſt.

Valer. Max. lib. 1. cap. 8.
Valer. ibid.
Strabo. lib. 10. Geogr.

Dominatio, accuſator de via citur, tolleno, pilum Græcum, iuſiurandum Iouis, aptus pinnis. CAPVT XVIII.

DOMINATIONEM dici obſeruaui, cùm filius familias ius patriæ poteſtatis exit, ſuique dominij & iuris, paterque familias efficitur. Id quia rarum eſt, idoneum cenſui, quod his coniectaneis inſererem. Feſtus, *Regalia exta appellantur, quæ potentibus inſperatum honorem pollicentur: priuatis & humilioribus hæreditates: filio familiæ dominationem*. cùm diſſiſſet Feſtus actorem & reum rei nomine cenſeri: etiam eo nomine accuſatorem intelligi ſubiecit hoc modo, *Itemque accuſator de via citur more vetere & conſuetudine antiqua*, quod, vt opinor, valet accuſatorem reum citari de via, & rei nomine contineri. ſcio de vi accitur in Pompeio hodieque legi, ſed malè coniuncta ius eſt diſtrahere. *Riuus*, idem inquit, *vulgò appellatur tenuis fluor aquæ non ſpe conſilioue factus*. hic quidem ære conſilioue emendant, ego legendum crediderim non ſpecu incilioue. in faba refriua legendum auguror, *vt domum datantes reuertito ad rem diuinam faciendam*: vel potius, *te vindico ad rem diuinam faciendam*: imò verò improbatis his ſomnijs legendum reor, *è tritico ad rem diuinam*. Virgo tempeſtiua ab eodem dicitur, quæ matura viro eſt & nubilis & formoſa, velut ὡραία: *auctoritate*, inquit, *virginis cuiuſdam tempeſtiuæ nomine Romes*. Reciperationem eſſe dicit cùm inter populos lex conuenit, quomodo res repetantur recuperanturque: σύμβολα ſi credimus Suidæ appellat Demoſthenes 7. Philip. quæ pacta conuenta ſunt ciuitatum inter ſe, quibus iura ciuibus vltro citroque redduntur. In Aſtraba Plauti crediderim legendum, quaſi tollenonem aut pilum Græcũ reciproces plana via. tolleno κηλώνειον eſt, quod ſurſum deorſum, hinc inde tollitur more oſcilli, & alternis hinc & inde ſuſpicit & deſpicit. Baſilius de eo qui non ducebat rectos ſcripturę ſulcos, ὀκλεῖν ἀναγεύειν ἢ καταγεύειν, ὥσπερ τὰ κηλώνεια, τὸς ὀφθαλμὸς τῶν ἀναγινώσκόντων. Pilum quoque Græcum in pinſendo tritico, vna deprimitur parte, altera attollitur more celonij: de eo loquitur Heſiodus ὅλμων μὲν τριπόδων τάμνειν, ὕσσον δὲ τρίπηχυ. Taurus in pudẽdis pars eſt quædam, vnde & Laſtauri dicti.

Feſt. lib. 16.
Feſt. ibid.
Feſt. ibid.
Feſt. ibid.
Feſt. ibid.
Suidas.
Demoſt. 7. Phil.
Feſt. lib. 16.
Baſilius.
Heſiod. lib. 2. oper. & dier.

dicti: solitaurilia ab hac parte non desunt, qui appellata cẽseant: quod innuit Festus cùm scribit, *atque harum hostiarum omnium sunt inuiolati tauri.* Ancum Martium regem magni feciſſe veteres videntur, & dignum immortalitate credidiſſe. Horatius,

Festus lib. 17.

Numa quo deuenit & Ancus.

Horat. lib. 1. epist. 6.

Lucretius libro tertio,

Lumina sis oculis etiam bonus Ancus reliquit.

Lucret. lib. 3.

Ennius

Postquam lumina sis oculis bonus Ancus reliquit.

Ennius apud Fest. lib. 17.

Ex Næuio affertur, *Ius sacratum Iouis iurandum sagmine*: quod intelligo iusiurandum Iouis sacratum & sanctum confirmatumque sagmine & verbenis. Nam illa cerimonia verbenarum sanctius reddebatur iusiurandum, quod Iouis erat, vt apud Ciceronem,

Næuius apud Fest. lib. 17.

O fides alma, apta pinnis, & iusiurandum Iouis!

Cic. 3. de offic.

vbi non prætermittam exponere dici fidem aptam pinnis, quæ pennata est & pennigera. Nam & Apuleius, verba quæ Homerus solemni & propè perpetua adiectione πτερόεντα appellat, pinnis apta dixit: *Si verba*, inquit, *vt poëtæ aiunt, pinnis apta vulgò volarent. Hostium oculissimum* apud Plautum est hostium quod oculus maximè est, id est, quod est chariſſimum, vt oculus: in quo obseruandum superlationem à substantiuo formatam, vt ab ipse ipsissimus. Hoc capite multis è locis aliquid degustauimus, sic nauseæ & fastidio occurrentes nostro: vtinam idem apud Lectorem hæc varietas scitamentorum & epularum efficiat: quanquam id potius optare possim, quàm sperare ausim.

Apul. 2. Apol.

Plaut. apud Fest. lib. 13.

Panotij populi, Plinius & Mella emendati.
CAPVT XIX.

SVNT in Pomponio Mella populi immani auricularum patularum prolixitate totum corpus tegentes, nomine Satmali, de quibus, vt suspicor, prodigiosa illa fabula ficta est, quia toto corpore pelliti & bracchati erant, vt cùm hinc inde penderent pellium prægrandes alæ, aures viderentur. Pomponij verba adscribam, *Et Satmalos, quibus magnæ aures, & ad ambiendum corpus omne patulæ, nudis alioqui pro veste sunt.* In veteri libro Sannalos lego. eadem in Plinio fabula est, sed alio populi nomine. *Fanesiorum*, inquit, *aliæ in quibus nuda alioqui corpora prægrandes ipsorum aures tota contegant.* ego suspicor hoc mendacium à Græca vanitate ortum, Græco etiam vocabulo signatum fuisse: nec Fanesios, sed Panotios scribendum esse, vt totos auritos. Natus hinc videtur literaturæ error, quòd veteres Latini p tenuem in aspiratam sæpe mutabant. Ita è Panotijs, Phanotij, & denique Fanesij tandem corrupti sunt. Sed ne commentum me quis ista putet,

Pomp. Mella lib. 3.

Plin. lib. 4. cap. 13.

putet, adscribam auctoritatem Isidori, *Panotij*, inquit, *apud Scythiam esse feruntur, tam diffusa auriũ magnitudine, vt eis omne corpus contegant. Pan enim Græco sermone, omne: otia, aures dicuntur.* Panotios igitur in Pomponio & Plinio legendum esse arbitror. Suspicatus aliquando sum hos populos à Tacito *Fennos* vocari: sed propensior sum, vt credam Helluſios esse, de quibus ita scribit: *Cætera iam fabulosa, Helluſios & Oxionas ora hominum vultusque, & corpora atque artus ferarum gerere.* Pomponius enim & Plinius cum Oobijs Fanesios vel Satmalos coniungunt: vt proinde in Tacito scribendum etiam putem Panotios, vel Hollotios & Oobios. si quis Oonas probat, emptores ouorũ intelligat. Æquè illud eodem in tertio Pomponij, in libri calce, falsum arbitror & deprauatum: *hinc iam lætiores agri amœnique saltus. Terotæ & Berini ebore abundant.* Legendum suspicor, *terebintho arbore abundant*, ex vestigijs veteris scripturæ, *Terotheberinio.* Non minus & illud corrigendum crediderim, *an exhausta fructu sine fine Africa se extenderet.* non enim illud exhausta fructu satis aut conuenit, aut intelligitur: melius omnino & commodius ad sensum, *an inexhausto tractu*: præsertim cùm in vetustis exemplaribus *an inexhausta fractu*, legamus. *Sunt*, inquit, *miræ aues cornutæ tragopomones, equinis auribus & Pegasi.* Rectè Hermolaus suspicatur vel in Plinio, vel in Pomponio esse vitium: nam Plinius tragopanadem vocat, quam veriorem scripturam suspicor: cùm enim Pan deus cornutus sit, vt antiquitas credidit, ab eo aui cornutæ nomen tributum existimare non stultæ coniecturæ fuerit: Ita tamen vt in Plinio tragopana, non tragopanadem legamus, hoc modo: *equidem & tragopana, de qua plures affirmant maiorem aquila. Apud hos plus auri quàm Persis est*, scribit eodem loco Pomponius: vbi legendum quàm æris est. Et, *ripæ potius sunt quàm littora*, vbi lego, *rupes potius sunt quàm littora*. nihilo secius mox lego, *verum & hanno*: &, *sed commeatu defecisse retulerat*. Sed quid ago? qui Augiæ stabulum purgare velim. Plures enim & fœdiores sunt in Pomponio mendæ, quàm vt in transitu possint corrigi, & iustam operam, non hanc perfunctoriam desiderant. quod si otium nobis suppeditarit aliquando, fortasse alia in eo maiora vlcera curabimus: quanquam ne interim quidem forsitan omittemus his libris quædam eius vulnera fascia quadam obligare.

Isidorus lib. 11. Etym. cap. 3.

Tacit. de mõrib. German.

Tacit. ibid.

Pomp. Mella lib. 3.

Plin. lib. 10. cap. 49.

Pomp. Mela lib. 3. de Aethiopia.

Pes aquæ, pes, cortina, cœli palatum, quæ homines arant, nauigant, ædificant. CAPVT XX.

SOLENT poëtæ humori fluẽti pedem tribuere. id ex eo credo, quòd etiam currere aqua dicatur, quod sine pedum officio fieri non posse videtur: ac certæ ius suum poëtæ tenent, vt translationibus vtantur audacius:

Horat. Epod. od. 16. Lucret. lib 5. Virg. in Aetna. Itaque scripsit Horatius, *Leuis crepante Lympha desilit pede*
& Lucretius, *Qua via secta semel liquido pede detulit undas.*
& Virgilius, *Ipse suo flueret Bacchus pede,*
id est, aurei sæculi tempore, vinum sua sponte fluebat, vinique flumina erant, non vt nunc, coactum & expressum calcantium pedibus manat. Significat & pes apud rei rusticæ scriptores, cumulum vinaceorum brisæ, subiectorum prelo torcularis: Columella, *& sereno siccoque die uuas quam maturissimas legemus, quibus proculcatis, mustũ, quod defluxerit, antequam prelo pes eximatur, statim de lacu in uasa defrutaria deferemus.* Theatri capacitatẽ conuexam & sinuosam, idem Maro in Ætna, vnde illud citaui, cortinam appellat,

Colum. lib. 12. cap. 19. Virg. in Aetna. *Carmineque irriguo magni cortina theatri*
Imparibus numerosa modis cadit arte regentis.

Nam id de vasis, quæ in theatro ἠχεῖα vocabantur, non tam dici crediderim, quàm de tota eius structura: quæ sic exædificata est, vt numerosæ voces ad spectatorem perueniant, cùm sit musicis designationibus modificata, vt Vitruuius scribit: cortinam etiam pro hemisphærio cœli dixit Ennius, Varrone auctore illo versu,

Vitru. li. 5. c. 3. Ennius. Apud Var. lib. 6. de ling. Lat. *Corpore ceruleo caua quæ cortina receptat.*

vt iam non sit mirandum, eum ingentes cœli fornices scripsisse: quam tamen transiationem Cicero reprehendit: vt minus veniam ei dare debuerit, *cœli palatum* appellanti: quod tamen, vt diuersum hominum palatum est, Varroni Ennius probat: idque eo magis, vt reor, quòd Græcè palatum οὐρανίσκος, velut quoddam cœlum vocetur. Illud etiam Catonis bene vestire & bene pascere, pro magnam habere seruorum familiam, & magnos greges & armenta, vt eleganter dictum est, ita & propè poëticè: vt & illud Sallustij ferè eiusdem generis & notæ, *quæ homines arant, nauigant ædificant, uirtuti omnia parent.* Id valet agros, maria, vrbes, virtuti parere, & in eius ditione esse: quæ dicendi figura, nec obuia est, & nouitate quadam non nimis accersita nec nimis affectata, etsi audaci, lectorem delectat intelligentem & studijs humanitatis imbutum.

Cic. 3. de Orat. Cic. 2. de nat. Deorum. Cic. 2. de offic. Salluſt. in bell. Catil.

Locus pontificalis, locus consularis, locus medius, bibere ab summo, cadentia sidera, sacrata iura, omina repetere, acta testudo.

CAPVT XXI.

Virg. 2. æneid. Seruius ibid. Festus. LIBRO 2. Aeneid. scribitur, *Inde thoro pater Æneas sic orsus ab alto*: vbi altum thorum summum locum interpretatur Seruius, quem locum dicit pontificalem fuisse: attamen in conuiuijs auctore Festo supra omnes sacerdotes accubabat Rex sacrorum, post eum flamen dialis, Deinde Martialis,

tialis, mox Quirinalis, inde pontifex maximus. potuit tamen sic locus vocari è dignitate pontificis maximi cæteris pontificibus imperantis. Plutarchus in Symposiacis apud Romanos dicit honoratissimum fuisse locũ vltimum secundi lecti, ac consularem vocatum fuisse dicit. Nam fortasse alius olim fuerat honestior locus. Id enim Plutarchus de sua ætate scribit. Seruius quidem domini locum medium esse ait in illum Maronis locum,

Plutarch. in Sympoſiacis.

—*Mediamque locauit*: atque è Sallustio exemplum affert. *Igitur discubuere Sertorius inferior in medio, super eum Tuscius Fabius Hispaniensis Senator ex proscriptis: in summo Antonius, & infrà scriba Sertorij Versius, & alter scriba Mæcenas in imo: medius inter Tarquinium & Ouium Perpenna.* Nam Perpenna Sertorium conuiuio accipiebat. cùm autem magna lætitia conuiuium agitabatur, lege quadam conuiuali, si quis quid peteret, id ab summo omnibus dabatur: vt ab summo ad infimum vsque, omnibus vini cyathi in pocula certo numero dabantur. Plautus,

Seru. in Virg. 1. æneid. Virg. 1. æneid. Salluſt. apud Seru. in 1. æneid.

Da puere ab summo: age tu interibi ab infimo
Da suauium: Iterum,
Standum est in lecto, si quid de summo petas. at in Sticho,
Nolo ego nos pro summo bibere,

Plaut. Aſinar. Sc. Ain' tu meũ. Plaut. Menech. Sc. Iuuentus. Plaut. Stich. Sc. Agite ite foras.

aliud quiddam est, vt iam exposuimus. Sequitur in illo Maronis libro:

—*Suadentque cadentia sidera somnos.* Virg. 2. æneid.

cadunt sidera diluculo albescente cœlo exortu auroræ exacta propè nocte: sic alio loco scribit,

Ergo age nate dea, primisque cadentibus astris
Iunoni fer rite preces: Virg. 8. æneid.

id est sub auroram, cùm astrorum aduentante sole hebescit acies & fulgor obscuratur. Æneas igitur cùm id libro secundo dicit, significat propè transactam noctem esse.

Hoc Ithacus velit & magno mercentur Atridæ: Virg. 2. æneid.

ex Homero imitatum est, in quo scribitur,

Ἦκεν γηθήσαι τρίαμος, τριάμοιό τε παῖδες. Homer. Iliad. 2.

—*Si omnes uno ordine habetis Achiuos:* Virg. 2. æneid.

putem esse, si omnes Græcos eodem loco & numero ducitis, & pro hostibus habetis, at, *Composito rumpit vocem*, Græcum est: Aristophanes, Virg. ibid.

Οὐ γὰρ μὴ κλάγξαι γε καὶ μοι φωνὴν. Ariſtoph. Neb.

Fas mihi Graiorum sacrata resoluere iura. Virg. 2. æneid.

Hic ius sacratum dicit, quòd sacramenti militaris religione teneri videbatur. nam iureiurando sacrabatur, id est fide. Cic. lib. 3. Offic.

Cuiúsque princeps iurisiurandi fuit,
Quod omnes scitis, solus neglexit fidem: Cic. 3. de offic.

Furere adſimulauit, ne coiret inſtitit.
Quod ni Palamedis perſpicax prudentia,
Iſtius percepſet malitioſam audaciam:
Fide ſacratum ius perpetuò falleret.
Virg. lib. 2. æneid. *Omina ni repetant,*

legendum perſpicuè eſt, id eſt auſpicia. Legimus enim ſæpe duces è prouincia & exercitu auſpiciorum repetendorum cauſa Romam aduolaſſe. Liuius, *námque Papirius dictator à pullario monitus, cùm ad auſpicium repetendum Romam proficiſceretur, magiſtro equitum denuntiauit, vt ſeſe loco teneret.* ſed &, *—ita digerit omina Calchas:*

Liuius. lib. 8. ab vrb. cond.
Virg. 2. æneid.

Seruius legiſſe videtur, non vt diuulgatum eſt, *omnia.*

Quales mugitus, fugit cùm ſaucius aras
Taurus, & incertam excuſſit ceruice ſecurim.

Virg. ibid.

etſi hanc ſimilitudinem Virgilius adhibuit, vt clamores horrendos taurorum exprimeret: tamẽ non improbum factu credidi, ſi annotarem Romanos piacularia auſpicia appellaſſe, quę ſacrificantibus triſtia portẽdebant: vt ſi hoſtia ab ara profugiſſet, aut percuſſa mugitum dediſſet, aut in aliam partem corporis, quàm oporteret, decidiſſet. cùm autem ſuos caſus non ſibi adſcribebant, ſed dijs, dicere ſolebant ſic viſum ſuperis, vt Horatius,

Sic viſum Veneri, cui placet impares
Formas atque animos ſub iuga ahenea
Sæuo mittere cum ioco.

Horat. lib. 1. od. 33.

Virg. 2. æneid. ſic Virgilius hoc libro, *Dijs aliter viſum:* & tertio,

Poſtquam res Aſiæ, Priamíque euertere gentem
Immeritam viſum ſuperis.

Virg. 3. æneid.
Virg. 2. æneid. Cernimus, inquit Maro, *obſeſſúmque acta teſtudine limen:*
Diodor. Sicul. Diodorus σωματοσιμὸν ab heroibus inuentum fuiſſe bello Troiano ſcribit, ad Homericum illud opinor reſpiciens,

Homer. Iliad. γ. Ασπὶς ἄρ' ἀσπίδ' ἔρειδε, κόρυς κόρυθ', ἀνέρα δ' ἀνήρ.

Idque Philippum ait imitatum Macedonica Phalange: aliud tamen id, quàm teſtudo eſt: cuius ratio Romanæ militiæ erat, non Græcę, cùm primi ſummiſſo genu ſubſidebant clypeis protecti, à tergo proximi eorum capita ſuis ſcutis tegebant, vt & horum alij: vt ea ſpecies tecti imbrices referret, vt Plutarchus in Antonio ſcribit.

Plutar. in Antonio.

Sartoris vſus, Gygæ annulus, trimodia. CAPVT XXII.

NISI me fallit animus memoriæ vitio Plinius Mydam pro Gyge in naturali hiſtoria ſcripſit. Nam cùm à Platone mãdatum literis ſit, & à Cicerone

Plin. li. 33. ca. 1. Plato lib. 2. de Repub.

cerone relatum, Gygem annulum habuiſſe, cuius pala in palmam verſa à nemine cernereturi: id de Myda his verbis ſcribit, *Mydæ quidem annulum, quo circumacto habentem nemo cerneret, quis non etiam fabuloſiorem fateatur?* Sed eo in Plinij cap. lego, *æqua fortuna triumphantis, & ſerui coronam ſuſtinentis*: parem quippe triumphantis & ſerui publici fortunam Plinius dicit, quòd triumpharent in annulo ferreo, quod geſtamen ſeruorum erat. nec enim ſeruis aureos gerere annulos licebat, ac ne ingenuis quidem omnibus. ſequitur non ita longè locus ſuo priſtino aſſerendus iuri contra impotentiam emendatorum: *Quod ſi impedimentum potuit in ea aliquod intelligi etiam ſartoris vſus, argumentum eſt maius in læua fuiſſe, qua ſcutum capitur.* hîc conſertorem emendant omnes vno conſenſu, quod non tam facilè probandum, ſi ſenſus educi è veteri ſcriptura poteſt: & poteſt fortaſſe qualiſcunque. Quid enim vetat Plinium dixiſſe impedimentum potuiſſe in annulis eſſe ſi dextra gererentur? quòd ei inſerti impedituri fuerint ſartorum operam, non tam facilè obligata annulo manu, quàm libera & nuda, arte ſua vſurorum. neſcio quid tale Plinium voluiſſe dicere ferè auguror. nam ſi in leui etiam artificio ſartorum, impedimentum futurum fuit geſtato dextra annulo, quãto maius eſt, inquit, cùm ſiniſtra eo onerata tractatio clipei impeditur? Cùm autem dixit, *etiam ſartoris vſus*, perinde eſt ac ſi dixiſſet, non ſolùm in maximis, verùmetiam in minimis rebus annulum nocere. Lego mox è ſanctuarijs optimorũ librorum. *Nec ignoro M. Craſſum duo millia pondo auri rapuiſſe ſuo & Pompeij tertio conſulatu.* Et non longè hinc, *neque enim aliter potuiſſet trimodia illa annulorum Carthaginem ab Hannibale mitti.* Nam trimodia fœminino genere à Columella vſurpatur, & in caſtigatiſſimis Plinij libris hic legitur. nos hoc etiamnum vocabulum hodie retinemus in eo infundibulo, quod in moletrinis fruges molæ tranſmittit. Tremodiam enim vocamus: nomen factum eſt à menſura trium modiorum. hoc nomine offenſi emendatores fœminino genere expuncto, neutrum formauere, vel deformauere potius ſinceram ſcripturam: proinde quaſi ad arbitrium omnia mutare & fingere, id demum ſit integrè & caſtè in auctoribus verſari. tantùm autem bonis libris tribuo, vt libentius eorum fiducia errem & peccem, quàm correctorum licentiam amplexus bonos ſenſus conſecter.

Plin. ibid. Plin. ibid. Plin. ibid. Plin. ibid. Plin. ibid. Colum. lib. 12. cap. 50.

Crates ficariæ, ſculponeæ, granatui ſerere, bouerum iuga, ſpongia effingere, patibula, in Catone. CAPVT XXIII.

CATO præcipit ſeminario imponi crates ficarias: ſed ficariæ crates quæ ſint in quæſtionem venit: ego eas intelligo quibus fici dum ſiccantur

Cato de re ruſt. cap. 48.

tur acclinatis in teſtudinis morem aduerſus iniuriam pluuiæ roremque noctis defenduntur, de quibus Columella ſcribit lib. 12. cap. 15. ſed & in cratibus ſtratæ ficus ſiccantur in ſole, quòd ἡλιοπεδεύειν Græci vocant. Digitum tranſuerſum eo in loco Cato vocat digiti latitudinem vel craſſitudinem: nihil enim intereſt, vtrum dicas, modo intelligas id quod longitudini opponitur. ſic enim ſcribit, *Eo terram cribro incernito altam digitum tranſuerſum:* eodem modo apud comicum Plautum intelligi debet. ſculponeæ apud Catonem in genere calceamentorum mihi nomen habere videntur à ſculpo vel ſcolpo. nihil enim differt, cùm u & o, propter ſoni vicinitatem ſæpe alternis commutentur. ſcolpus autem fictitio verbo, ſonum ſignificat, qualem ipſum nomen repræſentat. *præterea*, inquit Cato, *granatui videto vti ſatis viciæ ſeras:* granatui ſeritur, quod non seritur, vt viride pabulo iumentorum ſubſecetur, ſed vt ad granum perueniat & frugem: & ſic in Catone interpretandum reor. Rem pecuariam quam ampliſſimam habere, magnosque pecoris greges & iumentorum armenta in re familiari quam maximè expedire Cato putauit, vt Cic. lib. 2. Offic. dicit: Id enim eſt quod ille dixit, primum eſſe bene paſcere: ſecũdas etiam in re familiari tribuit mediocri rei pecuariæ vel paſtioni: id enim valet quod dixit, ſatis bene paſcere ſecũdum eſſe: tertias tribuit familiæ & numero ſeruorum cùm dixit, tertium eſſe bene veſtire. Quartum putauit arare, quod eſt agriculturam & arationes ſequi. at huius quarti etiam in libro de re Ruſtica gradus facit. *Quid eſt*, inquit, *agrum bene colere? bene arare. Quid ſecundum? arare. tertiò ſtercorare*. Primum eſſe voluit, vt quam diligentiſſimè ſolum verteretur: ſecũdum vt verteretur etiam ſi non diligentiſſimè: tertium vt ſtercoraretur. *Quot iuga bouerum*, in Catone legi cenſeo: ſic enim veteres loquebantur, & ita in optimæ notæ exemplaribus Varronis hodieque ſcriptũ extat. Lego autem non multò poſt, *in aratrum ſubiugia lora*, non vt excuditur lorum. *Fiſcinas*, inquit, *ſpongia effingat*, quod valet tergeat, vt apud Ciceronem pro Sextio, *ſanguinem ſpõgijs effingi* legit Seruius: vbi mendosè hodie effundi ſcribitur. *orbes*, inquit Cato, *ſibulas, vectes, ſcutulas*: ego ſucculas legendum crediderim, quibus, vt è Catone perſpicuum eſt, in torculari veteres vti ſolebant. Cæterùm in Catone patibula ſunt inſtrumenta & machinamenta duo ſcalata è diuerſo in axiculum vnum capitibus ſuis cõiuncta, diuaricatis ad imum cruribus. his in vindemia arbuſti potiſſimum opus eſt & altioribus iugis, hodieq; in pergulana vite vti homines noſtri ſolent: non deſunt tamen qui ſeram interpretentur.

Colum. lib. 12. cap. 15.
Cat. cap. 48.
Plaut. Aulul. Sc. Exi inquã.
Cato cap. 59.
Cato cap. 60.
Cat. cap. 61.
Cic. 2. de Offic.
Cat. cap. 61.
Cat. cap. 62.
Cat. cap. 63.
Cat. cap 67.
Cic. pro Seſtio.
Cato cap. 68.
Cat. ibid.

Ligellum, puteus, Apollo ſubueni, me ſeruauit Apollo, Plautus emendatus. CAPVT XXIIII.

GRAM-

GRAMMATICI ſummi in eruditione ſenſus apud comicum Plautum in verſu, *de ſuo ligello fumus ſi qua exit foras*, ligellum tuguriolum explicant, & eorum fidem ſequuti gregarij doctores explanationem eam comprobant. Ego etſi libenter auctoritati veterum faueo, tamen huic interpretationi ſubſcribere non poſſum. Nam mihi vocis huius originem perſcrutanti venit in mentem eſſe vocabulum diminutionis formam quandam adumbrans. poſtulat autem proportio, vt quemadmodum à tigno tigillum & tigellum deducitur: vnde & Tigellij nomen: ſic à ligno ligillum & ligellum deriuetur. paruum igitur lignum intelligo, quod in foco vratur fumumque reddat. Cæterùm in eadem fabula vlceroſum illud Donato Grammatico credimus: *is quando moritur, ita auido ingenio fui*: cùm quidem ille in Adelphis Terentij *quoniam moritur*, agnoſcat & legat, eſtque archaiſmus cùm quoniam pro cùm accipiatur. *In puteum*, inquit in eadem fabula, *condite*: non exiſtimo dici in puteum perennem, ſed ſuffoſſa quædam hypogea, quæ Atheniẽſes habebant, & λάκκους vocabant. Etiam barathrum erat puteus. Iterum, *Niſi vnũ hoc faciam, vt in puteo cœnã coquant.*

Apollo, inquit, *quæſo, ſubueni mihi atque adiuua.*

Apollo ſagittis confodere credebatur, idemque malorum depulſor habebatur, & eo cognomine indigitatus colebatur cùm ἀλεξίκακος dicere-tur: hinc illud Horatianum, *Sic me ſeruauit Apollo.*

Nam qui mala depellit, ſeruat: & idem Horatius de Apolline,

Hic bellum lachrymoſum, hic miſeram famem,
Peſtemque à populo & Principe Cæſare, in
Perſas atque Britannos
Veſtra motus aget prece.

Scio illud Horatianum de ſeruatore Apolline longè repetita iam inde vſque ab Iliacis temporibus auctoritate explicari, cùm conſtet Apollinis ope Æneam hoſtibus ereptum fuiſſe: ſed ad religionis opinionem libentius retulerim, officiumque dei illius, exiſtimati malis auerruncandis depellendisque mortales iuuare.

Aut manulearij, inquit, *aut myrobrecharij*,

hæc poſterior vox mendũ olet, eo magis quòd longè deuertit ab antiqua ſcriptura, Marobatharij: ego aromatarij redundante primo elemento, & b in locum m introducto, vt non rarò, legendũ eſſe exiſtimo. *Citis*, inquit, *quadrigis citius properet perſequi*: citas opinor quadrigas eum appellare, vt quæ curſitabant in ſpatio circi maxima concitatione curriculi: ac eos ſic loqui & appellare ſolitos eſſe arbitror: quò & Maro reſpiciens dixerit,

At procul inde citæ Metium in diuerſa quadrigæ
Diſtulerant:

Plaut. Aulul. Sc. Poſtquam obſonauit herus.
Donat. in Prolog. Adelphor. Terent.
Plaut. Aulul. Sc. Tace nunc.
Plaut. Aulul. Sc. Curate.
Plaut. Aulul. Sc. Volui animum tandem.
Horat. lib. 1. ſat. 9.
Hora. lib. 1. od. 21.
Plaut. Aulul. Sc. Narrauit.
Plaut. Aulul. Sc. Hoc eſt.
Virg. 8. æncid.

Gram-

Grammatici tamen tritas significationes plerunque prætereuntes, & remotas quærentes, citas separatas & diuisas interpretantur.

Tabulas cœnare, vilis agnina, Solium Cyri, mala scabies, Horatius emendatus. CAPVT XXV.

Horat. lib. 1. epist. 15.

APVD Horatium, —*tabulas cœnabat omasi, Vilis & agninæ*, ita puto enucleãdum, vt tabulas paropsides intelligamus more Græcorũ, qui πίνακας vocant. agninæ autem potius quàm agnini vt legam, & auctoritate librorum teredine exesorũ facio impulsus, & opinione antiquorũ, qui agninam despicatui habebant & vilissimam ducebant. indignè fert & stomachatur Plautinus parasitus à lanijs vendi agninam pro arietina,

Plaut. Captiu. Sc. Iupiter super me seruas.

Tum lanij autem, inquit, *qui concinnant liberis orbas oues,*
Qui locant cædundos agnos, & duplam agninam danunt.

atque arguit eorum dolum, quòd pro vna arietina offa duplam venderent clam suppositã pro ea fallaciter agninam, aut potius quòd & apertè agninam venderent, & rursus pro arietina agninam supponerent. Apud Philonem quoque in presbeutico agninæ carnes vt insuaues illudũtur à Caligula: sic autem scribitur, καὶ φαμέν τινος ὡς πολλοί γε καὶ τὰ πρόβεια κρέατα ἀρνία ὄντα προσφέρονται, γελάσας οὖν ἔφη· οὐ γὰρ ἔχ ἡδέα· eiusdẽ & illud explicãdum. *Redditum Cyri solio Phraatem*, quo significat restitutũ in Parthorũ vel Persarum imperiũ, quod Cyri solium vocauit: quia sella regia in qua sedebant Persarum reges, Cyri sella dicebatur. Plutarchus, μηθεὶς ἄλλος ἀνθρώπων καθίσειεν εἰς τὸν κύρου θρόνον, πλὴν Ἀλεξάνδρου. Ait idem Horatius (eius enim poëma, tanquã hæc & illa lustrantes cursim raptimq; peruagamur)

Philo in Presbeutico. Horat. li. 2. od 2. Plutarch. in Alexandro. Horat. de art. poëtic.

Vt mala quem scabies, & morbus regius urget:

hîc ego malam scabiem interpretor feram, quam Græci ψώραν ἀγρίαν vocant, credebantque veteres Romani contagione ad alios transire: de ea sic Philo, φθινάσι τηκεδόσι, ψώραις ἀγρίαις, ἰχλέροις, σφακελίζουσιν ὀφθαλμοῖς: Celsus de scabie, *itaque eam, quæ talis est, ἀγρίαν, id est, feram Græci appellant.* quanquam & scabies omnis, mala est, infestaque est plerunque pueris redundantibus & malè temperatis, vnde & Persius scripsit,

Philo. Corn. Cels lib. 5. cap. 28. Pers. sat. 2. Horat. lib. 1. sat. 1.

—*namque est scabiosus & acri*
Bile tumet. In eodem poëta, —*eia Quid statis? nolint:*

sine vlla dubitatione legendum est, pendente è superioribus sententia: ait enim, si quis Deus dicat, iam quod vultis faciam, nolint. hæc cùm ego scripsissem, admonuit me summus meus & intimus amicus Leodegarius à Quercu eandem constitui à Britannico lectionem: in quo mirificè lætatus sum, me in vestigijs doctissimi viri pedem posuisse, etsi eius cõmentarium non euolueram.

Faxim

Faxim sit vilior, rapacidæ, coruus ab læua cantat, ludij.

CAPVT XXVI.

PRISCA quidem illa est, non iniucũda tamen nec inamœna loquendi ratio: faxim sit vilior, pro eueniet vt sit vilior: sed velut obsignatis tabellis & testationibus probanda. Plautus in Aulularia,

Ego faxim muli precio qui superant equos,
Sint viliores gallicis canterijs. Et in Persa,

Plaut. Aulul. Sc. Narraui. Plaut. Pers. Sc. Veterem atq;

—*Næ isti faxim nusquam appareant,*
Qui hic albo reti aliena oppugnant bona.

in eadem quoque Aululari a, huius enim pompæ fercula inde instruẽtur, rapacidæ imitatione patronymicorum, homines rapaces appellantur ioco comico ficti, vt Æacidæ dicuntur ab Aeaco:

Plaut. Aulu. Sc. Curate ego. Plaut. Aulul. Sc. Fidei censẽbam.

Rapacidarum, inquit, *vbi tantum fiet in ædibus.* At illud,
Nam quod dedit tam diu quàm per dium.

Sphingis gripho nodosius est, nec nisi gladio & ferramento solui potest, vt nodus Gordianus. Interpretandum enim non tam istud quàm secandum, aliudque inducendum, quo res tota erit aperta.

Nam quod edit tam duim quàm perduim.

Tria enim ista verba subiunctionis sunt, veteribus vsurpata pro edam, dem, perdam.

Plaut. Aulul. Sc. Non temerè

Non temerè est, inquit, *quòd coruus cantet mihi nunc*
Ab læua manu, vanitas augurum auspicia coruorum fausta à dextra, à læua infausta iactabat. itaque cùm partes mundi ab ortu auguribus Romanis læuæ essent, Horatius scripsit,

Horat. lib. 3. od. 27.

Oscinem coruum prece suscitabo
Solis ab ortu,

vt scilicet cantu suo iter institutum dirimat, à dextra autem suadebat coruus, vt in Asinaria,

Plaut. Asin. Sc. Hercle verò.

Picus & cornix est ab læua, coruos parræ ab dextera:
Consuadent.

Hinc apparet contrariam in cornice fuisse obseruationem: quod & à Cicerone scriptum est, cuius verba sunt, *cur à dextra coruus, à sinistra cornix faciat ratum.* siniſtra tamen cornix Maroni inauspicata est,

Cic. 1. de diuin. Virg. eclog. 1.

Sæpe sinistra caua prædixit ab ilice cornix:

vbi augurium malum etiam adiuuat arboris vitium.

Plaut. Aulul. Sc. Dromo de so. quama pisces.

Glabriorem, inquit, *reddes quàm volsus ludius est.*

Ludij, inquit Dionysius Halicarnasseus, adolescentes erant tuniculas induti insignes, galeati & ensiferi peltatique, qui omnibus circensibus & theatra-

theatralibus pompis in verſum incedebant, ipſius velut põpæ duces ſalijs ſimiles, ludij ex eo vocati, quòd à Lydis hoc genus ludicri inuẽtum videretur. ſiqui igitur eorum eſſent grandiuſculi & iam veſticipes, vellebãtur glabriq́ reddebantur. verba Dionyſij ſunt, μάλιστα δὲ ἐπὶ τῷ περὶ τὰς πομπὰς τάς τε ἐν ἱπποδρόμῳ, καὶ τὰς ἐν τοῖς θεάτροις γινομένων. ἐν ἁπάσαις γὰρ αὐλαῖς καὶ περιστύλοις κῶροι χιτωνίσκους ἐνδεδυκότες ἐκφερεπεῖς, κράνη τε καὶ ξίφη καὶ πάρμας ἔχοντες, σοιχηδὸν προεύουσιν, οἱ εἰσὶν ὕλοι τῶν πομπῶν ἡγεμόνες, καλούμενοι πρὸς αὐτῶν ὑπὸ τῶν παιδιᾶς τῶν ὑπὸ λυδῶν ἐξευρῆσθαι δοκούσης, λυδίωνες, εἰκόνες, ὡς ἐμοὶ δοκεῖ, σιμίλιων. hic potius induſtria noſtra leuamus aliorum laborem, ne iſta quęrant, quàm aliquid conferimus æſtimatione dignum. nos quoque huic merci nullum pretium ſtatuimus: ſed hanc veluti ſtipem ſpargimus gratuitam.

Dion. Halicar.

LIBRI SEXTI FINIS.

ADRIANI TVRNEBI ADVERSARIORVM LIBER SEPTIMVS.

Bene noſſe apud Ciceronem quid? Cicero emendatur. CAPVT I.

QVAEDAM ſunt in auctoribus Latinis è Græcis imitata: quæ aliud ſignificant quàm ſtatim oſtendunt: nec facilè ea quiſquam aſſequi poteſt, niſi qui literis Græcis multum operæ dederit. Licet id perſpicere è Luculli loco vbi ſcribitur, *Bene autem noſſe Carneadem Stratoniceus Metrodorus putabatur*. Illud enim noſſe aliud eſt quàm præ ſe fert. ſignificat enim Carneadis eum diſcipulum fuiſſe: Græci autem plerunque ſolent diſcipulos appellare γνωρίμους, quod quidem apud eos tam frequens eſt, vt id exemplis confirmare velle, ſit lucem Soli fœnerare velle. In re igitur nota exemplis & teſtimonijs non neceſſarijs ſuperſedendum. In eam autem ſententiam illud noſſe accipiendum eſſe, atque adeò ſignificare à Metrodoro perdiligenter auditum fuiſſe Carneadem, è libro primo de Oratore confirmamus: ſic enim ſcribit Cicero, *Erat etiam Metrodorus, qui cum illis vnà ipſum illum Carneadem diligentius*

Cic. in Lucul.

Cic. de Orat.

tius audierat. qui autem in eo Luculli loco Melõthius nominatur, Melanthius tranſnominandus eſt. qui quidem Aeſchinis Neapolitani præceptor fuit. Hegeſinus etiam aſpiratè ſcribi debet, non Egeſinus tenuiter & exiliter: vt ex Euſebio apparet, in quo ſic ſcribitur, Καρνεάδης δὲ ἐκδέξαμενος παρ' ἡγησίνου: duos iſtos philoſophos malè appellari in libris editis libuit adſcribere, & ab errore adoleſcentes vindicare iſta admonitione. Illud verò quod ſententiæ refragatur non eſt prætereundum, ἀκατάληπτον ſcribi, vbi καταληπτὸν locandum eſt. *Cùm enim*, inquit, *ita negaret, quicquam eſſe quod comprehendi poſſet (id enim volumus eſſe* ἀκατάληπτον.) Liquet mihi affirmare à Cicerone explicari, id quod comprehendi poteſt: id autem eſt καταληπτὸν. Igitur è regione Græcum cum Ciceronis voluntate pugnat, quod diſſimulanter ferre non debui. Aperiendum & illud ex eodem libro videtur, quod etſi non ita obſcurum eſt, tamen ſub eo aliquid aliud latet, quàm quod primo aſpectu nobis obijcit: ſed Ciceronis verba ante proponam, *Et in ipſo bello: in quo ita magna rei militaris eſſe occupatio ſolet, vt non multum Imperatori ſub ipſis pellibus otij relinquatur*. Pelles hic tabernacula vocat militaria hibernaculorum: ſenſus eſt igitur, ne hiberno quidem tempore multum otij Imperatori relinqui, cùm interquieſcunt tamen bella.

Cic. in Lucull.

Cic. ibid.

Cic. ibid.

De chartis, Plinius emendatur. CAPVT II.

DE chartis quæ è papyro fiebant differens Plinius, primam dicit olim fuiſſe Hieraticam, è qua religioſi tantùm ſacriq́ libri ſcriberentur, eamq́ ab adulatione Auguſti nomen accepiſſe: ſecundam Liuiam, ab eius coniuge, vt in tertium locum deſcenderit Hieratica, quę olim prima erat. Hic neſcio quid inquinatum eſſe ſentio, libidine emendatorum in bonos ſcriptores ſemper graſſante, fideliusq́; exiſtimo quod in antiquis exemplaribus reperi, *quæ ablutione Auguſti nomen acceperit*. Auguſtea enim & regia charta candidior erat quàm Hieratica, vt & Liuiana: Nam Hieratica ſubcolorata erat, vt ſcribit Iſidorus. abluendo igitur candorem chartæ acquirebant. erat & amphitheatrica, & Memphitica, cuius Lucanus meminit,

Conficitur bibula Memphitis charta papyro:

erat & Saitica, ab oppido Sai. & Teneotica à loco quodam Alexandriæ appellata: & Fanniana ab interpolatore nomen habens: ſed & Corneliana, à Cornelio Gallo, qui Aegypto præfuerat nomen adepta eſt: Erat & Emporeutica, vel potius Emporica (ſic enim in Plinio emendandum arbitror) ea mercatorũ vſui ſeruiebat, & inuolucris & integumentis mercium dicabatur, ſcripturæ inutilis: *Texuntur*, inquit Plinius, *omnes tabulæ madentes Nili aqua*, emendo, *texuntur omnes tabula madente Nili aqua*

Plin. li. 13. c. 12.

Iſid. lib. 6. Etym. cap. 10.

Lucan. lib. 4.

Plin. lib. 13. c. 12.

Plin. ibid.

Plin. ibid.

Quis huic emendationi auctor? non solùm libri veteres, sed etiam Romana editio. nam in tabula chartæ ponebantur, in qua turbida Nili aqua glutinabantur: hodieque quæ è concerpto comminutoque linteo chartę conficiuntur, earum plagulæ ope glutini cohæresc̃ut. proinde mox etiam lego, *cùm primo supina tabulæ schida allinitur*, &, *resegminibus vtrinque amputatis*. cuius emendationis, quam multos veteres libros testes laudare possumus? qui etiam vno consensu, *transuersa deinde crates peragit*, ostendunt. Illud etiam sic emendo, *liturae metum afferebat ex auersis, & alias indecoro visu per translucida*. pellucebat enim ob tenuitatem illa charta, & si quid in auersa scriptum fuisset, metus erat liturae. nihilo secius quod mox sequitur, in pristinam restitui integritatem posse reor. *igitur è secundo corio statumina facta sunt è primo subtemina*. Chartam, inquit, Claudius duplicauit, & tanquam bilicem fecit, eiusque tanquam stamen fecit, è secundo papyri libro, è primo corio subtemen. lego etiam infrà, *sed omnia secunda*. lentiginosæ autem maculæ oculis in Charta deprehenduntur fungosæ tæniæ litera fundente se: sed pro fungo in veteribus libris iunco lego, nam & antè, extremum papyri sirpo simile dixit, id est iunco.

Plin. ibid. Plin. ibid. Plin. ibid. Plin. ibid. Plin. ibid.

Cohibere brachium toga apud Ciceronem, Custos, Sodalitas lupercorum.

CAPVT III.

MEMINI aliquando à me adolescentes optimis & honestissimis studijs non leuiter tinctos quærere, quis esset illius è Cæliana oratione loci sensus: *Nobis quidem olim annus erat vnus ad cohibendum brachium toga constitutus: & vt exercitatione ludóque campestri tunicati vteremur*: quibus tantùm tum respõdi mihi videri eo anno quo sumpta virilis toga fuerat, modestiam etiamnum & pudorem ab adolescẽtibus postulatum fuisse æquè, ac cùm in puerili erant prætexta. quòd si tum magistris liberati, & suæ tãquam tutelæ facti, visi essent eo anno proteruiores aut petulantiores, de eorum pudicitia malè existimatum fuisse. qui enim brachium vel profert vel exerit, minus esse modestus & verecũdus videtur, quàm qui toga brachium cohibet & continet: & Æschines contra Timarchum priscorum oratorum pudorem & modestiam laudans, eos ait peroraſſe manus intra pallium continentes. scribit enim, ὥστε ὁ νυνὶ πάντες ἐνθὴς περατόμην, τὸ τὰς χεῖρας ἔξω ἔχοντες λέγειν, τότε τοῦτο θεσμοῦ πεδόκει εἶναι. eodem etiam illo anno nefas eis erat corpus in campo Martio nudare, ne corporis nudatione impudenti amatorem quærere velle viderentur. Itaque tunicati in campo se exercebant: *eademque*, inquit, *erat, si statim mereri stipendia cœperamus, castrensis ratio atque militaris*. Seruius ait Ciceronem scripsisse anno stipendij primo

Cic. pro Cælio. Æschin. contra Timarchum. Cic. pro Cælio. Seruius in 5. æneid.

primo solitos esse dari custodes adolescentibus militaturis, qua ex consuetudine Maronem scripsisse,

Custodem ad sese comitemque impubis Iuli
Epytidem vocat, & fidam sic fatur ad aurem. Virg. 5. æneid.

sic in Marone Epytides scribi debet, vel Homero auctore, in quo Iliados ρ scribitur,

Κήρυκ' ἠπυτίδῃ Νέμας ἀθρόφαλι ἐοικώς. Homer. Iliad. ρ.

nam Periphantem intelligit Maro, Epiti filium. illud institutum declarauit Plautus in mostellaria,

Ad legionem cùm itant, adminiculum
Eis danunt tum aliquem cognatum suum. Plaut. Mostel. sc. Recordatus multum.

Sed quę est in illa Ciceronis oratione sodalitas Germanorum lupercorũ? eorum, vt opinor, qui Fabiani & Quintiliani dicebantur, vt nonnulli censent à propositis suis: priorum etiam meminit Propertius, cùm dicit, Cic. pro Cælio.

Vnde licens Fabius iura Lupercus habet. Propert. lib. 4. eleg. 1.

Vtrosque nominat Ouidius,

Risit, & indoluit Fabios potuisse Remúmque
Vincere, Quintilios non potuisse suos. Ouid. 2. Fast.

Germani autem erant isti Luperci, velut agrestem pastoriciamque quandam sodalitatem colentes, qualis fuerat Lupercorum Romuli & Remi: his tertia de Cæsaris nomine addita sodalitas est Iulia: atque id est quod Tranquillus refert, Cæsarem sibi passum esse decerni maiora fastigio humano, in quibus enumerat Lupercos, & Luperci Iuliani in Philippicis nominantur, quibus ablatum vectigal conqueritur Antonius. Dion ἱεροποιὸς δέ τις τῶν παλαιῶν γυμνοπαιδίας, τρίτην τινὰ ἑτερίαν, ἰδίαν ὀνόμασεν. Illæ igitur duę sodalitates veteres pastoritiæ & feræ erant, legibusque ob religionem permissæ: coierant tamen in sodalitates lupercorum nomine cœtus aliqui fortasse adulterini & irreptitij, vt ex hoc Ciceronis loco conijcere licet. sodalitates autem legibus ambitus vetabantur. Suet. in Iul. cap. 76. Cic. 2. Philip. Dio lib. 44.

Pilicrepus apud Senecam, ludere datatim, expulsim, raptim, suram dare.

CAPVT IIII.

EXTRA controuersiam esse reor in epistola 57. Senecæ legẽdum esse, *quoties retentum spiritum remiserunt*: non vt irrepsit in omnia volumina *recentem*: sed & mox, *& hac plebeia vnctione contentum*: non vt vulgò *functione* percrebruit. Plurimum operæ sumimus in emendandis libris, isque hoc tempore solemnis est labor eruditorum, vt olitorum malas purgare herbas. Sed quis tandem est pilicrepus? quem Seneca ait, si superuenerit Senec. epist. 57. Senec. ibid. Senec. ibid.

& plus numerare cœperit,actum esse.sic enim in eo lego,non pelicrepus, nec pilas. eum interpretantur in hoc labore excutiendi & enodandi voces abstrusas in auctoribus primi homines subsellij, qui pilas in vaporarium conijciat: à quibus dissentio,atque eum interpretor qui pilas crepat aut pila crepãte lusitat(nam pila crepitum facit)quod facere solebãt paulò ante balneũ,vel dum hypocausta & sudationes calescerent. Martialis,

Mart.lib.14. epig.163. *Redde pilam,sonat æs thermarum: ludere pergis?*
Virgine vis sola lotus abire domum.

quo etiam sensu illud Papinij accipio,

Stat.lib.1.silu. in Baln. Etrus. *Quid nunc strata solo referam tabulata,crepantes*
Auditura pilas,vbi languidus ignis inerrat
Ædibus,& tenuem voluunt hypocausta vaporem?

In mittenda autem & remittẽda pila, cùm pilicrepus plures quàm essent manus & vices numerarat, maximus excitabatur clamor ab aduersarijs. Datatim ludere,vt hoc addam,erat pila ludere, propterea quòd dabatur. vnde quidam datores dicebantur in lusu pilæ, qui pilam dabant: alij autem factores,qui faciebant,id est qui feriebant & ludebant, quíque in factiones erant diuisi,id est,vt dicimus in consuetudine,in partes. Plautus,

Plaut. Curcul. Sc.Date viam. *Tum isti qui ludunt datatim serui scurrarum in via:*
Et datores & factores omnes subdam sub solum.

Inde illa translatio Ennij de muliere,quæ sui copiam faciebat,cùm etiam alioqui mulieres impudicæ dare dicerentur,vt ex Martiale notum est:

Enni. apud Isidor.l.1.Etym. cap.25. *—quasi in choro pila*
Ludens datatim dat se & communem facit,
Alium tenet,alij nutat,alibi manus Est occupata.

Genera autem ludendi fuisse videntur datatim,raptim,expulsim.Nouius exodio,*in molis non ludunt raptim pila,datatim morso.* Lepidè indicat seruos solere inter molendum de polenta rapere,& inuicem alium alij dare: raptim autem ludi in harpasto solet.Varro,*purgatum scito,quia videbis Romæ in foro ante lanienas pueros pila expulsim ludere.* Videtur autem purgatum dicere,cùm locus vacuus est & absque hominum frequentia.In ludo porrò puerili pilæ, qui peccauerat suram dabat, quam cùm Lentulus quæstor, Sylla rationes pecunię publicę ab eo reposcente,se paratum esse dare diceret,atque ita rationũ relationem eluderet,sura appellatus est,vt ait Plutarchus: qui enim commiserat in lusu, crus prolatum pila feriendum dabat.subijcit Seneca,*adijce nunc sordalum & furem deprehensum:* alia epistola sordalum appellat,quam veriorem scripturã esse reor. *Tullius*, inquit, *Cimber & minius erat in vino, & scordalus*. scordalum interpretor velut scorodalum, id est hominem alliatum & illuuie squaloreque fœdum & sordidum

Non Marcel.in Datatim. Varro apud Non.in Expulsim. Plutarc.in Cic. Senec.epist.57. Senec.epist.84.

sordidum & impurum,vt de quodam seruo apud Plautum dicitur,

Germana illuuies oboluisti allium.

Talis cùm balneas inibat,& in elegantes lautosque inciderat,magno clamore & vociferatione excipiebatur, nisi fortè ab immunditia & fœtore excrementorũ alui nomen habet: hoc verbum etiam extat in V.C.Memmij Petronio,*ego autem nactus occasionem vindictæ, Eumolpum excludo redditáque scordalo vice,sine æmulo scilicet & cella vtor & nocte* vt tamen verum fatear,scardalus in Petronio scribitur,vt existimo,perperam Est & hodie Græcis scordalus morbus in oculis equorum,in angulo crescente carunculà.Lege mox,*iam libarij varias exclamationes.* sic vocatur qui liba vẽdit.

Plaut Mostel. Sc. Exi è cubin. Petron. Arbit.

Petigo,porca,die vendere, porci serarij apud Catonem.

CAPVT V.

APVD Catonem legimus,frustra tamen,quia non intelligimus:*deinde petigini parcè brassicam opponito·sanam faciet.* ego ex vestigijs veteris scripturæ emendo,de petigine porcæ: brassicam opponito.si quis *deinde petigini* mauult,non repugnabo acriter contumaciterque. tãtum tamen dicam alterũ mihi probatũ magis esse,& antiquã scripturam referre.at verò opponere, antiquo dictũ more est pro apponere: vt & impetiginem, petiginẽ vocat.Ex Varrone autẽ nemini ferè, qui quidẽ literas colat,ignotũ est,porcam naturã appellari,qua mulieres sunt:cùm etiã pars illa quę honestè nominari non potest, apud Græcos χοῖρος vocetur. cùm idem Cato differit qua lege fructus ouium veneat, exigitq; eius lactis quod ferijs mulsum erit,dimidium non caseum, id eo fieri intelligo, quòd ferijs nefas sit caseum premere,&quòd lacte ad rem diuinam vti solerẽt: mox sic interpũgo & lego eodẽ illo capite:*hisce legibus agnus diem & noctem qui vixerit, in fructu*: *Cal.Iunijs emptor fructu decedat.Si intercalatum erit,Cal.Maijs.*Nã quia olim alternis annis solidus intercalabatur mensis, ideo anno intercalari maturius mense toto decedendum est fructu.Quid est *die lanam & agnos vendat?* Veretúrne Cato,ne noctu id fiat?minimè gentium: sed præcipit vt tempori vendat: vt certo idoneoque tempore commodè potius vendantur quàm incommodè & alieno tempore: ita plus quæstus erit, quàm si vendat in vilitate.die igitur,est quo tempore bene ista vendi possunt. *Menses decem à coactore releget*: hic locus ostendit eos non esse solitos ista vendere præsenti pecunia: sed lenæ Plautinæ, cuius manus oculatæ sunt creduntque quod vident,nihili est coactio, cùm tanto post relegenda sit & redigenda pecunia. quidam hic legendum putant, *Mense decimo ab coactore releget.Porcos serarios in oues denas singulos pascat*: qui porci

Cato de re rust.cap.157. Varro. Cato cap.150. Cat.ibid. Cat.ibid. Cato ibid. Cat.ibid.

sint serarij quęsitum est. Ego eos intelligo in isto Catonis capite, qui sero ouium nutriuntur. Denæ enim oues sero lactis sui porcos singulos pascere possunt. In fructus lege ponit, vt conductor duos menses pasto rem prębeat, qui donec domino cõductor vel satisfecerit vel soluerit domino pignori sit. In capite autẽ illo, quod de villici officio Cato scripsit sic lego: nam ne hanc quidem breuem accessiunculam huius capitis omittam, sed adscribã: *villici officia quæ sunt? quæ dominus præcepsit*: quod quidẽ valet, quę dominus præceperit, vt capsit pro ceperit à veteribus est sæpe vsurpatũ.

Cap. 141.

Forma regia, valga suauia, geraria, ad exta adducere, meo remigio rem gero, admutilare, succida. CAPVT VI.

Plaut. Milit. Sc. Curate vt.

APVD Plautum in milite, Forma regia, corporis est dignitas egregia & superãs atq; augusta, qualis Regẽ decet: nam versus ille notissimus est,

Euripid. apud Porphyr. in 5. vocibus.

Πρῶτον μὲν εἶδος ἄξιον τυραννίδος,

sic Priamus Agamemnonem miratus eiusque corporis maiestatem & dignitatem, etsi quis esset mortalis nesciebat, tamen regi similem dixit: scribit enim Homerus,

Homer. Iliad. 3.

—Βασιλῆϊ δὲ ἀνδρὶ ἔοικεν.

Plaut. Milit. Sc. Curate vt.

In eadem autem comœdia, dentes dentire dicuntur esuritorum. Vt enim pueri dicuntur dentire, cùm eis primùm oriuntur: sic quibus cessant à terendo cibo, quia non deteruntur, grandescere videntur, atque dentire popularí ioco dicuntur. At verò latera lorea sunt, latera virgis cæsa & lacerata, quòd corium sic vapulantium in lora scindi videatur. nam lora corium in corrigias scissum significãt. Perinde igitur est ac si diceret, è vestro corio scindam lora virgis. Valga porrò suauia, obtortiones sunt oris, ad derisionem. Nam suauium interdum est conformatio oris & labrorum ad suauiandum. meretrices autem dum glorioſum militẽ ad osculandum labijs ductabant & inuitabãt, per illusionem os obtorquebãt valgumq; reddebant, eum ex animo non basiãtes, atq; ludificãtes. Iam, *illis sortito suam*, valet nisi me coniectura à vero diuersum trahit, ne mala quadã sorte sim absens eis. *Iampridem*, inquit, *quia nihil abstulerit succenset ceraria*: hîc ego gerariam legi debere suspicor, vt sit puerulorum gerula: atque vt onerariam nauim gerariam vocauit, item quoque infantium gerulam appellauit gerariam. scio non deesse acerrimi homines & eruditissimi iudicij, qui cellariam depositio pignore scribendum contendant, sed illi si ita eis placet legant, suumque pignus auferant. Ait, *tum patricam clementer non potis est hinc quin munerem*, hic patritam vidi qui legeret, quod verbum concinit versus modulo, cùm patrica dissonet: eo autem nomine veniet ancilla à patre data.

Plaut. Milit. Sc. Ni hercle.

Plaut. Milit. Sc. Mihi ad enar.

Plaut. Milit. Sc. Cohibete intra limen.

Plaut. ibid.

Plaut. ibid.

data. vt enim auita dicuntur quæ ab auo obuenerunt: sic patrita quæ à patre, quod haud parum ingeniosè excogitatũ arbitror: recordor me etiam patricam pro patricia explicauisse, alterius loci adductum auctoritate: sed tum ad fulciendum versum scribendum, *quin ego munerem*. *Adducunt*, inquit, *ad exta*: sacrificiorum exta intelligit, quæ & exta lustralia Maro vocat, quorum partem dijs reddebant, partem in epulatione comedebant & consumebant. sacrificijs porrò adhibebantur chariſſimi. quod autem ait *meo remigio rem gero*: hunc sensum continet, illis velint nolint parandum est, cùm mei sint. alijs enim fortasse remigibus imperare quod vellem inuitis non possem: nunc verò meis remigibus & seruis rem gero, qui mihi dicto audientes esse coguntur. At dimidiatim appetũt, est appetunt grandes bolos, propè dimidiãtes quod appositum ferculum est. non enim manum ad bucceam inijciunt, sed vt dimidium auferãt. Idem admutilari militem dicit, quod est tonderi, pereleganter, pro falli & sycophantia versuta deludi. *Lautam*, inquit, *vis, an quæ nondum sit lauta?* Id valet vis admodum puellam & adolescentulam tenerioremque, quæ nondum balneis vtatur, an grandiusculam & matronam nuptamque & virum sæpe expertam, quæ iam publicè lauet. *Siccam*, inquit, *succidam*: volo, inquit, quę nondum lauet, sed sicca sit, quæ tamen sit succulenta & bene habita: hoc autem eo est lepidius, quòd alluſum est ad lanam, quæ illota succida est: lauta, iam non succida. *Dimisit*, inquit, *nardini amphoram cellarius*: ita loquitur, quòd quemadmodum in libro de Odoribus à Theophrasto scriptum est, solebant antiqui vinum interdum aromatis & vnguentis condire: quod quidem & alio recordor loco me dixisse. Farrago hæc quædam est ex vna segete collecta.

Plaut. Milit. Sc.

Plaut. Milit. Sc.

Quantas res.

Theophrast. de Odorib.

Barbarius Philippus. CAPVT VII.

BARBARIVS *Philippus*, inquit Vlpianus, *cùm seruus fugitiuus esset Romæ præturam petijt, & prætor designatus est. sed nihil ei seruitutem obstitisse, ait Pomponius, quasi prætor non fuerit. atqui vera etiam prætura eum functum.* hæc ego cùm legissem, historiam mihi esse quęrendam putaui, & tempus quo id factum fuisset. Reperi autem triumuiralibus hoc accidisse temporibus, atque hunc Philippum vnum è sodalibus & competoribus Antonij triumuiri fuisse. quod verba declarant nescio cuius antiqui scriptoris à Suida relata, quæ & subscripsi Βάρβιος φιλιππικὸς, οὗτος ὅτι τῶν πρίων τυράννων ἦρχε θέσει δὲ ἰῶ τὸν τρόπον ᾧ κολακικὸς, ᾧ μέντοι ᾧ τῷ περὶ Αντώνιον γιάσῳ καλείλεκτο, ᾧ τῳ τραληγικῳ ἀρχῳ ἦρχε τῳ ἐκείνῳ χάειν. τοτόνδε ἓν τὸ τότε ζοβαρὸν ᾧ πορφυρᾶν τῇ πιμῇ, ᾧ ἐν ἀγορᾷ τῇ ῥωμαίων ὑψηλὸν διάγουλα ᾧ δικάζουλα ὁ δεσπότης ἀνεγνώρισεν ἐλθὼν, πρότερον μὲν ἐποδράντα, ἐν ἐκείνῳ δ' ὠνυχμρᾶ πομπεύουλα ἀνδρὸν ᾧ

Suidas.

Cap. 1. ff. de offic. prætor.

ϗ κυδρύμμον, ϗ σωὶ τῇ ἀρχῇ θρυπτόμμον. ϗ προσελθὼν ἡ Συχῇ κατόπιν θοιματίϣ λαβόμμος, χαῖρε εἶπε, τὸ ὄνομα προσδεὶς τὸ ἀρχαῖόν τε ϗ δῆλον. ϗ ἐκεῖνος ἐκπλήττεται ῥᾳδίως τ δεατόπλω γνωρίσας, ϗ δεῖται σιωπᾶν. ϗ εἰς τὰ οἰκεῖα ἄγει, ϗ καταβαλὼν πάμπλειςα, εἶτα μένοι ἑαυτὸν ἐλύσατο. ϗ αὖδοῖ Αντωνίϣ τῇ κηλῖδι τῇδε σιγὴ καλεχύθη ἀργυρώντος. ἔκρινα δὴ ϗ ταύτλω τ τύχης μὴ σιγῆσαι πλὼ παιδιάν. ferè censeas ista ab Æliano scripta esse memorabilia & varia exempla colligente. Fugitiuum autem eum fuisse à suo agnitum hero cùm sublimis in foro Romano ius diceret, & lacinia togæ prehensum fuisse narrat, & tanquam ei manum à domino iniectam ad vindicandum mācipium: eum tamen à Philippo precibus eblanditum siluisse, remque tacitam habuisse: & domum ductum magna pecunię vi numerata in manum, libertatem indulsisse fugitiuo. Antonius autem, quanto suffusus fuisset, si id resciuisset, pudore tantæ maculæ & flagitij? an non obsecro, iussisset, vt se quamprimum homo ille ære emptus magistratu abdicaret? An non de saxo tarpeio statim eum præcipitandum curasset? cùm præsertim vna ratio purgandæ ignominiæ esset, re comperta hominem eo magistratu quem dedecorabat, abire iubere, & supplicio afficere: verùm empto silentio tota res ignorata fuit.

Aelian. in var. histor.

Iuno lucina, nixij dij, nixus pares, Bona copia, Bubastis.

CAPVT VIII.

A PARTVRIENTIBVS Iuno Lucina olim inuocabatur, quæ & Ilithya à Græcis appellabatur:

Ouid. 9. Met.

—*vocabis*, inquit Ouidius,
Præpositam timidis parientibus Ilithyïam.

Inuocabant etiam, vt opinor, & nixios deos, nixuum in puerperio adiutores. Festus, *nixij dij appellantur, tria signa in Capitolio ante cellam Mineruæ genibus nixa, velut præsidentes parentium nixibus.* hęc ego Festi verba animo penitus comprehensa cum memoria tenerem, facilè mihi probaui quod in bibliothecis vetustis reperi apud Ouidium verius & sincerius esse, quam quod in recentibus patet,

Festus Pōp. li. 12.

Ouid. 9. Met.

—*tendênsque ad cœlum brachia, magno*
Lucinam, nixúsque pares clamore vocabam.

pro quo editum est *Lucinam ad partus nexos*. nixus enim pares partui inuocasse videtur, vel nixios deos implorans, vel ab eis nixus ad puerperium precibus petens. venerabantur & matronæ opigenam Iunonem, quod ferre eam opem laborantibus in partu crederent. est in eodem libro bona copia abundantiæ dea quæ cornu Amaltheæ vel Acheloi gerit: eaque dicitur ratione, vt bonus euētus: & apud Catonem & Plautū bona salus, quæ

Cat. cap. 141.

quæ ad Euphemismum sic ficta sunt. Nam & à Flacco scribitur,

Horat lib. 2. sat. 2.

—*mala copia quando Ægrum sollicitat stomachum.* Ouidius autē ita scribit,

Ouid. 9. Met.

—*diuésque meo est bona copia cornu.*

(quanquam & copia sine additamento dicitur, vt cornu copiæ) sic eiurare bonam copiam qui soluendo non erant solebant, ne necterentur, cùm iureiurando affirmabant sibi non esse vnde æs alienum dissoluerent. Cùm autem de Isidе quæ in somnis erat obuersata Telethusæ vxori Lycti Ouidius scribit, in eius comitatu numeratur *sanctáque Bubastis*, quo nomine censetur vrbs Ægypti: sed cùm habeat nomen vt auctor est Stephanus, à fele: & Aegyptij inter suos prodigiosos deos feles etiam colerent, haud equidem cunctabor ælurum deum intelligere: ælurum autem fuisse Aegyptijs deum ex Herodoto licet cognoscere, & Iuuenale:

Ouid. ibid.

stephanus.

Herodot. lib. 2.

Iuuen sat. 15.

Illic Æluros, hic piscem fluminis:

sic enim Brodeus vir eruditus legendum censebat, non ceruleos, si quis ei assentiendum putet. sed & in comitatu Isidis erat, cùm vt scribit Plutarchus, in summa sistri aspide sculptus esset. eius verba sunt: τῇ δὲ ἀψῖδι τῦ κέρως ϗ κορυφὴν ἐντορεύσιν ἄιλυρον ἀνθρώπω προσωπον ἔχουσα. Puto tamen deum potius ælurum, vt & Anubin & Apin, quàm illam sistri sculpturam significari. Cùm autem addit Ouidius,

Plutarch. lib. de Iside & Osiride.

Plenáque somniferis serpens peregrina venenis:

Ouid. 9. Met.

aspidem intellexit Ægypti indigenam, alijs terris peregrinam vt Cretæ, & insolitam. hypnalis enim aspidis genus est, homines somno altissimo enecans. nec enim approbare possum eorum interpretationem, qui in pompa sacrorum Isidis gestari serpentem dicunt, qui dormire videretur. Hæc ego qualiacunque sint, malui scribere, quàm prætermittendo alicui relinquere illis in locis vllius erroris causam aut obscuritatis.

Venerata Ceres apud Flaccum, mutatum vinum, Græcari, prima tellus.

CAPVT IX.

QVÆSITVM de me aliquando recordor, quid apud Horatium esset,

Horat lib. 2. sat. 2.

Et venerata Ceres, vt culmo surgeret alto,
Explicuit vino contractæ seria frontis.

& vt verum fatear, non satis in præsentia quicquam ad enodandum tam implicatum sensum succurrebat: tamen similis illis qui nulla in re hærēt, & celeritate respondendi ad omnia, emunt doctrinę famam, ego quoque ex tempore aliquid garrij & effutij: Nunc re apud me diutius & accuratius exacta & excogitata, sensum euoluere è suis tegumentis, quibus velut obductus est conabor. Significari igitur libationem puto, qua antiqui

post

post epulas vti solebant. Nam pateram tenentes, ex ea aliquid in honorem Dei, vt hic rusticus in honorem Cereris, venerantes precantesque fundebant: deinde bibebant, inuitatioque fiebat. hic ergo colonus ait se cum suis conuiuis veneratum Cererem, vinum post cœnam bibisse, & contractæ frontis rugas vino explicasse. —*culpa*, verò, *potare magistra*, excogitatum erat ludi genus post cœnam, quo non magistri imperio ad bibendum cogebantur, ne nimium ebrietati indulgeretur: sed vt ea coërceretur, nemo nisi qui qua in re peccarat, calicem ducebat: vt bibere pœnæ & dedecoris esset, non inuitationis aut magisterij. Plauto in Sticho qui peccat poculo multatur.

Horat. ibid.

Vter, inquit, *demutasit poculo multabitur.*

Plaut. Stich. Sc. Agite ite.

Legitur & in Flacco cuppa, quod vas est potorium vernaculæ linguæ etiã vsurpatum pro patera, & in epigrammate, *Sunt cuppæ, calices, cyathi*: quam scripturam ingeniosissimus & doctissimus interpres Lambinus sequitur. vt libertatem bibendi accipiamus poculo imperante, non bibendi arbitro. poculum enim non cogit nisi volentem, cùm magister inuitum potare cogeret: cuppam etiam Porphyrio videtur agnoscere. In eadem ecloga, *Ac nisi mutatum parcit defundere vinum*, cùm dicit, vinum à Græcis ἐκτροπίαν vocatum & τροπίαν circunloquutus est. ita autem intelligitur vinum vapescens & degenerans exolescensque, & in acetum aut vappam transiens. ibidem Græcari esse reor Græcanicis exercitationibus disci & pilæ alijsque Græcorum nationi vsitatis vti. Eas enim militiæ Romanæ opponit, id est militaribus exercitationibus. Scribit enim, —*vel si Romana fatigat Militia assuetum Græcari*: mox duas Græcorum subiungit exercitationes, discum & pilam, —*seu pila velox: Seu te discus agit.* id est, siue delectaris lusu pilæ seu disci.

Porphy. in sat. 2. lib. 2. Horat. Horat. ibid. Horat. ibid. Horat ibid.

Horat. ibid.

Cui canis, inquit, *ex vero ductum cognomen adhæret.*

hunc arbitror propter sordidam immundamque vitam esse canem appellatum: sed & Cynici non tantùm quia obuios allatrabant, sed etiam ob vitam illiberalem ab humanitate remotam & munditia appellabantur in Græcia. Cùm autem ait, —*tellus me prima tulisset:*

Horat. ibid.

cuipiam fortasse videatur significari tellus illa, quæ antiquorũ ætate erat, non tellus seculi Horatiani. nec culpari fortasse is sensus possit. Sed tellus prima videtur esse, quæ è chao prima ante elementa omnia, etiam ante cœlum (si Hesiodo in theogonia credimus) extitit. Sic alio loco Maro,

Hesiod. in Theogon. Virg. 4. æneid. Virg. 1. Georg.

—*prima & tellus & pronuba Iuno Dant signum.*

& lib. 1. Georgicon, —*tuque ô cui prima frementem Fudit equum magno tellus percussa tridenti.*

Etsi enim in Attica hoc factum fuisse legimus, quam antiquissimam terram

ram indigenarum altricem audiuimus: tamen absolutè de terra accipiendum existimamus, cui primatus originis tribuitur. At libro tertio,

—*quæ vos à stirpe parentum, Prima tulit tellus*, aliter exponitur & rectè: posset tamen etiam eodem sensu commodè conseruari.

Virg. 3. æneid.

Poscere membranam, scalprum, consulere & respondere licebit, fasciolæ, cubital. CAPVT X.

POSCERE membranam ille videtur, qui ea scripsit, quæ in membranam efferenda sint, nec retinenda in aduersarijs, aut palimpsesto, nec delenda sint, sed edenda, & hominum lectioni cõmittenda. *Sic*, inquit apud Flaccum Damasippus, —*rarò scribis, vt toto non quater anno Membranam poscas scriptorum quæque retexens.*

Horat lib. 2. sat. 3.

Reprehendit enim Horatium, quòd quæ scribebat retexebat omnia, aut delebat: neque quicquam eorum dignum membrana putabat, & hominum lectione. scribitur eadem ecloga,

Dum ne quid simile huic, esto vt lubet:

Horat. ibid.

in quo obliquè quidem & acriter tamen perstringitur Damasippus vt insanus: vt & alio loco, —*qui tibi nomen, Insani posuere:* quo cognomine vulgò notabatur, vt apparet cùm inquit,

Horat. ibid.

Dixerit insanum quis me, totidem audiet.

Horat. ibid.

Morsum autem persensit, Horatiumque vlciscitur, & de stultitia insaniaque differit. *Si scalpra*, inquit, *& formas*. scalpra sunt, quas Græci σμίλας vocant, ferramenta sutoria primore parte curua, & à flexu procurrentia acie recta, quibus corium secant: sed & à similitudine in falce vinitoria pars illa quę sic acie est recta post sinum curuum scalprũ vocatur à Columella: *quæ*, inquit, *à flexu procurrit, scalprum*. nomen adeptum est à scalpendo. eo enim commodius sic post flexum procurrẽte quàm directo scalpi potest.

Colum lib. 4. cap. 25.

Ac potius, inquit, *foliis parcus vescatur amaris.*

Horat. lib. 2. sat. 3.

puto hic significari olera agrestia, quæ amariora sunt quàm vrbana: vt omnia siluatica. nam cultu & irrigatione proficiunt atque mansuescunt.

Non est periurus, neque sordidus: immolet æquis

Horat. ibid.

Hic porcum laribus. Si, inquit, non est auarus (nam auari studio rei augendę, quacunque ratione peierant & sordidissimè viuunt) rem diuinam dijs laribus porco faciat, qui ei talem insaniam non immiserunt. nam à laribus laruæ, à laruis furiosi insaniique vocãtur. nomen iurisiurandi etiam veteres posuisse in execratione videntur: vt Seruius Oppidius apud Flaccum execrans natos si præturam aut ædilitatem peterent, eos se dicit obstringere iureiurando. Ita autem scribitur, —*iure*

Horat.ibid. *Iurando obſtringam ambo, vter ædilis fuerit, vel*
Veſtrûm prætor, is inteſtabilis & ſacer eſto.

Concipi tamen videtur iurisiurandi formula, in quam iuraturi erant eius filij: & iureiurando execratio addi ſolebat, vt dira deteſtatione ſanctius redderetur. *Ergo*, inquit, *conſulere & mox reſpondere licebit.* Hic Flaccus imitatus eſt venuſtè iuriſconſultos, & eorum conſultores: qui enim ad eos adibant dicere ſolebant, licet conſulere? Cicero pro Muræna, *itaque non modo beneficij collocandi ſpem, ſed etiam illud quod aliquando fuit, licet conſulere? iam perdidiſtis.*

Horat.lib.2. ſat.3. *Hunc circuntonuit gaudens Bellona cruentis,*

valet, hic inſanus & furioſus eſt, ἐμβρόντητός ἐστιν, vt Græci dicũt, id eſt, attonitus eſt. nam tonitru homines de ſtatu mentis & prudentia deijciuntur.

Horat.ibid. *—ponas inſignia morbi, Faſciolas, cubital, focalia:*

hoc ego explano de hominibus, qui morbo laborarunt, quo liberati refocillatis recuperatisque viribus, ponunt faſciolas, quibus crura obuoluebant, ponunt & cubital, quod eſt brachiale, Græcis περιβραχόνιον appellatum: vt enim faſciolæ crurum ſunt, ita cubitalia tegmenta ſunt brachiorum. abſque morbo enim faſcijs crura pedesque inuoluere, viris indecorum erat, molleque & muliebre cenſebatur. Cicero in Clodium, *tunc cùm vincirentur pedes faſcijs, cùm calanticam capiti accommodares.* Focalia autem operimenta colli & faucium ſunt. Plutarchus de Demoſthene, ᾧ μεθ' ἡμέραν εὖ καλῶς ἐρίοις καὶ ταινίαις καὶ τῷ περαχήλει κατειλιγμένος. Fabius, *Palliolum, ſicut faſcias quibus crura veſtiuntur. & focalia & aurium ligamenta, ſola excuſare poteſt valetudo.* Apud Fabium autẽ, vt interim hoc dicam, aurium ligamenta eſſe videntur, quæ à Græcis ἀμφώτιδες appellantur: ſed in Græcia pugilibus tribuebantur & luctatoribus. Obſeruãdum autem arbitror eſſe, Flaccum in percontatione particulis ſua ſponte interrogãtibus, quis & quantus, addere ex ſuperuacuo etiam interrogatricem particulam, ne: vt, *Quóne malo mentem concuſſa?* id eſt, quo malo: & *quantáne?* id eſt, quãta?

Apud Non. in Calantica. Plutarchus in Demoſt. Quintil.lib.11. cap.3. Horat.lib.2. ſat.3.

Populus tributus, tribulis, ioculariter, tergeri, ſtingui, Lucretius emendatur. CAPVT XI.

LICENTER errabimus per ſcriptores hoc capite, & quæ memoria ex illis ſuggeret adſcribemus: quo ſi quis errore fatigatus vſquequaque ſequi recuſabit, in proximo diuerſorio moretur: ſcribit Flaccus,

Horat.lib.2. ſat.1. *—atqui Primores populi arripuit, populumque tributim:*

quo verſu ſignificat ſummos & infimos à Lucillio ſtili ſatyrici acerbitate vulneratos fuiſſe: ſed cùm primores dixerit, & plebem ſignificare proximo

ximo cæſo debuerit, haud inuitus ſcripturæ accedo, quam in quodam exemplari reperi *populumque tributum.* tribus enim ignobiliorum erant: qui ſenſus etiam efficietur tributim legenti, etſi non tam cõmodè reſpondebit. Vtraque certè ſcriptura patronos habet, vna Porphyrionem, altera Acronem. Ergo ſic illud tributum amplector, vt tamen tributim non omnino aſperner, nec improbem. Plinius quoque vt quodam loco docemus, tribus pro pauperioribus dixit, & eadem notione à Flacco conuiua tribulis appellatur, non diues. Vbi M. Tullius in ſomnio Scipionis ita ſcribit, *homines enim populariter annum tantummodo Solis, id eſt vnius aſtri reditu metiuntur:* eruditi homines, quique diligentem nauarunt ſedulamque operam in emendandis editionibus vitiatis, aiunt in chirographis fugientibus extare ſcriptum: *homines enim loquelariter annum*: quod vocabulum flocci non eſt, & puritatem orationis Latinæ caſtitatemque cõtaminat. ſed cùm ferè in vicinum quendam ſonum deerrare ſolerent librarij ſcribę: ariolari ſubijt à Cicerone ſcriptum fuiſſe *homines enim ioculariter*: vt dicat nec veram, nec ſeriam, nec accommodatam: ſed fictam & iocularem & ineptam eſſe anni vertentis ab hominibus excogitatam & receptam definitionem. quod quidem perbellè, niſi me meum ſomnium ludit, ſenſui conueniet, & illuſionis non illepidam habebit ſpeciem. Locus iſte quendam Lucretianum è quarto libro in memoriam redegit, in quo cùm planè & explicatè non eſſet ſcriptum tergeri, ſed iergiri, manum literas malè effingentem ſequutum eſt correctorum ineptum commentum, iaculari. Nam ſic verſus ille vulgò editur: *Nam certè iacere ac iaculari multa videmus.* ego corrigo, *nam certè iacere ac tergeri multa videmus.* tergeri autẽ eſt, quod Græcè ῥύπλεσθαι dicitur: quo illud modo ab Ariſtotele ſcribitur, ἔστι δὲ ὀσφρητὸν ἐχ ἧ διαφανὲς, ἀλλ' ἧ πλυτικὸν ἢ ῥυπλικὸν ἐγχύμου ξηρότητος. Simile eſt & illud eiuſdem, οἷον ἀποπλυνόμενον τὸ ξηρόν. Tergeri igitur illa dicuntur à poëta, de quibus detrahitur, tollitur, libatur, deraditur, recedit, effluit aliquid: idque more Græcorum dixiſſe Lucretium, vt alia multa, crediderim. retro ad primum recurrẽdum librum, in quo maſſare verbum infandum Lucretio, neque ei vnquam eloquendum adſcripſerunt, cùm muſare reperiſſent in manuaria ſcriptura: ſtingui quoque violatum, & in ſtringi deprauatum eſt, contra teſtationem codicum antiquorum: ſcribendum itaque eſt,

Porphy. & Acron. in Horat.ſat.1 lib.2. Plin li.19.c.4. Horat.lib.1. epiſt.13. Cic.in ſomnio Scipionis. Lucret.lib.4. Ariſtot. Ariſtot. Lucret.lib.1.

Quod ſi fortè vlla dicunt ratione poteſſe
Ignes in cœtu ſtingui, mutareque corpus:

hoc ſenſu, ſi dicant ignem denſatum & concreſcentem, ſolidioraque corpora ex ſeſe procreantem extingui, & mutari, neque iam ignem eſſe, hanc accipient plagam, principia funditus interire, & ad nihilum occidere, &

ex nihilo res creari & oriri. Quod autem vir eruditiſſimus collega meus & omni liberali doctrina ornatus Lambinus obſeruat in priſcis libris ſcribi, *ſcilicet ex vlla facere id ſi parte reparcent*: quod & ipſe quoque reperi, niſi de mendo ſuſpectæ ſunt editionum origines, reparcere, vt recludere, dicetur ex contrario ſenſu, id eſt non parcere: ſed cum Baptiſta è veteribus bibliothecis reporcent proferat, ſi repoſcent huc inducamus, fortaſſe non culpabimur, cùm præſertim duci in libris antiquis plerunque longiuſculo cruſculo r ſoleat ſibilantem literam æmulante. non malè tamen receptent editur. non me latet etiam porcere veteribus eſſe prohibere, quæ notio hic non conuenit: fortaſſe etiam illud reporcent in reportent mutari poteſt. hic elicere malumus aliorum ſententias quàm noſtram ſine dubitatione pronunciare.

Lucret. ibid.

Quod te poſtules, tragulam decidere, verſis gladijs pugnare, verſis armis, percidere os, catulus, cor lienoſum. CAPVT XII.

TRISTITIA ſtudiorum lectione fabularum & tanquam ſpectaculo amæno leuanda & diſcutienda eſt. Inter legendum igitur animi cauſa Caſinam Plauti hæc annotaui. in prologo non Clerumene, ſed Clerumenœ arbitror ſcribendum, cùm ſortientes interpretetur, qui κληρώμενοι Græcè vocantur: quin & Clarumenœ libri antiqui planè integreque exaratum habent, Dorica conſuetudine, cui Latinum os aſſueuerat in multis. ſed & reperi, *poſt autem niſi ruri tu aceruum ederis*: quod eſt niſi vt mures de frugum aceruo viuas rodendo. *aut quaſi lumbricus terram, quod te poſtules guſtare quicquam*, breuitate orationis dicitur, è populari ſermone comico vſurpata: vbi, non eſt, ſubauditur: quo eodem ſupplemẽto in Milite opus eſt cùm ſcribitur, *Quod ille gallinam aut columbam ſe ſectari aut ſimiam dicat*, ſententia eſt, non eſt quod ille dicat, ne hanc accipiatis excuſationem. erat & hoc genus loquendi iuris formulis & edictis vſitatum. Cicero in Verrem, *Quod ciuis cum ciue agat, domi certet ſuis legibus: quod Siculus cum Siculo non eiuſdem ciuitatis, vt de eo prætor Iudices ſortiatur.* Iterum, *Quod priuatus à populo petit, aut populus à priuato, Senatus ex aliqua ciuitate, qui iudicet, datur.* id eſt, ſi quid priuatus à populo petat, ſi ciuis ciui actionem intendat. *ego iſtam aliquouerſum tragulam decidero*: hoc ductum eſt ab illis tragulis, quæ tormentis mittuntur, & atrociter ſauciant, ac plerunque ſcutum aut corpus tranſuerberant: vnde & tragularij dicti, qui eas è tormentis iaciunt, apud Vegetium. Ea igitur vbi corpus tranſuerberauit, quomodo extrahatur ſæpenumero dubitatur: ac plerunque non tam retrahenda eſt metu magni doloris & profuſionis ſanguinis, quàm hinc vel inde decidenda,

Plaut. Caſina. In Prolog.

Plaut. Caſina. Sc. Non mihi. Plaut. ibid.

Plaut. Milit. Sc. Ni hercle.

Cic. 4. in Verr.

Cic. ibid.

Plaut. Caſ. Sc. Vt illum dij.

Veget. lib. 2. cap. 15.

cidenda, vt è vulnere ſic cum minore noxa recipiatur. Quanquam & de tragula, quæ manu mittitur etiam accipi poteſt. at verò, *vorſus gladijs depugnare*, eſt micantibus & rotatis enſibus dimicare. obſeruant & literati verſis armis pugnare eſſe mutatis armis. Caper Grammaticus, *inuerſis armis pugnaſſe gladiatores non eſt dicendum, ſed verſis, id eſt, tranſmutatis: ſic non inuerſis pannis agitaſſe aurigas, ſed verſis. percide tu os* legendum, quod eſt batue, tunde. Nam præcide aliud eſt, & turpitudini affine: imò verò obſcænius simum: ſic *os tibi perciſum* in Martiale legẽdum eſt, non vt obtinet præciſum. Canem autem ferre, eſt vinctum eſſe: ſic catulum vel catellum ferreum alio loco dixit per diminutionem: eodem modo Græci σκύλακα vocant. Pollux, δεσμὸς μόνοι σιδηροῦς ἢ σκύλαξ. Cor *porrò lienoſum* comicè & ioculariter ridiculeque dicitur, pro morboſo: cùm tamen morbo lienis cor tentari non poſſit. ſed quem corporis eſſe ſcimus, eundem cordi etiam morbum adſciuit. alio loco lienem dicit ſeditionem facere, præcordia occupauiſſe, niſi fallor, quod & ad hunc locum enodandum pertinet. Acheruntem aduerbium ad locum eſſe in eadem Caſina comperi: *hunc Acheruntem præmittam prius*: vt Acherunti, in loco: vt in Captiuis, *quæ Acherunti fierent*. Loliguncula hordeias ſenex ruſticus, qui pulchrius nihil frugibus cenſeret, pro pulchris ineptè dixit & putidè: quo in vocabulo mox à ſeruulo reprehenditur: *Imò*, inquit, *triticeias*. accedit quòd ipſa verborum forma idiotiſmum ruſticum ſapit: triticeas enim formandum erat, non triticeias, & hordearias, non hordeias. *Cur vituperat mihi omen*, eſſe videtur, cur vitiat & inauſpicatum reddit conſeruum pulſando. *noſtro omine it dies*, eſt proſperè & auſpicatè feliciterque: omen eſt noſtrum & auſpicium, non aduerſariorum: vt & apud Maronem,

Me ſi fata meis paterentur ducere vitam
Auſpicijs, & ſponte mea componere curas.

Virg. 4. æneid.

has quiſquilias colligebam & friuolas gerras è comica ſcena, quas, vt non fructui crediderim, ita certè voluptati lectoribus optarim potius eſſe, quàm ſperarim.

Plaut. Caſina. Sine modo. Plaut. Captiu. Sc. Vidi.

Plaut. Caſ. Sc. Sine modo.

Plaut. Caſ. Sc. Face Chalin.

Plaut. Caſ. Sc. Sine modo rus.

Omentum in ſacris, mola ſalſa, exta, exta luſtralia.
CAPVT XIII.

VETERVM ea in ſacrificijs conſuetudo erat atque ritus, vt quas hoſtiæ partes adolerent, eas omento & adipe operirent, vt facilius arderent, pinguitudine ignẽ alẽte. Itaq; id eſt quod ab Homero ſcribitur, κατά τε κνίσσῃ ἐκάλυψαν, quod eſt adipe operuerunt & obduxerũt: & quod ſubdit δίπλυχα ποιήσαντες, enarrant, διπλώσαντες τὼ κνίσσω. νυῦ δ' ἐ λέγει 'θτί πλοω. Ita de omẽto interpretantur. hinc ſole clarius efficitur illud Perſij,

Homer. Iliad. a.

Pers. sat. 2. *Tot tibi cùm in flamma iunicum omenta liqueſcant.* & Catulli,

Catul. in Cell. *Omentum in flamma pingue liquefaciens.*

Molam ſalſam, qua ante ſacrificia hoſtia conſpergebatur, interpretantur

Feſt. lib. 11. ferè omnes fruges molitas: atque ea eſt Feſti ſententia veriſſima: Græci tamen fruges integras nec freſas nec molitas aſpergebant hoſtiæ. argumento eſt quod ὅλαι à Græcis & ὁλοχύται vocantur, quæ erant hordei integræ fruges cum ſale mixtæ. Horatius expreſſit cùm ſcripſit,

Horat. lib. 3. od. 23. *Farre pio & ſaliente mica,*

quod eſt ſalis grano ſaliente, & farre, ſed molito tamen. & Maro,

Virg. 12. æneid. *Dant fruges manibus ſalſas.*

Theophraſtus. Græci autem, vt Theophraſtus ſcripſerat, hordeo non molito in ſacris in priſcæ memoriam vitæ vtebantur, in qua homines nondum molere fruges, ſed ſolidis veſci ſolebant. Eſt igitur mola ſalſa tanquam molitura ſalſa, vt molæ qua frumenta franguntur nomen molito farri tribuatur. In ſacrificijs primùm hoſtiæ partem adolebant, & exta coquebant, eisque veſcebantur: deinde ex alijs viſceribus poſtea epulabantur, id quod ex Homero perſpici facilè poteſt, ita ſcribente,

Homer. Iliad. 1. —νέοι δ' ἐπαρ' αὐτὸν ἔχον πεμπωβόλα χερσὶ

nam quincuplex illud veru craticulæ ſimile tenebant exta torrentes. ſequitur enim mox,

Homer. ibid. Αὐτὰρ ἐπεὶ κῆρ μῆρ' ἐκάη, καὶ ἀπλάγχν' ἐπάσαντο.

quo quidem ſignificat exta tum cocta fuiſſe, & comeſa eſſe cùm coxæ in deorum aris vrebantur. Reliqua poſtea viſcera aſſabant ad reliquam dapem: Homerus,

Homer. ibid. Μίσυλλόν τ' Ἄρηα τ' Ἄλλα, καὶ ἀμφ' ὀβελοῖσιν ἔπειραν.

In Herculis ſacro idem Liuius declarat à Romanis fieri ſolitum, cui Græco ritu res diuina fiebat, his verbis,

Liu. lib. 1. ab vrb. cond. *Fortè ita euenit, vt Potitij ad tempus præſto eſſent, ijsque exta adponerentur, Pinarij extis adeſis, ad cæteram venirent dapem.* hæc tamen Maro de eodem Herculis ſacro loquens confudit, non tam vt reor voluntate, quàm carminis lege, qua coacti interdum poëtæ res & tempora non ſatis diſtingunt: ſed adſcribamus eius verſus,

Virg. 8. æneid. *Veſcitur Æneas ſimul & Troiana iuuentus*
Perpetui tergo bouis, & luſtralibus extis.

Cùm autem extorum Maro mentionem fecit, hoc ipſo participes ſacrificij intellexit & ſignificauit: nam qui à ſacris arcebantur, ijs de extis guſtare nefas erat, vt homicidis: Ariſtophanes,

Ariſtophanes. οὐκ ἔστιν ὅπως οὐχὶ τεθνήσει, κρὺν ἀπὸ σπλάγχνων μ' ἀπέχεσθαι. Sed cur luſtralia appellauit Maro? vtrúmne quod pinguia? cùm peracto luſtro cenſores opimas & pingues eximiasque victimas immolarent? an verò quòd de quinquennali eſſent boue. Ego has inter-

interpretationes exquiſitiores quàm veriores crediderim: ac luſtralia dicta putauerim, vel quòd primus Hercules poſt Caci cædem ad aram maximam facto ſacro ſe purgauerit & luſtrauerit: vel potius quòd cùm omnia nos ſacra luſtrent & purgent, extorum eſu id maximè conſequimur, & ſacrificiorum participes ſumus, à quibus impij arcentur. Itaque ſolemnia omnia exta eam vim habere putabantur: quæ autem hic luſtralia exta Maro dicit, Liuius ſolemnia nominat, ob ſolemne ſacrificium.

Natalitium, Ææa Circe, fruges libare, ſacrum crinem paſcere, indigenæ Fauni. CAPVT XIIII.

OLIM die natali dona miſſitari ſolebant ab amicis & notis: inde Perſius ſcribit, Perſ. 1. ſat.

Et natalitia tandem cum Sardonyche albus.

Cenſor. de die Natali. Et Cenſorinus ſuum de die Natali librum, quem ad Cerelium ipſius natali mittit, natalitium vocat: *quodcunque*, inquit, *hoc libri eſt meis opibus comparatum, natalitij titulo tibi miſi.* quo quidem natale munus ſe miſiſſe intelligit. ſed vt quicque in buccam veniet, huic capiti mandabimus. vnde Ææa Circe dicatur à Marone noſtri Grammatici exponunt, nec tamen Virg. 3. æneid. quod afferunt ſatis mihi probant. Ego Maronem Homeri exemplo eam ita vocaſſe puto. Homerus enim ſcribit,

Homerus. ὡς δ' ὅτε κίρκη καλεφήτην ἐν μεγάροισιν
Αἰαίη δολόεσσα.

Erat igitur Æa ad Phaſin amnem peninſula, vt Græci ſcribunt, metropolis Colchorũ, vt ſit Ææa Colchica: atque eiuſdem nominis etiam erat inſula Circes. Ææ Colchorum ſic Herodotus meminit libro primo,

Herodot. lib. 1. καταπλώσαντας γὰρ μακρῇ νηῒ ἐς Αἰάν τε τὴν κολχίδα, καὶ ὅτι φᾶσιν τὸν ποταμόν.

Tibul. lib. 1. eleg. 1. *Et quodcunque mihi pomum nouus educat annus,*
Libatum agricolæ ponitur ante deum.

Tibullus cùm ait, ex antiquorum pietate dixit, qui frugum & fructuum primitias dijs immortalibus libare conſueuerant, nec ante guſtare, quàm dijs conſecraſſent. Cenſorinus, *Itaque cùm perceperant fruges, antequam veſcerentur, dijs libare inſtituerunt.* Cenſor. de die Natali.

Virg. 7. æneid. *Te luſtrare choro, ſacrum tibi paſcere crinem:*

hanc enim operam talorum eſſe putes caſum, aut aleę iactum varia iacientium: ſed tamen quod Maro ait eam Baccho crinem ſacraſſe & nutriſſe, Virgil. ibid. id ex antiquorum ſuperſtitione dictum eſt, qui hoc dijs facere inſtituerãt, pro ſoſpite ſecundaque valetudine. Cenſorinus, *Quidam etiam pro cætera bona corporis valetudine, crinem deo ſacrum paſcebant.* quidni enim Maronem Cenſor. de die Natal.

interpretari videatur cùm eius verba vsurpet? à Varrone liber erat compositus de numeris nomine articulus, ex eo quod veteres manuum articulis computare consueuerant, cumque digitos decem habeamus, qui & articuli interdum vocantur, non temerarium est quod Arithmetici numerum qui decurijs continetur, articulum vocant. id enim ratione faciunt.

Virg. 8. ænid. *Hæc nemora indigenæ Fauni Nymphæque tenebant.*

Etsi hoc de dijs illorum locorum dicitur, cùm tamen eos indigenas dicat, ad eorum sententiam respexit qui autochthonas, id est aborigenes & terrigenas se censebant, vt Athenienses, Argiui, Arcades, Thessali. Censorinus hoc confirmat: Censor. de d. Natali. *Denique*, inquit, *hoc etiam vulgò creditum est, vt plerique genealogiæ auctores sunt, quarundam gentium, quæ ex aduentitia stirpe non sint, principes terrigenas esse, vt in Attica & Arcadia, Thessaliáque, eósque autochthones vocitari. vt in Italia poëta cecinit, Nymphas indigenásque Faunos nemora quædam tenuisse, non difficilè rudis antiquorum credulitas recepit.*

Habete cum porcis & fiscina, hospes Zacyntho, lares viales, fortuna hera, lien seditionem facit. CAPVT XV.

SI quis me fortè roget, quid apud Plautum ille sibi versus velit,

Plaut. Mercat. Sc. Ad patrem. *Iam obsecro vobis hercle habete cum porcis cum fiscina:*

Respondeam mihi videri eum lusisse vt in scropha, quam vel abalienamus sæpenumero, vel cedimus cum suo fœtu, & fiscina, qua sordes & stercora haræ efferimus: ac proinde perinde esse ac si nihil quicquam ille sibi reliqui faceret, sed omnia cederet sine exceptione. sic igitur figuratè cauillatur in amica quę significatur, quamq; adeò alijs transcribit à se amandatam. Item illud ex eadem fabula.

Plaut. Mercat. Sc. Diuûm atq; hominum. *Hospes respondit Zacyntho ficos non fieri malas.* quam sententiam habet? opinor dici vt fici, quæ acerbæ immaturæque insuauitatem habent, percoctæ tandem ad suauitatem & dulcedinem mitescunt: sic eius iuuentutem acerbam esse etiamnum & indomitam, quæ ætate emansuescet & domabitur. Sic enim obliqua figura sermonis adolescens perstringitur. Hospes porrò Zacyntho hospes est Zacynthius, vel è Zacyntho, vt Ζακυνθόθεν dicitur & vnde domo. Lares autem

Plaut. ibid. viales in eadem comœdia, vt suspicor, dij sunt, qui viæ præsunt, vt sint θεοὶ ἐνόδιοι, quos inuocare solent, qui peregrè proficiscuntur, & ad viam se accingunt: quo etiam cognomẽto colebatur Mercurius: erat & Apollo ἀγυιεύς, sed is à vijs vrbis nomen habebat: eodem modo θεοὶ πρόπολοι, qui à Græcis vocantur, à Latinis dij prodigiales appellantur, vt apud Plautum Iupiter prodigialis nominatur. προπάτειος autem Apollo vel ἀγυιεὺς significatur in hac fabula, cùm scribitur,

Apollo

Plaut. Mercat. Sc. Quoniam à viro. *Apollo quæso te vt des pacem propitius.*

Spectatrix atque hera hominum fortuna censebatur ab antiquis, inde illud Ennianum apud Ciceronem,

Cic. lib. 1. Offic. *Vósne velit an me regnare hera.* & apud Plautum,

Plaut. Mercat. Sc. Diuûm atq; hominum. *Diuûm atque hominum quæ spectatrix atque hera eadem es hominibus.*

Qui iudex erat olim captus vel datus, is sibi qui in consilio essent aduocabat, verius & melius vt de re & cognosceret & iudicaret: ex illa consuetudine est à Plauto facetè scriptum,

Plaut. Mercat. Sc. Miserior. *De istac sum iudex captus. Po. captus? iam scio,*
Nunc tu in consilium istam aduocasti tibi.

Plaut. Mercat. Sc. Amice. At verò illud comici eiusdem, *generis Græci est*, propter oues Græcas dictum est, quæ & Tarentinæ vocabantur, pellitæque & tectę pascebantur, propter lanæ pretiosum vellus, vt apud Varronem est scriptum. *Implean-*

Var. de re rust. lib. 2. cap. 2. *tur*, inquit, *meæ fores elegiorum carbonibus*: solebant veteres si quis erat formosus, aut si qua formosa in foribus scribere, vt apud Aristophanem de

Plaut. Mercat. Sc. Homo me. Aristoph. Vesp. Demo filio Pyrilampis speciosissimo, ᾧ νὴ Δί' ἄν γ' ἴδῃ γέ πω γεγραμμένον Πυριλάμπους ὢν ὡραῖον Δῆμον καλόν: nec verò tantùm nomen, verùm etiam aliquid laudis causa adscribebant carbonibus pingentes: eas laudes formosarum & scripturas hic carbones elegiorum appellat. Ab elegio autem nomen elogij nonnihil deflexum manasse suspicor, quod in vtranque partem accipitur, vt & elegij nomen tam laudi quàm vituperationi seruit alij eclogium ab ecloge deducendum arbitrantur esse, & elogium tamen scribendum. *Seditionem*, inquit, *facit lien, occupat præcordia*: lienem potius noxæ esse quàm bono credebant antiqui, atque ita plerunque est, præsertim cùm intumescit: & aliorum viscerum loca etiam occupare velle interdum videtur, ita crescit, & cordis regionem inuadere. sic in Casina,

Plaut. Mercat. Plaut. Casin. Sc. Ex summus. Face Chaline. *Cor lienosum, opinor, habeo.*

Stellatus, qua arte consideret, rota, digito attingere, Caucasus, ius nigrum. CAPVT XVI.

QVOD ait M. Tullius libro quinto Tuscul. disputationum, *Nec stellatus Cepheus*, luculenter & eleganter est dictum, pro inter sidera relatus, & sidus factus, sed Græcorum modo, quibus hoc significat καταστερισθείς, vt, qui mediocriter Græcorum literis tinctus est, nouit. Interdum è re est Græca comparare, quæ Latinè expressa sunt: ita enim Latinorum oratio, maximè cùm interpres est & internuncia alieni sermonis vt in fabulis Græcis, intelligitur, declaraturque voluntas scriptoris, & vocum notio: vt in eo quod mox sequitur, *Quæsiuisse ex eo, qua maximè arte consideret*:

Cic. 5. Tuscul.

quod

quod est, ὅτι τίνι μέγα φρονοίη, aut πεπόιθοι, vt apud Xenophontem in conuiuio, λέγω ὑμῖν ἐφ' ᾧ μέγα φρονῶ: & iterum, ὅτι ποίᾳ ὅπλῳ μέγα φρονεῖς. Illud igitur est, qua arte fretus esset, & cuius artis fiducia niteretur. In eodem scribitur libro. *In eo etiam putatur dicere, in rotam (id est genus quoddam tormenti apud Græcos) beatam vitam non ascendere.* Hoc affici cruciatu, τροχίζεσθαι dicebatur, eratque rota instrumentum, in quo distento corpore homines torquebantur: dicitur à Græcis τροχὸς βασανιστικὸν ὄργανον ἀφελεῖνον τὰ σώματα τῶν βασανιζομένων. Apud Iosephum in Maccabæis, eius supplicij crebra mentio est: vt, *illigari igitur mole pedibus appensa, atque innecti rotæ iubetur Maccabæus: ita etiam in gyrum circuli porrectus, vt solutis hinc inde visceribus, veníque distentis dolores ipsius & pœnæ crescerent.* Iterum, *& vt erat affixus rotæ, igni in catasta obijcitur.* Rursus, *rotæ postmodum affigitur, nec tendi magis iam poterat, quia & partes & frusta corporis horrendissimo pependere aspectu.* Meminit & Aristophanes, ὅτι τῇ τροχῇ γὰρ δεῖ σ' ἐκεῖ φρεβλύμνον εἰσφεῖν ἃ πεπανύργηκας. Ac non dubito quin lib. 6. Æneid. hoc tormentum intellexerit Latinorum poëta, cùm ait,

—radíisque rotarum Districti pendent.

Ait idem eodem libro, *Lælius si digito quem attigisset, pœnas dedisset*, id est, si vel leuissimè tetigisset: ita enim leuissimum, & penè nullum tactum exprimere solebant. vt in epigrammate veteri apud Gellium,

Si digito attigero, incendam siluam simul omnem.

id est, si vel leuissimè tetigero: at apud Terentium, sine digito

Si attigisses, ferres infortunium.

Ait idem, *nudi æstatem agunt, & Caucasi niues hyemalémque vim perferunt sine dolore.* Hic non est ille Caucasus in Scythico exurgens solo mons, sed in Indico confinio se attollens Macedonum armis (vt scribit Strabo) orientem subigẽtibus prioris Caucasi nomen adeptus: huius etiam mentio est in Thyanei vita apud Philostratum. Ius autem nigrum, quod ait in Lacedęmoniorum phiditijs, cœnæ caput fuisse, à Gręcis dicitur esse, quod in consuetudine αἱματία vocabatur. Ex quo suspicamur sanguine vel mixto vel incocto atrum colorem iuris illius redditum fuisse: cuiusmodi ius botulorum videmus. Hoc autem ius in mẽsa Lacedæmoniorum erat pręcipuum, vt senes eo cibo acquiescerent plerunque, vt ait Plutarchus, nec obsonium aliud desiderarent.

Rescripti soni, puluinaria deorum, exanimo expectorat, apud Ciceronem. CAPVT XVII.

SCRIBIT Cic. 4. Tuscul. cantus rescriptos fuisse sonis: vbi quid sit rescribere ambigi video: mihi quidem, quod Græci ἀναγεάφειν dicunt, significare videtur, vt dicat Cicero ea tempestate iam cantus fuisse notatos & scriptos suis sonis, &, vt Græci loquuntur, φθόγγοις, nec antiquis defuisse musicam. Solet autem persæpe Cicero verba Græca exprimere Latinè, quod quidẽ eum feciſſe arbitror cùm rescribere hic dixit. sed velut è carceribus emissi librum percurramus, vel eius saltem aliquam partem decurramus. Puluinaria deorum cùm dixit eodem libro, epulum significat vel interprete Flacco qui scribit,

—nunc saliaribus Ornare puluinar deorum
Tempus erat dapibus sodales.

Vt autem rei diuinæ tibias, sic dapibus deorum & puluinaribus adhibebant fides, imitati, vt opinor, veterem poëtam, apud quem Ioui epulanti Apollo fidibus canit. Nemo autem est, qui non Ciceronem oblitum disciplinæ quam æmulatur existimet, qui Pythagoræ & Platonis descriptionem sequatur animum in duas partes diuidentium, alteram rationis participem, alteram expertem. hoc enim non est vllo modo consentaneum Stoicorum decretis quæ sequitur. Nam perturbationes in ratione ponunt, & quæ ratione carent animantes perturbationis aliquid simile habere prædicant, non tamen perturbari. Denique hoc doceamus è Plutarcho, qui ita in libro de virtute Morali scribit, ᾗ νομίζουσιν ὀκ εἶναί τὸ παθητικὸν ᾗ ἄλογον ἀφορᾷ πινὶ ᾗ φύσει ψυχῆς τῆ λογικῆ ἀφωκειρμένον, ἀλλὰ τὸ αὐτὸ ἥ ψυχῆς μέρος, ὃ δὴ καλοῦσι διάνοιαν ᾗ ἡγεμονικὸν, διόλυ πεπόμβυνον, ᾗ μεταβάλλον εἴ τε τοῖς πάθεσι ᾗ ταῖς καθ' ἕξιν, ἢ διαθέσιν μεταβολαῖς, καὶ ἀν τε γίνεσθαι, ᾗ ἀρετὴν, ᾗ μηδὲν ἔχειν ἄλογον ἐν ἑαυτῷ. In quo & Stoici à Galeno doctissima animadversione & censura acerrima in libro de placitis Hippocratis & Platonis notantur. Ciceroni igitur instituta Stoicorum sectanti hoc libro dissimilem rationem & quidem repugnãtem interponere, nónne fraudi esse debet, vt dissentanea & aliena & parum Stoica scribenti? Sed ius suum tenuit, opinor, meminitq; se Academicum esse, vt impunè possit quæcunq; velit è diuersis philosophorũ familijs decerpere atq; miscere. at in versu,

Tum pauor sapientiam mihi omnem exanimo expectorat,

valet exanimato. nam qui duobus verbis ex animo scribunt, ridiculam reddunt translationem: cùm exanimo expectorare non minus risum cõmoueat, quàm si quis vicissim ex pectore exanimare dicat: vtrunque certè inuenustum & ineptum est. quod autem scribitur, *est autem quædam animi sanitas quæ in insipientem etiam cadat, cùm curatione medicorum conturbatio mentis aufertur*: vereor ne Ciceronis mãdata non fideliter perferat. Quis enim nescit omnibus hominibus posse mentis insaniam oboriri, & medicorum literis eius morbi curationem tradi? verisimilius sit Ciceronem de sapiente

sapiente hoc quàm de insipiente scripsisse, quem Stoici fatentur, ludi in-
Diogen. Laërt. terdum visis & delirare. Diogenes Laërtius, παραπεσεῖσθαι μήποτε ποτὲ αὐτῷ
φαντασίας ἀλλοκότους ἀφ' μελαγχολίαν ἢ λήρησιν, ὃ κατ' ἐπίρρησιν τοῦ λόγου ἀλλὰ κατὰ
Cic. 4. Tusc. φύσιν. hæc cùm ita sint, sic restituendum Ciceronis locum puto, *Est autem quædam animi insanitas quæ in sapientem etiam cadat.* Nos Ciceronem cursim legentes ista attẽdebamus, quæ & huc retulimus, vt quæ nos fecimus iuuentutis causa, alios eadẽ etiam facere doceamus, qui plus in literis vidẽt.

Quædam in Cicerone emendata, mandare malis.
CAPVT XVIII.

Cic. ibid. DE gladiatore Placideiano iracundè depugnaturo ex Lucillio hoc affert Cicero 4. Tusc. *Quam gladium in stomacho, sura, ac pulmonibus fisto:* vbi omnes in vocabulo sura, vt scopulo offenduntur, nec iniuria. cur enim à stomacho ad suram repentè tam longè transitur? deinde cùm interficere velit parem, nec lethalis plaga sit suræ, cur ibi sistere gladium & defigere postulat potius, quàm immergere iugulo aut iecori? quid igitur si fibram scribimus? nam & vox non longè abludet, & significatio iecori conueniet. poëtæ enim iecur sæpenumero fibram vocant. mihi quidem vel Areopagitarum iudicio videtur non damnatum iri vocabulum istud in sedem deterioris inquilini introductum. Ego aliquando etiam lura legendum credidi, vt os ventriculi, qui ceu vtris vel culeus quidam est, intelligeretur, vnde & lurcones vocãtur. Illud quoque in vitio videtur esse,
Cic. ibid. *Itaque bene adhibita ratio cernit, quid optimum sit, neglecta multis implicatur erroribus.* hîc habita legere commodius omnino fuerit. nam bene haberi dicitur, quod diligenter seduloque curatur & colitur, neque negligitur: quomodo rationem censet esse excolendam. Id cùm sit bene habere, vt intelligunt, qui Latinè sciunt, vitio, vt opinor, non vertetur ei nec crimini,
Cic. ibid. qui ita legendum censuerit. ne illud quidem sensui satisfacit, quod ita scribitur, *Venerem vnam excludit vt iniquam*: nam cùm sequatur, *eamque præ libidine negat curare quicquam*, quo tandem modo libidinosæ & lasciuæ, & flagitiosæ deæ congruet iniquitas? Ego, quasi ariolum, consului librum antiquum, in quo nequam reperi, & mediusfidius ei locum istum adiudicaui: nequitiam enim Veneris tantam esse censet, vt precanti opem non sit latura voluptatibus auocata atque capta. Maculosus est etiam versicu-
Cic. ibid. lus antiqui poëtæ, ab eo citatus ex Atreo *Impius hortatur me frater vt meos malis Miser manderem natos*: ego mandem rectum puto. nam mandare malis, est malis committere & comesse, vt apud Lucretium,

Ne Saturnus eum malis mandaret adeptus.

Est

Est igitur vetus loquendi formula, quam & mensura versus postulat, & Lucret. 2. lib.
proinde non incallido nec inerti nec somnianti eam etiam dictat. sed & collegæ meo Lambino viro erudito ita videri mirificè lætor. Ego etiam Cic. 4. Tusc.
quod mox sequitur, *eorum viscera adponit*, ex eodem poëta esse arbitror, & versiculi inchoati clausulam existimo, verborum structura tamen mutata: versus autem integratur hunc in modum,

Mandem natos, eorum adponit viscera.

Puto & versum esse trochaicum antiqui poëtę, qui tamen non aduertitur, *Ob scelera animique impotentiam & superbiloquentiam.* nam & mensura con- Cic. ibid.
uenit, & verba oratoria non sunt, sed poëtica. At contra versus numera- Cic. ibid.
tur, *Semper Aiax fortis*, cùm oratio sit soluta: mox tamen in altero octonario, *Summam rem perfecit manu:* Cic. ibid.
legendum crediderim, non manus: quod autem sequitur,

Prælium cùm restituit insaniens: Cic. ibid.

ab alia dici persona tragœdiæ arbitror, vituperante vel eleuante facinus Aiacis, vt per insaniam admissum: quod tamen alia laudauerat antè persona. Et cùm excurrat longius versus, verisimile est non debere hoc pro clausula agglutinari cæsuræ superiori, sed reglutinari, atq; separari. Odio- Cic. ibid.
sum autem illud omnino est, *ex qua cogitantur perturbationes*, non enim cogitandi vsitata significatio est. Ergo vel coagitantur legẽdum, si quis hoc verbum ferre possit, vel cogitantur pro coguntur & colliguntur & comparantur dixit, multi etiam agitantur reponunt.

Sesquipedalia verba, stans pede in vno, purgare, culigna, ô fortunatam natam. CAPVT XIX.

VT quicque in buccam veniet, ita hoc capite scribetur, sesquipedalia verba apud Flaccum non tam intelligo longa & extensa, quàm turgida & inflata ac prætumida. Nam ab architectis esse translationem sumptam puto, apud quos sunt tigna sesquipedalia, materies crassior: ita loquitur non rarò Vitruuius. inde igitur Horatium explicandum arbitror cùm ait,

Proiecit ampullas & sesquipedalia verba: Horat. de arte poëtic.

ampullarumque figura, quæ tumidæ sunt, huic congruit interpretationi: quanquam si de longis quis accipiat, qualia sunt dithyrambica, non repugnabo, præsertim cùm dicat Martialis, etsi hoc obscœnius est,

Mentula cui nondum sesquipedalis erat. Mart. lib. 7. Epigr. 13.

—stans pede in vno, Horat. lib. 1. sat. 4.

apud eundem Flaccum est, facili conatu & opera sine contentione & nixu. Nam vno pede qui stat, aduersarium se nullum vel non fortem habere

credit. Cùm enim vno pede nos sustinentes pẽdeamus & vacillemus, securus esse videtur, aduersarijque vires contemnere, qui sese non vtroque pede firmat stabiliter. vnde & omni pede standum Quintilianus vsurpat, pro omni contentione totisque viribus. ergo illud,

Quint. lib. 12. cap. 9.

—in hora sæpe ducentos,
Vt magnum versus dictabat stans pede in vno:

Horat. lib. 1. sat. 4.

significat Lucillium temporis momento solitum vena facili plurimos effundere versus. Purgare est interdum inane & vacuum reddere, id est purum: nam purus locus interdum dicitur, in quo nemo homo est, & qui nulla re occupatur, vt eleganter apud Flaccum emendauit politissimi & doctissimi iudicij vir Dionysius Lambinus:

Horat. lib. 2. epist. 2.

—verum
Puræ sunt plateæ nihil vt meditantibus obsit.

Cic. pro Sest.

sic & pugnare dixit pro Sestio Cicero, cædem maximam facias? forum purges? cùm enim homines interficiuntur, alij cæde perterriti fugiunt, & locum purgant. & Varro apud Nonium, *purgatum scito.* quod quidem & alias attigimus. qui calix Latinè dicitur, Græcè vocatur κύλιξ, & à priscis Latinis propius ad vocem Græcam accedentibus, culigna. Varro apud Nonium, *mensæ ante ponebantur cum culigna & vino, quo quæ veniebant ad fœtam amicæ gratulatum, dijs mactabant.* hic vt & illud adijciam, fœtam puerperam appellat, vt & in libris de re rustica. Versus ille Ciceronis, qui obtrectatorum eius & inuidorum virulentos morsus excitauit in ipsum,

Var. apud Non. in Fœtũ.

O fortunatam natam me consule Romam,

hanc opinor sententiam continet, fœlicem illo Reipub. statu Romam fuisse, quam constituerat confirmaratque in consulatu. Optimatum enim potestatem & Senatus auctoritatem stabilierat, & cum principibus coniunxerat equites. Roma igitur, non illa quæ ante eius consulatum malè temperatis maleque conciliatis ordinibus, populo nimium insolescente, & tribunatu nimium insultante viguerat, fœlix habẽda erat: sed quæ ipso consule demum exorta est, principis ordinis consilio Repub. permissa, eique cæteris obtemperantibus. neque verò est cur, vel à Quintiliano, vel Iuuenale versus irrideatur, ob iterationem earundem syllabarũ. hoc enim veteres in delitijs habebant: vt de Amicitia. *Etenim eo loco locati sumus,* & Maro,

Quint. lib. 9. cap. 4. Iuuen. sat. 10. Cic. de Amicit.

Virg. 3. æneid.

—tales casus Cassandra canebat.

hanc figuram posteritas fastidijt, & ex suo fastidio ea quæ de industria, vt venusta, affectauerant antiqui, aspernata est. quæ tamen multis in rebus ineptius multò & putidius lasciuijt & lusit, vt meritò in quibus se circunspicit, interdum à serijs & intelligentibus irrideri queat.

Toga

Toga, aries, oscillum, Tisamenus, cactus, cataclita, striculus, fullones, caliendrum, duplici panno, apud Flaccum, Muræna, quædam in Tertulliano emendata. CAPVT XX.

SEPTIMIVS Florẽs erat ille quidem omni liberali eruditione imbutus, verùm de industria orationem asperat, & horridum quiddam affectat & consectatur, proinde quasi parum virilem eam eloquentiam putaret, quæ concinnior & elegantior esset. eius ego librum de pallio sanè luculentum & eruditum, sed iniuria temporis multis locis maculosum hisce diebus, cùm in manus sumpsissem, hæc in transcursu properans annotaui. quod in eo scribitur, *nec intra genua inuerecundè, nec brachijs pare,* cùm non satis intelligam, errorem ferè subesse odoror: ac in hoc libello velut in horto irriguo herbæ, sic errores sanè vberrimi succreuerunt: emendandum fortasse sit, *nec brachijs parce:* sententia correctionem istam dictante. Nihilominus & illud sic lego, *at cùm secularium sortium variauit vrna.* quis enim nescit sortes solitas esse mitti in vrnam, in qua manu versabantur & educebantur? Itaque quod alij supponunt, *secularium sortium domina fortuna,* non perinde probo. Ius datum togæ Carthaginiensibus apparet tum cùm à Statilio Tauro deducta Colonia est muro cincta, Ælio Saturnino vel augure vel pontifice eam Coloniam inaugurãte, & solemne carmen effante: non enim ius erat cuiuis eius togæ vsurpandæ. proinde scribit, *cùm concordia iuuat, toga oblata est.* cùm dixissent Carthaginienses tunicam cinctu arbitrante suspendisse & pallium tabulata congregatione fulcisse: subijcit, *si quid vel dignitas vel temporalitas vestit,* vbi libenter, *vertit,* scriberem, quod haud paulò ad sentẽtiam esset accommodatius. Togam tradit à Pelasgis ad Lydos, à Lydis ad Romanos veniisse. Græci quendam Tebennum Arcadem togæ Romanæ inuentorem prædicant, qui primus id genus vestis gesserit, & sinum Ionicum naui ingressus in Italiam venerit, & vestimentum propagarit: vnde & togam τήβεννον appellatam fuisse scribunt de inuentoris nomine. Cùm autem scribat arietem, machinam oppugnatoriam, inuentum fuisse à Carthaginiensibus, id Vitruuius in oppugnatione Gadium factum esse scribit: Plinius bello Troiano ab Epeo muralem machinam, cui olim equus nomen fuerit, postea aries inuentam esse refert. Dicit Septimius Florẽs, *in oscillum penduli impetus armatum,* sanè pereleganter. Nam quamuis oscilla sint parua figilla in effigiem humanam arte simulata, vt scribit Macrobius, & oscilla quoque sint imagunculæ quæ infantibus præbentur ad lusum: tamen oscilla etiam dicebantur αἰώρα, id est, pensiles quædam gestationes de arboribus suspensæ, in quibus homines per lusum iactabantur, atque ea iactatio oscillatio dicebatur:

Tertul. lib. de pallio.

Tertul. ibid.

Tertul. ibid.

Tertul. ibid.

Vitru. li. 10. cap. 19. Plin. lib. 7. cap. 27.

Tertul lib. de Pallio.

Macrob. lib. 2. Satur. cap. 11.

batur: nam homines eo genere lusus se iactantes impositi transuerso tigno de arbore suspenso, alternis se mutuoque subiectabant deprimebantque. Quod genus lusus per sex feriarũ Latinarum dies celebrare solebãt, in memoriam & imaginem vitę humanæ, in qua altissima interdum in infimũ deijciuntur, infima in altum efferuntur & euehuntur, ita memoriam redintegrantes initio acceptę vitæ illis diebus, per oscillationẽ, motus cunarum: per lactatam potionem quatum vtebantur, lactis alimẽtum significabant. Nã lac Latinis ferijs adhibebatur etiã in sacrificijs, Cicero,

Cic. 1. de diuin. —*& læto mactasti lacte Latinas.*

Virgilius, oscillationem etiam Liberalibus, vt existimo, fieri dixit:

Virg. 2. Georg. *Oscilla ex alta suspendunt mollia quercu:*

In quo tamen φαλλὸν multi interpretantur: nam & obscœnæ etiam partis simulachrum oscillum vocari posse censent. Inde igitur per trãslationem oscillum in ariete murali dixit, propterea quòd malo statuto, tãquam trutina, alter transuersus suspẽdebatur, eodem modo de mundo ex axe pendente in libro de Anima dixit, *Initium enim omnium commentatus animum,*

Tert. de anim. Tert. de Pal. *& vniuersitatis oscillum de illius axe suspendens.* In eo de pallio libello lego, *sic & terram si recenseas, temporatim verti variantem, propè possis eandem negare.* Et non ita multò post, *nulla iam Delos, Arene, Samos, & illa, si non mendax Plato, in Atlantico Libyam & Asiam adæquans, nunc quæritur*: nam in

Tertul. ibid. Plat. in Timæo. mari Atlantico mersam ingentem insulam scribit Plato in Timæo. Tractatur & idem locus in Apologetico, alijs tamen locorum nominibus: locum subijciam, vt lectori sit existimãdi copia: *legimus Hierapolin & Delon & Rhodum & Con insulas multis cum millibus hominum pessum abijsse: memorat & Plato maiorem Asia & Africa terram Atlantico mari ereptam.*

Tert. in Apologetic. cap. 39. pro Arene autem propè affirmare ausim Rhene legendum esse, quæ erat insula exigua Delo vicina, vt auctor est Stephanus. Emendo etiam, *Nam & primitijs maiore ambitu terra cassa*: &, *Scythæ exuberant in Persas*: vel certè, *exuperant Persas*. Illud alterum magis placet: &, *Chaldæum semen in Ægyptum educitur*, non vt vulgò, educatur. pro Temeno pariter, mihi affirmare liqueret verissimè scriptum iri, *Tisameno pulso*, qui Orestis filius fuit, nisi Pausanias refragaretur. Et mox, *Sic & Iones Nelei comites*. Cactus autem, quem paulò post cum rubo coniungit, herba est spinosa & aculeata, quæ, vt Plinius ait, in Sicilia tãtùm nascitur. Itaque eius Theocritus meminit in quodã edyllio. ea folio est lato & spinoso, vt describitur à Theophrasto. Carduum eum qui cinara dicitur putat esse Athenæus. Cataclita eodem libro accubita sunt, quibus ad accumbendum vtebantur: ea molli pluma implebãtur, vt ex Heliogabali vita notum est. Patagium est, quod ad summam tunicam assui solet, velut instita quædam inaurata: : est & patagus

Stephan. de vrb. Tertul. de Pal. Tertul. ibid. Tertul. ibid. Plin. li. 20. c. 16. Theocrit. Theophrastus. Athen. lib. 2. Tertul de Pal. Lamprid in Heliogab. Tert. de Pal.

tagus vitis morbus vt obiter istud addam, qui passalus malè in Theophrasti libris scribitur à quibusdam. Marcello paragium vestis est laurea. emendo, *exuuijs ibidem relictis nouum se explicat*: mox, *audaciam & gratiam nominis*: mox, *vix se à terra suspendit*. nec multò post, *delibasse ouiculam*. &, *queis muscosæ lanositatis*. & *proinde si necaris animata iam stamina euolues*. vbi scribitur patiens certè iam vstriculus, docti emendant, vstriculas, quæ si idonea scriptura est, vstriculæ fuisse videntur, quæ erumpentem malarum laNon. in Patag. Tertul de Pal. Tertul. ibid. nuginem aut aliarum partium adurerent: sed striculus potius legerim. ita enim iam grandiusculi pueri vocabantur, à stricta quadam corporis soliArnob. lib. 5. dirate & duritie: Arnobius, *facit sumere habitum puriorem, & in speciem leuigari nondum duri atque striguli pusionis*. Nouiani fullones à Nouio poëta dicti, qui fabulam citatam à Grammaticis fullones inscripserat, quo in verApud Non. multis locis. bo inest infanda obscœnitas. sic puer apud Comicum Plautum sibi potandum dicit fructum fullonium, fœdissimam patiẽtiam significans. LenPlaut. Pseud. Sc. Quoi seruiẽtutem dẽ. tulus mimographus fuit, quem & Septimius in apologetico appellat. Is Tertul. Apologetic. cap 15. Catinenses à Catina vrbe Siciliæ appellarat homines molles, qui se pumice leues & glabros redderent. Iuuenalis,

Iuuen. sat. 8. —*attritus Catinensi pumice lumbum.*

Sarabara vestis erat medica fluxa: alij interpretantur crurum operimenta & induméta. Baxea calceus philosophicus, philosophica crepida, quam, Tert. de Pall. si purpuratus est philosophus, tyriam & purpuream esse oportet. In adyTertul. ibid. ta cloacinarum detulisset, dixit, pro in cloacas misisset, à Cloacina dea, quæ cloacis præerat, eam in cloaca repertam consecrarat Tatius. Lego, *Censoriæ intentionis episcynio dispersо*, quo verbo Græci supercilium signiTert. ibid. ficant. & non multò post, *crepidulam & caliendrum*: atque hoc vocabulũ, Tertul. ibid. quod operimentũ capitis significat, à Græco κάλωτες duci videtur, vsurpatur & ab Arnobio, *falciculæ, claues, caliendra, fomites, talaria*: & à Flacco, Arnob lib. 6.

Horat. lib. 1. sat. 8. —*altum Saganæ caliendrum*: apud quem sunt qui appositiam comam interpretentur. Mox lego, *& armillis quas*: lege, *crepidæ cretatæ*, Tert. de Pal. Cic. ad Attic. lib. 2. epist. primum vt. id est candidæ, vt fascias cretatas ad Atticum dixit Cicero. duplex erat Cynicis pallium vt Crateti & Diogeni, quod Septimius indicat: vnde Horatius scripsit, *Aſt hunc quem duplici panno patientia velat:* Horat. lib. 1. epist. 17. Nam de illo duplici pallio existimo esse interpretandum versum Horatij, eóque Cynicum philosophum intelligi, quorum professio patientia erat & æquanimitas. Instituit autẽ Diogenes pallium duplicare: Laërtius πόρον ἐξεῦρε τὸ θέρους τρίβωνα διπλώσας πρῶτος. Mox lego, *de qualibet imaLaërt. in Diog. Cynico. gine vel ara*: &, *quingentis millibus nummũm*: &, *suprascriptis fortasse mensis*. Tertul. de Pal. Tertulliano non cõuenit cum alijs scriptoribus in Muræna: nam alij dentatam & truculenti morsus esse dicunt: Septimius edentulam, vt eius Mu-

Tertul.ibid. ræna videatur esse nostra lampetra: eius verba sunt, *noua scilicet sæuitia delectato, terrenæ bestiæ exedentulæ, & exunguis & excornis.* numerorum arenarius vocatur, qui in schola tanquam in arena numeros exercet & docet, à circensi arena & amphitheatrali translatione profecta, nisi quis potius putet ratiocinatorẽ & numerariũ ita vocari quadã veri superlatione, quasi arenam numerare possit: vt apud Flaccum scribitur. *Te maris & terræ numeróq; carentis arenæ Mensorem.* Hęc ego transcurrẽs & festinans è multis pauca sanè delibaui. nam liber ille maiorem diligentiam non operam tumultuariam, iustumq; laborẽ desiderat, quem his libris nõ pollicemur.

Horat.lib.1. od.28.

Latini Iuniani, improlis, Ilienſis Minerua. CAPVT XXI.

LATINI Iuniani in libertorum numerum inducti fuerant, similitudine eorum qui socij Latini & Latini colonarij dicebantur, qui in Latinas colonias deducti fuerant. Lex socijs nominis Latini dabat, qui stirpem ex sese domi relinquerent, vt ciues Romani fierent. Hæc apud Liuium lex extat, à qua profectam esse primum rationẽ eam qua ius Quiritium consequerentur Latini liberti existimo, vt prole: proinde improlus vel improlis, inquit Festus, dicitur, qui nõdum est adscriptus in ciuitatem: quod de Latino eum scripsisse reor. beneficio etiã principis ius Quiritium consequebantur, vt Plinius lib. 10. epist. suis Latinis ius Quiritium à Traiano petit. & iteratione, Plinius libro 7. *Spero, imò confido facilè me impetraturum, vt ex itinere deflectat ad te, si voles vindicta liberare, quos proximè inter amicos manumisisti.* & naui, Suetonius in Claudio, & *naues mercaturæ causa fabricantibus magna commoda constituit pro conditione cuiusque, ciui vacationem legis Papiæ Poppeæ: Latino ius Quiritium, fœminis ius quatuor liberorum, quæ constituta hodie seruantur.* & alijs modis, qui ab Vlpiano in Institutis referuntur: quo in Vlpiani libro cẽseo statim initio, cẽsum lustralem, quo lustrabantur ciues quinto quoque anno, acto censu, ad discrimen census equestris, senatorij, aut eius census qui in prouincijs agebatur, appellari: lustralisque dicitur à lustri spatio, vt si quinquennalis census diceretur: sed &, *sed si plus donatum sit*, lego: &, *mortisue causa donatum prohibet capere.* &, *nam quandiu horum quid desit.* &, *aut nolit accipere.* &, *Orcinus fit libertus*, potius quàm Orcinus. &, *fœmina viripotens.* Capiti autem quinto post illud, *ita si concessum sit*, inferendum est, quod cap. 7. extat. *In potestate parentum sunt etiam ij liberi, quorum probata est, per errorem contracto matrimonio inter disparis conditionis personas*, & quæ sequuntur. Cæterùm quæ est illo in libro Melienſis Minerua? ego vitiatum nomen puto, legiq́ue debere Mineruam

Liu.lib.43.ab vrb.cond.

Fest.lib.9.

Plin.lib.10. epist. Proxima infirmitas.

Plin.lib.7. epist.16.

Suet.in Claud. cap.17. & 18.

Vlpian.instit. tit.1.de libert.

Vlp.ibid.

Vlpian.ibid.

Vlp.ibid.

Vlp.tit.2.de statulib.

Vlp.tit.2.de statulib.

Vlp.tit.5.de his qui in potestate sunt.

Vlp.tit.22. Qui heredes instituipossunt.

neruam Ilienſem: nam apud Virgilium & Homerum Iliades eunt in templum non æquæ Palladis peplumq́ue ferunt. Cùm igitur Romani originem agnoscerent suam Troianam esse, Ilienſi Mineruæ hoc quoque ius tribuerunt, vt ei legari posset. Iam quis non videt tutorem cessitium, non cessicum esse appellandum? &, *si pater filium ter venũdabit*, non vt obtinuit contra omnium Grammaticorum iura, venundauit. Sed quamobrem tandem liberi post nonũ diem quàm nati sunt amissi parentibus adijciunt decimam? equidem existimo quòd vt ciues Romani iam nomen habeãt: nam puellæ octauo pueri nono die nomen accipiebant, lustrabanturq́ue: vnde & lustricus dies dicebatur à Romanis, ab Athenienſibus ἀμφιδρόμια. Hæc ego carptim vellicatimq́ue velut aliud agens collegi, quæ si cui fortè vix lucubratione anili digna videantur, is me aliquando & hallucinari & aberrare à serijs sinat.

Vlp.tit.11.de tutelis.

Vlp.tit.10.Qui in potestatẽ mancipione sunt &c.

Apud Catonem quædam cap.10. explicata, semunciæ, ferreæ, fistula fartaria, rutabulum, foculus, labrum eliacrum, molile, tela ingalis, pila fullonica. CAPVT XXII.

IN explicando fundi instrumento, verba sunt apud Catonem, quæ lectorem, vt existimo, veluti scopuli quidam, morantur nec cursum tenere sinunt. Eorum ego quædam enarrabo, reliqua aliorum operæ relinquam. Bubulcos tres imperat, vt existimo, ad arandum, singulosq́ue singulis boum paribus præficit: boues enim trinos in ea reperio formula, quod interpretor tria boum paria, vt in instruenda vinea boues binos lego, & expono duo boum paria. cùm ad tres asinos asinum præterea vnum addit, eum molarium interpretor, vt tres illos clitellarios ad stercus vectãdum. Vasa olearia instructa iuga v. quinque trapeta vel prela olearia intelligo cum suo omni instrumento: quo etiam modo alio loco exposui, & sequenti de vinea instruenda capite intelligendum censeo. Vncos ferreos inuentario suo adscribit, vel vt ex vrceis aliquid extrahatur, vel potius vt vrcei de ijs suspendantur, vel ijs gestentur. Infidibula ab infindendo nomen sunt adepta, quibus tanquam infinduntur vasa anguſti oris, vt vrcei, vel dolia per tectorium, vt humor aut vinum infundatur: ea melius censeo infundibula vel infudibula appellari. Labellum pollulum est labellũ paruulum, id est paululum: labello autem & duabus amphoris totidem vncos ferreos tribuit. Vrna quinquagenaria est quæ quinquaginta sextarios capit. Trullæ de situllis aquam hauriunt, & de ahenis aut labris: nasiterna, vt suspicor, vas aquarium, inde nomen inuenit, quod tres nasos habeat: alij à nassa deducere malunt. Cuiq́ue iugo boum & pari binos vo-

Cato cap.10.

Cato ibid.

Cat.cap.11.

Cat.cap.10.

Cat.ibid.

Cat.ibid.

Cat.ibid.

Cat.ibid.

Cat.ibid.

Cat.ibid.

Cato cap. 10. meres describit, & bina ornamenta: sic autem ea vocantur, quibus ad arandum ornantur, vt strata & subiugia. Semuncias interpretor sirpeas minores, & tanquam semisirpeas: vt sirpea loco vnciæ sit. Sic cinctus dicitur & semicinctium: ille enim est latior, hoc multo arctius & angustius: sic funis & semifunium: funis enim crassior est & maior: semifunium tenuius & gracilius. Ferramenti nomen generale est, ad ferreasque, sarcula, palas, rastros pertinet. Ferrea dicitur tacito furcæ vocabulo. Falces stramentariæ sunt, quibus post messem stantia in segete stramenta desecamus. Arborariæ, quibus arbores putamus. Fistula farraria, ad far pinsendum vsui est: quod ex Plinio cognoscere cuiuis licet. Forcipes & rutabulum ad focum ignemque pertinent: nos vulgò tenaces vel tenaculas & palam vocare solemus. Foculus est in quo ignis accēditur, vt cibus coquatur: eos enim habebant ferreos, vt ignitabula. Cicero pro domo, *C. Atinius bona Q. Metelli consecrauit, foculo posito in rostris adhibitoque tibicine:* ἐσχάραν Græci appellant. Labrum Lupinarium est, in quo aqua lupinus maceratur, vt eius amarities eluatur. Labrum elüacrum est, in quo aliquid eluitur, & lauatur, quod sordidum est. Molæ trusatiles ad discrimen asinariarum dicuntur: ab hominibus enim truduntur: scapus autem vel manubrium quo mouetur mola, molile, vt suspicor, vocatur: vt à libra librile, vel potius à moliendo. Itaque tria hic molilia sunt, vt & molæ. Fullonicam pilam explico, qua tunduntur vestes & panni vt poliantur, quod hodieque opera rotarum aquariarum sublatis pilis fieri videmus. Telam iugalem, iugo impositam in quo texatur, esse puto, ad aliarum telarum discrimen, quæ pinguntur acu, texuntur radio, pectine aut alio genere, sine iugo tamen. De iugo telarum Ouidius,

Cato ibid. Cato ibid. Cat. ibid. Cat. ibid. Plin. li. 18. c. 8. Cato cap. 10. Cic. pro domo sua ad Pont. Cat. cap. 10. Cat. ibid. Cat. ibid. Cat. ibid. Cat. ibid.

Tela iugo iuncta est.

Ouid. 6. Met.

pilas subijcit duas fabariam & farrariam: illam ad fabam fresam, hanc ad pinsendum far: ac pila eis sua priuaque tribuit. Addit & seminariam pilam, ad cernendos seminum nucleos. Culcitæ autem lectis imponuntur, culcitis instragula, quibus incubant homines operimentis obducti.

Cat cap. 10. Cat. ibid. Cat. ibid.

Explicantur quædam apud Catonem cap. 11. vrnæ sparteæ, per corbem metiri, flos, armarium promptuarium, falculæ ruscariæ, lintres.

CAPVT XXIII.

In vinea instruēda apud Catonem, salictarius est qui salictum curat, & ex eo materiam salignam viti pedandæ iugandæque parat. Vasa torcula trina sunt, in torculari vno tria pressoria, vt eodem tempore, tribus, vt loquitur, torculis vasis vinum prematur. pro, *dolia V.* lego, *dolia vbi vindemiæ*

Cat. cap. 11. Cat. ibid. Cat. ibid.

miæ esse possint culeum DCCC. dolia condendis vinaceis, acinatitia vocat Varro. vrnas sparteas & amphoras sparteas ad vinum metiendum parari reor. nam si fictiles essent, tractando sæpe, vt in metiendo fit, frangerētur. Sic per corbem metiuntur iurisconsulti, quod nos per hostam dicimus, *Faciundum*, inquit Vlpianus, *quod veteres putauerunt, per corbem venditorem mensuram facere & effundere: veteres enim propter hoc mensuram suaserunt, si quanta mensura esset, non appareat: videlicet vt appareret quātum emptori vini perierit. cola qui florem demant*, cùm scribit, florem vini intelligit, quo vinū intelligimus primæ notæ, quique primum fluit: sic florem salis, nitidum, candidum, optimum salem intelligit: vt sordidum & vulgarem salem, popularem vocat. hoc capite molile ad orbem mouendum, vt molam, paratum videtur. Armarium promptuarium est, è quo promitur cibus: Plautus Captiuis, *Cellas refregit omnes intus, reclusitque armarium.* Sportæ fecariæ sunt, quibus incluſa fex prelo supponitur, vt vinum fecatum exprimatur, id capite centesimo tricesimo tertio Catonis declaratur. Falces sirpiculę sunt, quibus sirpabantur & alligabantur dolia veterū, quę fictilia erāt, tum cùm erant fracta. falculas vineaticas lego, nō faculas: sed & falculas ruscarias, quas interpretantur aliqui rusticarias vel rurales: in Varrone rustarias reperio, sed ruscarias in vtroq; sincerum esse defendo, interpretorq; falculas quibus rubi sentesq; secantur, vt alio loco doceo. antè falces posuit, hic falculas quæ minores sunt, adscribit. quala sataria sunt quibus ad serendum opus est, id est ad semētem: vt lintres vindemiæ vsui sunt, quæ & nauiæ, vt opinor, vocantur Festo: à similitudine lintrium nomen habent: nos cuppulis balneatorijs quòd similes facimus, idcirco balneatorias vocamus. aluei sunt, quibus in lintres portātur collectæ vuę.

L. Si vinum ff. de peric. & com. rei vend. Cato cap. 11. Cat. cap. 88. Cat cap. 11. Cat. ibid. Plaut. Captiu. sc. vlt. Cat. cap. 11. Cat. ibid. Var. li. 1 c. 22. de re rust. Cato ibid. Fest. lib. 12.

Epidromum apud Catonem, lecti strati, lecti subtenti, centum pondium incertum, & certum. CAPVT XXIIII.

Epidromvm apud Catonem numerandum arbitror in opere funario, eoque intelligendum funem quo lectus subtendatur, in quo seruus cubet: nam lecti subtensi, stratis opponūtur. Centum pondium incertum, pondus suspicor vna mole centum libras pendens: certis pōderibus opponitur, quæ distincta partitaq; sunt, non in vnum pondus confusa. *æquum centupondium* apud Plautum in Asinaria, æquum est & iustum centum librarum pondus. conchis autem opus est ad oleum deplēdum & decapulandum, quas maiores & minores describit: spongias ad tergendum vasa adscribi odoror. lego in proximo, de villa ædificanda, capite: *in tegulas singulas N.* vt manupretium sit minus, id est merces operæ sine materia, quæ

Cat. cap. 13. Plaut. Asin. Sc. vbi ego nunc. Cat. cap. 13. Cat. cap. 14.

quæ ſemiſſis acceſſionem facit. Quare mox ſcribitur pretium in ſingulas tegulas N.S. nam manupretium & materia numeratur. Confidenter igitur continuo reſtituam: etenim quo alio nomine hanc audaciam temerariam vocẽ? *ex ſing. nu. manupretium erit.* quod enim, *ex ſigno*, inueterauit in exemplaribus, non facilem intelligentiam habet, & videri poſſunt verba duo compendio notata in vnum coaluiſſe. Quis enim non videt ex ſing. no. coniunctis ſyllabis & comprehenſis ex ſingnoeffici? deinde ſigno deracta litetra? Hæ me ſuſpitiones permouerunt, vt audacter contracta diſtraherem, & ſuæ breuitati redderem, ſenſum integrum exhibenti, quem contractio corrumpit. Mihi tamen hoc pretio percharæ videntur tegulæ, ſed libri non tam emẽdandi quam deintegro ſcribendi eſſent, ſi ad diminutionem ſummæ longè à literatura vetere recederetur.

Cat. ibid.

Torcularium in Catone, quadrina vaſa, prelum, lingula, arbores, ſuccula, porculus, vectes remiſſarij. CAPVT XXV.

Cat. cap. 18. IN torculario Catonis, quod non tam Grammatici literatura quàm architecti eiusque ingenioſi opera, vt intelligatur, indiget: pauca quædam libando annotaui, quæ æquus lector obſecro boni conſulat: ab alijs reliqua depoſcat. Torcularium locus eſt vel ædificium in quo ſunt torcula vaſa & trapeti. Torcularium quadrinis vaſis, non quadrarijs lego, vt alio loco quinis vaſis. quadrina vaſa ſunt quadrina torcula. lego, *vti contraria ſint*, non vt receptũ video: vult enim bina è regione collocari, quem etiã ſenſum illud *contra ora*, poteſt vtcunque reddere. Arbores cum cardinibus, intelligo arbores cum ſuo pede, quo tenuiore infiguntur ſuæ baſi ſuoque fundamento inſeruntur. Infra pedicinum vocare videtur, qua forma amicinum dicitur, vt ſit πώδων, id eſt vt ſit pes gracilis edolatusq; quo arbor ſtatuitur inſeriturque foramini fundamenti. eius verba ſunt, *ibi foramen pedicinis duobus facito: ibi arbores pedicino in lapide ſtatuito.* quid ſi paulò antè, *foramina tria longa p.s.* ⚌, emendemus? quanquam culpam præſtare nolumus: quare qui id faciat, ſuo ſe periculo non noſtro facturum ſciat. nos enim coniecturam mouemus, non definimus. exculpta verò foramina intelligo, cauata, quo ſenſu & Varro libro ſecundo de re ruſtica vſurpat. Prelum trabs eſt torcularis ad premendum, in quo lingulam interpretor nouiſſimam partem, quæ inter duas arbores inſeritur: eam pedes duos & ſemiſſem longam eſſe vult, & ita inter arbores conuenire debere proximo capite deſcribet, vt digitum pollicem laxamenti habeat, quo facilius prelum moueatur, quàm ſi arctius iũgeretur. infrà æquè, *vaſis quadrinis*, legendum confirmo. moxque, *inibi lapide ſilice totum forum.* quid autem

Cat. ibid. Cat. ibid. Cat. ibid. Var. lib. 2. de re ruſt. Cat. cap. 18. Cat. ibid. Cat. ibid.

autem forum ſit alibi me explicare memini. Arbores autẽ in torculari Cato vocare videtur, quas vulgò gemellas poſteriores ſolemus dicere, vt ſtipites anteriores gemellas, ni fallor. Hęc enim omnia coniectura quadam vacillante & infirma à me diuinãtur. atque hæc quidem Cato præcipit de torculario oleario: quod ſi quis vinarium facere velit (vaſa vinaria, Cato vocat) is, vt proximo capite ſcribitur, ſtipites & arbores binis pedibus altiores faciat. Succulam autem in torculari velut ſcrophæ ſimilitudine vocatam auguror: vt enim ſcropha vel ſuccula porculos habet, vt comicus Plautus ſcribit: *I dierecta cum ſuccula & cum porculis:* eodem etiam modo ſuum hæc machina porculũ habebat, Nam in media circiter ſuccula batillus aut vncus, qui figebatur vt teneret funẽ, quo dum verſabatur ſuccula, circumplicabatur, porculus vocatur. Cato, *porculum in media ſuccula facito.* Iterum, *vbi porculum figere oportebit.* Remiſſarij vectes ſúntne quibus remittitur non tẽditur prelum, an verò qui remiſſioris ſunt & minoris longitudinis, ſi me roges, hoc verius putem. vt autem hi remiſſioris ſunt longitudinis, ſic etiam remiſſius premunt minusque aſtringunt, vnde & nomen. Nam aliâs maiore conatu & cõſtrictione eſt opus, aliâs minore nixu & preſſione, præſertim in oleo faciendo. interdum etiã in vino. Scio equidẽ me præteriſſe multa, ſed qui niſi ſatur diſcedere non vult, abdomini nimium ſeruit: nos homines non paſcere, ſed quodam guſtu corũ palatum ſtudemus excitare: reliqua atq; adeò omnia, illis relinquentes, qui & doctrina ſuperiore præditi ſunt, & otio maiori abundant.

Cat. ibid. Cat. cap. 19. Cat. ibid. Plaut. Rudent. Sc. cupio ædepol. Cato cap. 19.

Somnium Veſtæ narrare, faces ardentes Dianæ, compita, Maro, quædam in Propertio emendata. CAPVT XXVI.

PROPERTIVS libro ſecundo ſcribit,

Ibat & hinc caſtæ narratum ſomnia Veſtæ,
Neu ſibi néue mihi quæ nocitura forent.

Propert. lib. 2. eleg. 30.

Veteres ad depulſionem malorum ſomniorum, quam viderant ſpeciem narrabant dijs, ac ſæpenumero domeſticis, vt Veſtæ, & Græci Apollini προστηρίῳ, vt apud Sophoclem Clitęmneſtra in Electra: ſed & Soli idem facere ſolebant: Sophocles,

Τοιαῦτά τῳ παρόντος, ὦ ἴσ' ἡλίῳ
Δείκνυσι τὸ νᾶρ, ἔκλυον ἐξηγουμένου.

Sophoc. Electr.

Soli autem ideo narrabant, quòd quemadmodum ſua luce tenebras fugat mundumque illuminat: ita noctis ſpecies ſomniaque diſcutere & irrita reddere putabatur: nox enim ſomniorum parens habebatur, cui radiatus & lucidus Sol contrarius eſt.

Cùm

Propert.lib. 2. eleg 33.

Cùm videt accensis deuotam currere thedis
In nemus, & triuiæ lumina ferre deæ.

Mulieres voti damnatę & compotes ab vrbe ardentes faces in Aricinum nemus, vbi religiosissimè colebatur Diana, ferebant illius deæ ferijs, vt Ouidius in Fastis scribit,

Ouid. 3. Fastor.

Sæpe potens voti frontem redimita coronis
Fœmina lucentes portat ab vrbe faces.

Venatores (nam venationibus Diana præest) sæpenumero faces spicatas accensas, eò ferebant, & canes suos morbo aut scabie affectos infulis velatos deæ sistebant, omneque instrumentum venatorium ante eam collocabant. Gratius,

Gratius, de venat.

Spicatáque faces sacrum ad nemorale Dianæ
Sistimus, & solito catuli velantur honore:
Ipsáque per flores medio in discrimine luci
Strauêre arma, sacris & pace vacantia festa.

Sed & Diana, quæ venari ferasque agitare & sagittis configere antiquorum opinione censebatur, illis ipsis ferijs suis, quæ Idibus Augusti celebrabantur, emeritos canes quietosque à venatione & immunes habere credebatur, ipsáque etiam feriari: Papinius,

Stat. 3. siluar.

—ipsa coronat
Emeritos Diana canes, & spicula tergit,
Et tutas finit ire feras.

Sed quoniam in illum Gratij locum incidi, non præteribo ex eo intelligi non tantùm compita in vrbe fuisse, verùmetiam in lucis vbi colebantur dij. scribit enim,

Grat. de ven.

Idcirco aërijs molimur compita lucis:

Sed & in agris, quod Cicero 2. de Legibus significauit, cùm scripsit,

Cic. 2. de leg.

Lucos in agris habento, & larum sedes.

Larum enim sedes est in compitis. Sequitur mox in Propertio:

Propert. lib. 2. eleg 33.

Flumina sopito quáque Marone cadunt:
Et leuiter lymphis tota crepitantibus vrbe,
Cùm subito Triton ore recondit aquam.

Opinor in aquæductu, qua saliebat aqua, fuisse statuam Maronis, siue ille poëta fuerit, siue Maro Homericus, eo habitu positã vt susurro eius sopitus videretur. Credibilius omnino tamẽ est in aquęductu statuã fuisse prisci illius Maronis optimi vinitoris, comitis expeditionum Osiridis, quem ætate prouectum, vt Diodorus scribit, in Thracia reliquerit, Maroneęque conditorem monumenta antiqua produnt: atque argumentum non inelegãs insciumque fuerit, vitigeni potus optimum cultorem, peneque inuentorem,

Diodor. Sicul. lib. 1.

uentorẽ, pro vino hominibus aquas ministrasse. Cùm autẽ quadam in vrbis parte Triton magnam aquæ cõpiam ore profundens, epitonijs versis aquam recõdiderat, & fundere destiterat, illa mutato flexoque cursu magno impetu crepitans ad porticum Pompeij tendebat per tubos, qua sopiti erat statua Maronis, & tanta cadebat mole, vt cùm leuiter in reliqua vrbe aqua susurraret, illic flumen videretur iustum esse.

Aut quid Cretæi tibi prosunt carmina lecta? Propert. lib. 2. eleg. 35.

Cretæum illum qui nouerit nondum conueni quenquam: aut igitur pro Epimenide Crete dictum est, vt à Beroaldo traditum est. Constat autem eum scriptorem carminum fuisse: aut Lucreti legẽdum est, cuius elegantissima carmina de rerum natura hodieque extant. Fortasse enim ea perstudiosè Lynceus legebat, cùm & ipse poëtas amaret, & versus scriberet, & ex illius ætatis secta se ad Epicuri sententiam propẽsiorem & docciliorem præberet. Ea enim philosophia tum in amoribus & delicijs erat: &,

Nil iuuat in magno vester amore senex. Propert. ibid.

de Epicuro dictum accipi poterit non incommodè: probabilior tamen Beroaldi sententia videtur.

LIBRI SEPTIMI FINIS.

ADRIANI TVRNEBI ADVERSARIORVM LIBER OCTAVVS.

Ocnus, dextra iuba, salire medio foro, pergula, quædam in Propertio declarata. CAPVT I.

VERSVM Propertij alioqui non facilem nec peruium ingeniosè Politianus aperuit, quem subscribam. Propert. lib. 4. eleg. 3.

Dignior obliquo funem qui torqueat Ocno,
Æternusque tuam pascat aselle famem.

Polit. Miscell. cap. 81.

Pictus enim fuerat, vt Plinius scribit, *à Socrate piger qui appellatur Ocnos, spartum torquens, quod asellus arrodebat.* Plin. li. 35. c. 11.

Quis autem non videt magnæ pigritiæ fuisse in torquendo sparto laborare, nihilque proficere rodente quicquid tortũ erat asino, nec tamen abi-

gendi asini laborem suscipere? Sed alium in sensum dici videtur à Propertio, de eo qui supplicio non dissimili Danaidũ pœnæ afficitur, aut qui in ignem lanam trahit, qui scilicet perpetuò sine effectu laborat: quomodo apud inferos Ocnum puniri opinio erat, vt existimo. Videtur, vt hoc addam, Aristoteles existimare hunc Ocnum in erodij genus omnium pi-
Aristot. lib. 9. hist. anim. c. 28. gerrimum mutatum fuisse. sic enim scribit, ὁδὲ ἀσφρίας ὁ ὀπτικαλέμβος ὀκνὸς μυθολογεῖται μὴ ἐκ δένδρων γενέσθαι τὸ ἀρχαῖον· ἔστι δὲ καὶ τῷ ἐπωνυμίαν τούτων ἀργότατος.

Seu voluit tangi parca lucerna mero.

Propert. lib. 4. eleg. 3. Apparet cùm auguria & omina caperent è lucerna, si quid diri denuntiare eius lumen videretur, mero id solitos expiare, tacta scilicet vino lu-
Propert. lib. 4. eleg. 4. cerna.

Sæpe illa immeritæ causata est omina lunæ.

Opinionem commemorauimus fuisse somniorum matrem esse noctem: ea à Luna nunc immitti scribit Propertius, cuius in nocte dominatus est, vt Solis interdiu obtinet potestas. Solebant autem somnia noctis expiare & lustrare perenni aqua.

Propert. ibid.

Cui Tatius dextra collocat ipse iubas.

Hic ego, vt in quibusdam codicibus reperimus, malim dextras. hoc enim veteres operam dabant, vt equorum iubæ in dextrum armum pronæ caderent: Virgilius,

Virg. 3. Georg. Propert. lib. 4. eleg. 5.

— Densa iuba, & dextro iactata recumbit in armo.
Murrheáque in Parthis pocula cocta suis.

Murrhina pocula hic significantur, quæ Propertius fictilia fuisse videtur existimasse, cùm in Parthorum caminis coqui ea scribat, dissentiente Pli-
Plin. li. 37. c. 2. nio, qui humorem putat sub terra concrescere dẽsariq́ue calore, eumq́ue lapidem erui, & in vasa celari. Tantam nobilissimorũ scriptorum in re frequentissima dissensionem, quis non annotatione dignam existimauerit?

Propert. lib. 4. eleg. 5.

Aut quorum titulus per barbara colla pependit,
Celati medio cùm saliere foro.

Nec eos quidem, inquit, amatores asperneris & refugias, quos titulo de collo pendente venales in foro hastæ suppositos, vel ad lapidem præconis, vt vænum irent non solùm stantes, verùm etiam, quod fieri assolet, cùm grex vęnalium venditur, saltantes in foro seruiliter videris: quos quidem ad speciem omni mangonio pingere, & cælare omni lenocinio solent vænalitiarij: alij occultare intelligunt. In foro saltare ingenuo turpe erat, quod seruitia cùm vænibant faciebant.

Propert. ibid.

Atque animam in tegetes putrem expirare paternas,
Horruit algenti pertica curta foco.

Hæc emendatio viri omnium facilè doctissimi Beroaldi est, cuius ego auctoritate non permoueor, vt veterem scripturam negligam.

Horruit

Horruit algenti pergula curta foco.

quam ego in suos penates reduco. nam pauperes quibus cella non erat, nec domus, interdum in pergulis habitabant, in quibus etiam vilissima scorta & omnium libidini prostituta merebant. Plautus Pseudolo,

Plaut. Pseud. Exite hinc.

Te ego ipsam culleo cras faciam deportere in pergulam.

Sic & Crassitius libertinus pauper Grammaticus, cui per inopiam habendæ in ædibus scholæ potestas non erat, docuit in pergula. Suetonius, *hic initio circa scenam versatus est, dum mimographos adiuuat: deinde in pergula docuit, donec commentario Smyrnæ edito adeo inclaruit, vt hæc de eo scriberentur.*

Suet. de illust. Grammat.

Spica cilissa, arcanæ saliuæ, lanuuinus draco, strigare.

CAPVT II.

AMBIGITVR cur lepidissimus & nitidissimus poëta Propertius crocum spicam cilissam vocarit: nec enim spicam crocus proferre videtur, & flos ille odoratissimus eius à spicæ specie vt quidam censent alienissimus est. Cur igitur ab eo poëta scribitur?

Propert. lib. 4. eleg. 6.

Tẽrque lauet nostras spica cilissa comas.

& ab Ouidio libro primo Fastorum,

Ouid. 1. Fastor.

Et sonet accensis spica cilissa focis.

sunt qui credũt spicas in radice esse. nam eorum quæ bulbosa radice constant in nucleos diuidua, nuclei spicę vocãtur, vt spicæ allij, & spicę croci, vt inquiunt: ego tamen spicam fila illa croci longa croceaq́ue esse credo.

Propert. lib. 4. eleg. 7.

At mihi non oculos quisquam inclinauit euntis:
Vnum impetrassem te reuocante diem.

suspicer alteram lectionem esse meliorem, *inclamauit euntis*. cùm animã, in quit, agerem, nemo præsto fuit, qui me inclamaret ne migrarem è vita, quod quidẽ si tu fecisses, vno die vitã mihi producere potuissem. *inclinauit* autẽ, erit clausit, quod facere morientibus chari vel propinqui solebãt.

Propert. ibid.

Aut Nomas arcanas tollat versuta saliuas:
Dicet damnatas ignea testa manus.

Sensum horum versuum putem, quæstionem habe de Lygdamo, aut de Nomade, quæ te amatorio veneficio nunc deliniuit. ea si arcanas suas remouerit saliuas, quas clam ad incantandũ mentem tuã cibo immixtas tuo adhibet, & ignea testa vratur, de scelere veneficij perpetrati confitebitur.

Propert. ibid.

Lanuuium annosi vetus est tutela Draconis:
Hic vbi tam raræ non perit hora moræ

Moram vt opinor raram dicit, quòd rarò spectaculum hoc videre licuerit. Lanuuij autem draco colebatur, vt in parallelis scribit Plutarchus,

cuius verba,quòd ad explanationem Propertij magno adiumento futura sunt,hic attexam,ὡς δὲ ἐσία ἐλεήσασα δάμαλιν ὑπέβαλεν, ἡ ἀντὶ ὠὸς ἐκόμισεν εἰς λαγῶον, ἡ ἱέρεια τῷ σεσωμένῳ παρ' αὐτοῖς δράκοντος ἀπέδειξεν.

Plutarch.in Parallelis.

Striga,nam taceo volsi carpenta nepotis:
Atque armillatos colla molossa canes.

Propert.lib 4. elegi 8.

hic legendum crediderim *Striga,nam taceo*,quidam etiam capro pro taceo legunt. Est autem strigare in strigam equos vel mulos iunctos agere, & rectà dirigere, nè diuersi abeant, hi in hanc, illi in illam partem. eo verbo vsus est qui parodiam venustissimam epigrammatis Catulliani lusit in Ventidium mulionem,

In catal.virg

Et inde tot per orbitosa millia
Iugum tulisse,læua siue dextera
Strigare mulas,siue vtrunque cœperat.

Quod autem Propertius ait eum immundæ saginæ fata venalia daturum, vbi erasas eius genas viceric barba pudenda,hunc sensum habet: vbi glaber esse vulsusque non poterit, nec in eradendo pudendam eius barbam nouacula superarit, nec proinde mulieribus amabilis fuerit, operam arenæ locare cogetur,& in familia gladiatoria merere,vt habeat vnde se turpissimo genere viuendi saginet: Prudentius,

Prudent.lib.2. cõtra Symmachum.

—& vulnera vendita pastu
Spectatura oculis.

Capsis,procum,& quædam è Ciceronе. CAPVT III.

SÆPENVMERO mihi mirari subijt, cur M.Tul.verbum capsis è tribus conflatum crediderit. Nam tria verba in duas coijsse syllabas, nónne prodigij simile esset? Eius autem hæc verba sunt in Oratore ad Brutum,

Cic in orat. ad Brutum.

Iam in vno capsis tria verba sunt ea esse suspicor cape,si,vis. At quanto verisimilius est M. Tulli præteritum esse antiquum pro ceperis? vt apud te lib. 2. de Leg *sacrum sacróue commendatum si quis clepsit rapsitue, parricida esto*:pro rapuerit & clepserit. Et Catullus,

Cic.2.de legib.

Catul.epig.41. ad eundum.

Nefaria scripta Sexti recepso,

pro recepero dixit. Et libro 3.Offic.Accius in armorum iudicio,

Cic.3.Offic.

Quod ni Palamedis perspicax solertia
Istius percepset malitiosam audaciam:

id est percepisset. Quod autem in eo Ciceronis libro non hinc lõgè scriptum est,crucem hominibus doctis defixit,in qua suffixi penderent: quid enim procum ad tabulas censorias pertineat, quærunt: & vt assolet, ad substitutionem aliorum verborum confugiunt. quod quidem tum facimus, cùm inopes consilij aliunde opem circumspicimus: eius locum adscribam,*Iam,vt censoriæ tabulæ loquuntur,fabrûm & procûm audeo dicere,non fabrorum*

Cic in orat. ad Brutum.

fabrorum & procorum.in censorijs tabulis erant descripti qui è collegio fabrûm erant, & alioqui cum sarta tecta locarent censores, perscribebãt in suis tabulis, quę cum fabris & redemptoribus pacti essent.in procis quod ait est obscurius: sed procos iam inde à Seruio Tullio vocabant in classibus,proceres: quod verbum censores retinebant in tabulis. Festus, *procûm patriciûm in descriptione classium,quam fecit Seruius Tullius,significat proceres.ij enim sunt principes*.Sequitur mox,*Quæ mulier vna duûm virûm*, cui locus Epist. lib.9. nonnullam lucem afferet, in qua scribitur, *Quæ mulier vna? quid inquam est,vsurpata duplex cubile*.& epistolæ vicissim iste aliquid lucis reddet: atque sese mutuo illustrabunt. quod autem eodem in libro scribitur,*Texitur exitium examen capiti*:è libro priore de Diuinatione perspicuè emendandum est.*texitur,exitiûm examen rapit*.Illud autem,*scripsere alij rem*,ex Ennio est,& in Bruto Ciceronis positum est,de Næuioque intelligitur. *Quomodo enim vester Axilla*,scribit Cicero, propterea quod Brutus,ad quem scribebat, genus à Seruilio Ahala ducebat. Latini nulli erant ita rustici,qui,inquit Cicero,nollent vocales cõiungere.cùm enim vocalis vocalem excipiebat,in pronuntiãdo altera supprimebatur, ne distractio & hiatus fieret.Itaque *ego omni officio*,pronunciabant, *eg'omn'officio*: quæ causa est vt in poëmate non soleant diduci nec distrahi, vt *mult tum ille & terris*, quod pronuntiandum est, vt si scriptum esset *mult' ill' & terris*.Itaq; perquam raro in poëmate Latino verba hiant,quod apud Græcos frequentissimum est.legit Victorius,quin vocales nolit, eleganter.

Fest.Pomp.lib. 14.

Cic.in Orat. ad Brutum.

Cic.lib.9.fam. epist. Amò verecund.

Cic.in Orat. ad Brutum.

Cic.1.de diuin.

Cic.in orat. ad Brutum.

Cic.lib.1.fam. epist.1.

Virg.1. æneid.

Sponsio,hysterica,mechanici,petauristæ,leuconica,bipenna,apud Martialem. CAPVT IIII.

QVID vetat attingere festiuissimi poëtæ Martialis lusus, atque in his operam hanc ludere? non semper supercilia adducẽda sunt,& ludus plerumque sibi dandus est,& remissione contentio studiorũ relaxanda. Scribit igitur libro vndecimo.

Vadas & redeas irreuolutus.

Mart.lib.11 epig.1.

sed titubat pedum gressus: legendum igitur existimo,*ineuolutus*,non irreuolutus.id autem erit non explicatus,non lectus.

Sed cùm sponsio fabulæque lassæ

Mart.ibid.

cùm dicit,sponsiones populi depositis pignoribus aut pecunia, de alicuius agitatoris victoria factas intelligit. Septimius Florens, *aspice populum ad id spectaculum iam cum furore venientem,iam tumultuosum,iam cæcum, iam de sponsionibus concitatum*. Scorpus autem nobilis agitator fuit & Incitatus equus,quem tanti fecit Caligula,vt ei destinarit consulatum.

Tertull.

Suet. in Calig. cap.55.

Permittis puto pileata Roma.

Mart lib.11. epig.7. Romani Saturnalibus pileum gerebãt,alijs diebus nudo capite erant,aut caput veſte velabant. Itaque veteres nullæ Romanorum ſtatuæ cum pileo viſuntur: Euſtathius lib.1.Odiſſeæ de Latinis, Ἴσως δὲ καὶ τὸ τὰς κεφαλὰς ἀκαλύπτους ἔχειν: differit enim fortaſſe eos nudi capitis conſuetudinem à priſca Græcia duxiſſe, cùm apud Homerum nec pilei nec cauſiæ vlla mentio ſit,& heroico ſeculo videantur ea capitis operimenta hominibus vſitata non fuiſſe. Euſtat.in 1. odyſ.

Dicet & ictericam ſe forſitan altera mœcha:

Mart.lib.11. Epig.8. Iterum, *Ictericam vetulo ſe dixerat eſſe marito:*

Mart.cod.lib. epig.72. proculdubio vtrobique hyſtericam emendandum, vt morbus vuluæ intelligatur,qui libidine plerumque leuatur.

Quam rota tranſmiſſo toties impacta petauro.

Mart ibid. epig.22. hic petaurus tignum vel tigillum eſt, quod à petauriſtis per rotam tranſmittebatur ei impactum : impacta tamen rota dicitur hic, cui impactum id eſt: quanquam & petauro quoque rota impingebatur, itáque tranſmittebatur per eam : atque id verius eſt, tranſmiſsione autem multa & frequẽti rota laxior reddita erat.tigno autem illo & rota vtebãtur, per hanc machinam ſaltãtes & geſtus dantes: ſed & tignũ aliquando altius ſuſpendebant,& inde ſaltus ad ſtuporem ſpectantium varios dabant.Lucillius,

Lucil.apud. Feſt.lib.14. *Sicut mechanici ex alto exiluere petauro.*

Mart.lib.11. epig.57. *Linconicis agedum tumeat tibi culcita lanis.*

Mart. eod lib. epigr.22. Ego & hic & in apophoretis in codice ſcripto reperi Leuconicis,quæ tomenta ſunt, atque ita vocabantur à Leuconio loco . hoc eò audacius ſcribo, quòd intelligam Sipontinum in eadem ſententia eſſe . Ne illud quidem indictum prætermittam, in eodem Epigrammate in veteribus charMart.lib. 14. epig.159. ſipont.in epig. 70. tis legi, *Et teges & cimex :* ita poſtulante ſyllaba prima cimicis , quæ longa eſt : hodie, *atque cimex*, legimus, & ei vim afferimus : ſed & pro purpura texta , *purpura pexa* reperi , quod prætermittere piaculum committere

Mart.lib.11. epig.57. Mart.ibid. Mart.eod.lib. epigr.60. fuiſſet : quin & *dactyliothecam* lego,non dactylothecam, & verſu hoc cogente,& verbi ſignificatione adigente,cùm annulorum repoſitorium intelligatur,qui δακτύλιοι Græcè vocantur:illud verò obſcœnum eſt,ſed tamen vt ab errore epigramma vindicetur adſcribendum honorem præfa-

Mart. eod.lib. epigr.59. Mart.eod. lib. epigr.62. Mart.lib.11. epig.73. tis , *tentumque Teleſphore ſentis* : hodie tecum excuditur . & nefandus ille, quem epigrammatis ſtigmate famoſi inurit, *Manneius* non *Maneius* vocandus, quod veteribus credimus libris, eosque fideiuſſores obligamus. *Drauci nata ſui vocat pipinnam* . hoc vocabulum plurimum Grammaticis hominibus exhibuit negotij. pipinnam à pipillando nonnulli hallucinantur : alij vepenem , & paruum intelligunt penem. ego vt ſententia quoque

que noſtra procedat in numerum, ſequor antiquos libros , & bipennam, vel quod idem eſt,bipinnam lego,cùm pinna & penna dicatur: ſic autem vocatur pars ea qua viri ſunt hoc loco, malè craſſa , quæ duarum pennarum tubos,vel cannas duplicis pennę amplitudine,id eſt craſſitudine non ſuperet.ſic vt opinor,tueri veterem ſcripturam præſtat, quàm Martialem non interpretari, ſed imaginario & falſo vocabulo ſubmiſſo nouum epigramma ſcribere.

Ceſena apud Ciceronem,ferre oculis,verberationem dare,ruta,palegium,quadrimus Cato. CAPVT V.

Qvintvs Cicero in epiſtola ad Tironem , vt ignobile oppidum nominat Ceſenam quum ſcribit : *Nam iſti duo vix ſunt digni , quibus alteri Ceſenam , alteri Coſſutianarum tabernarum fundamenta credas* . Quod ita viſum eſt doctis mirabile, vt de mendo locum ſuſpectum habuerint , & aliud quidpiam ſubſtituendum crediderint. Ego verò credam libenter vt humile & ignobile oppidum , Ceſenam per ludibrium poſitam eſſe, adductus auctoritate Sidonij Apollinaris , ſic libro primo ſcribentis : *Et tu iſthæc nobis Ceſenatis furni potius, quàm oppidi verna deblateras ?* Quædã oppida olim minima & frigidiſsima hodie florent & ampliſsima ſunt , nec ex eorum huiuſce temporis magnitudine qualia olim fuerint æſtimãdum eſt,cùm vt in hominibus, ſic & in illis magna vis fortunę ſit in vtrãq; partem,eoque magis quò diutius quàm homines,quorum vita breuis eſt, iniuriæ & fortunæ libidini patent. At verò Coſſutianæ tabernæ Coſſutiorum fuêre,aut etiam Coſſutiæ,quam ſibi prætextato deſponſatam Cęſar, vt à Suetonio relatum eſt , dimiſit . dicuntur autem vt & cæditiæ tabernæ apud Feſtum. At verò in eadem illa epiſtola *te fero oculis*, valet,te ita amo, vt ſemper mihi te obuerſari coram putem : itaque te non tantùm animo & mente,ſed oculis etiam videre videor . Quod autem in eadem prima ſcribitur, *mirificam mihi verberationem ceſſationis epiſtolæ dediſti*, in eo dare verberationem valet vtique verberare, vt apud Lucretium lib.6. dare ſonitum pro ſonare,& dare crepitum pro crepare,& dare fragorem pro immanem ſonitum edere, quæ genera loquendi ſæpe frequentat ille poëta, & Maro tenet . Verumenimuero quid illud tandem eſt quod Tullius ad Tironem ſcribit,*puto vtrunque ad aquas ſenias,quid egerint*.folium hoc quidem Sibyllæ eſt:nam nec ſemæ nec ſeniæ,ab vllo,quod ſciam memoratur.nihil meream vt non quod hic commentus ſum adſcribam,in quo etſi mihi placeo, & mihi bellus videor, vereor tamen ne me traducam . nihil quicquam ita ad vnguem finxerit arti fex è cera, vt æquè ſibi placeat ac ſe circunſpiciat , ac qui neſcio quid friuolum in literis ſibi bellè finxiſſe videtur

Cic.li.16.fam. epiſt.vlt. Sidon.lib.1. epiſt.8. Cic.lib.16. fam.epiſt.8. Suet.in Iul.c.1. Feſt lib.3. Cic.li.16.fam. epiſt. vlt. Cic.ibid. Lucret.lib.6. manue Harpal.

detur & excogitasse. sed cur ego tempus tero, nec promissa apparẽt? Ego igitur elemento vno extrito, legendum censeo, *emas quid egerint*: hoc sensu, si quid egerint illi scire de me vis, officio id aliquo tibi emendum est, aliâs nescies, nisi ista mercede. dubium autem mihi non est, quin nomen aquas de suo s literam vocabulo proximo largitum sit. Quid? illa, *Etenim ad cuius rutam pulegio mihi sermonis tui vtendum est*: nónne quòd condimenta hortorum è suo domicilio per metaphoram in aliam migrarunt significationem, efficiunt orationem obscuram & propè ænigmati similem? His autem non assentior qui herbas esse putãt rutam & pulegium somno aptas, cùm potius suo calore & siccitate insomniam afferrent. Lepta autem vir erat doctus & acris iudicij, qualis in condimentis ruta: sed & pulegium, quod rutæ reponit, acumen & eruditionem Tironis significans. Quod verò *de quadrimo Catone* velut cimerijs tenebris inuolutum scribit, intelligẽdum esse suspicor de quodam loco laudationis Catonis Vticensis, in quo scripserat aliquid factum à puero quatuor annorum Catone, eius laudes & decora à prima vsque infantia ducẽs. Nos ista explicare conati sumus, nec fortasse tamen quod voluimus sumus assequuti: quod si non videmur, operam lusisse putemur.

cic. eod. lib. epist. Iu verò.

cic. eod lib. epist. Spero ex.

Vasa torcula, prela temperata, mediponti, capistra, fibulæ, aluei, rutrum.

CAPVT VI.

DVODECIMVM caput Catonis de re Rustica hîc explicare in animo est: etsi perdifficile est cogitatione informare, quid multa apud eum scriptorẽ vocabula significent, quæ cùm rustica sint, aut fabrilia, nec auctoribus trita, aut à veteribus Grãmaticis enucleata, relinquitur nobis suspicio tenuis & cõiectura exilis, quæ vereor ne interdũ nos fallat. *Quomodo*, inquit, *vasa torcula v iugerum instruere oporteat*: emẽdo quinque iugorũ. Vasa enim torcula appellat torcularis instrumenta, vt prela, funes, quæ quidem singulorum generum quinq; vult esse, vt quina prela, quinos funes. eodẽ modo supra dixit vasa olearia instructa iuga quinq;. Vasa enim sentit illic quibus oleum fit & premitur. ait Cato, *in torcularium quæ opus sunt vasis quinis?* quod per interrogationem elatum existimo. mox enim respondet, *prela temperata quinque, superuacanea tria*. Torcularijũ locus est, in quo sunt torcula vasa, vt prela & reliqua. Prela temperata vocat, quæ apta sunt & accommodata ad torquendum & premendum: superuacanea otiosa supersunt, nihil agentia & cessantia, quę si illa superiora deficiãt, aut vitium agant, operosa esse possint, & in vicem succedere. Eodem modo vult succulas esse quinque operosas, vnam superuacaneam: si qua è quinque laborarit.

Cat. de re rust. cap. 12.

Cat. ibid.

Cat. ibid.

Cat. ibid.

borarit. Succula autẽ dicitur à sue, qua forma dicitur à boue bucula. nam & in media succula figitur paxillus nomine porculus cui funis annectitur, vt instrumentum hoc tractorium scropha videatur esse, quæ porculos habeat, quod iam & antè attigimus. Eius vsus est in torculari ad premẽdum. Funes loreos poscit quinque Cato, vt singulis prelis suus sit, vt sua succula: horum vsus est ad premendum. addit subductarios totidem, qui subducunt & tollunt prelum ope succulæ additis polyspastis, quæ trocleas Græcanicas Cato supra vocauit. *Medipontos V.* scribunt hic quidam melipontos: vtrunque probo, quomodo melicæ gallinæ & mẽdicæ dicuntur. Mediponti autem in instrumento funario erant, & Medi id est Xerxis pontem, quam σχεδίαν Herodotus appellat, imitabantur. Funium enim ponte Xerxes Hellespontum coniunxerat: cuius tamen vsus essent in torculari non facilè dixerim, nisi si ad traducendum fortè haberentur, aut potius crassissimi funes essent ad vehementissimè premendum. Trocleas quinque ad ducendum vel subducendum adhibet. Capistra quinque, id est quinque retinacula, quibus quinque prela tanquam frenis capiuntur, cùm ducenda sunt & torquenda, aut potius subducenda. *Assercula quinque vbi prela sita sient.* Tot vult asserculos quot prela operaria, vbi prela sita sint: asserculis alligantur scopæ virgeæ; ad detergenda dolia, vt auctor est Cato cap. 152. serias vult tres esse, vt opinor, vbi dum vindemia est, potus sit operariorũ. *Vectes quadraginta*, quibus traiectis succula onera sua & prelum molitur operarijs nitentibus, & eam versantibus ope vectium. Fibulas imperat totidem: sunt autem vincula & velut claui, quibus vel tigna inter se vel arbores connectuntur. Confibulæ sunt tãquam duplices fibulæ, quæ si quando quid hiet & aperiatur, ad constringendum vtrinque & cõprimendum adhibentur: interpositis & interculcatis etiam cuneis, quos desiderat sex: trapetos quinque postulat, in quibus olea teratur, quibus deseruiunt cupæ, quæ trapeto vtiles sunt, vt Cato cap. 21. declarat. alueis portantur ad trapetum oleæ aut aliquid capitur: palis aliquid sumimus, iacinus, mouemus, eruimus, molimur, etiam fodimus ferratis: Columella,

Tum mihi ferrato verſetur robore palæ
Talis humus.

rutris ruimus & iacimus: à ruendo nomen habent: Nonius à radendo putat, Lucilius, *Frumentarius est, modium hic secum atque rutellum Vna affert:* proinde quasi instrumentum sit hostorium ad æquandam mensuram & radendam: cùm tamen significari possit instrumentũ quo fruges corruuntur in modiũ, id est conijciuntur. Varro, *Cui celer δι' ἑνὸς λήμματος λόγος Antipatri stoici filius caput vtro displanat.* Erant enim ratiocinationes quędam Stoicis μονολήμματοι, id est vnius sumptionis.

Cat. cap. 152.

Cat. cap. 12.

Cat. ibid.

Cat. ibid.

Cat. cap. 21.

Colum. lib. 10. de cult. hort.

Apud Non. in Rutrum.

Apud Non. Marc. ibid.

Ante

Ante aliquem ſerram ducere, tabella dimidiata, apud Varronem macellarij. CAPVT VII.

TEMPERARE mihi non poſſum quin quædã Varronis loca tractem, in quibus operam fortaſſe luſurus non ſum. nam & ipſe exquirendo diſcam, & aliorum ſtudia vel adiuuabo vel excitabo: vt mihi vel profectus ſui gratiam habituri ſint, vel diligẽtiæ. In numerum igitur procedat quod
Var. lib. 3. de re ruſt. cap. 6. in cap. de pauonibus ſcribit. *De pauone*, inquit, *liberè licet dicas, quia diſceſſit Fircellius, qui ſecus ſi quid diceret de ijs, gentilitatis cauſa ante eum ſerram duceret*. Quidam locum explicant de ſerra militari Feſti & Vegetij auctoritate freti. Nam ſerra pugnari dicitur, cùm ſubinde acceditur ad hoſtem & receditur. Vegetius, *item*, inquit, *ſerra dicitur quæ ab ſtrenuis directa ante frontem opponitur hoſtibus, vt turbata acies reparetur*: verùm hanc expoſitionem ſemper ingenioſiorem quàm veriorem credidi, cùm exiſtimem Varronem dicere Fircellium Pauonem propter nomen commune & gentilitatem, quæ ei cum pauonibus intercedebat, ſi quis de eis ſecus, id eſt, malè loqueretur, ſtreperum & odioſum putaturum fuiſſe, neque libentius hominem eum auditurum, quàm ſtridentem & obſtrepentem ſerram, cuius argutia auribus moleſta eſt. Lucretius,
Veget. lib. 3. cap. 19.

Lucret. lib. 2.

Ne tu fortè putes ſerræ ſtridentis acerbum
Horrorem conſtare elementis læuibus æquè.

legitur in antiquis libris *antè conduceret ſerram* eleganter: pro mallet conducere ſerram, vt eius inſuauem ſtrepitum audiret. Scribit Varro, quod Victorij fide è libris veteribus, non excuſis referimus, *vis potius villæ publicæ vtamur vmbra, quàm priuati candidati tabella dimidiata ædificemus nobis?* quo loco hoc ſignificari ſentio: vis ingrediamur potius villam publicam, quàm in anguſtum tabernaculum candidati noſtri nos conſtipemus? Nam dimidiatam tabellam dixit exiguam tabernaculi partem multis hominibus refertis: ædificat autem ſibi, qui tanquam ædificium ſibi parat & locum. Varro
Var. li. 3. ca. 2. Var. ibid. ſcribit, *Et non pluris tu è villa illic natos verres lanio vendis, quàm hic apros macellarios Seius?* in quo emendo macellario Seius: Sunt enim macellarij, qui
Var. lib. 3. c. 6. obſonia vendũt lautiora. Varro, *excuſos pullos refert in teſtabilem eam in qua pauones habet*. Legendum cenſeo, *refert in ſtabilem eam*, id eſt in ſtabulum. multa enim alijs generibus veteres quàm conſuetudo poſtea tulit, enuntiarunt.

Impectere, apud Varronem, capiuntur ſequi, nutrices, bugonia.

CAPVT VIII.

PLACET & in Varrone quædam excutere & emendare: Scribo igitur

tur in eo, *pauoninis ter noueni*: & illud, *in ijs ijdem aiunt, cùm ad lumen ſuſtuleris, quod perluceat, id eſſe obinane*: & illud, *inigantur in flumen aut piſcinam*: & νησοτροφεῖον: & illud duobus verbis, *non in fauo ſex angulis cella?* id eſt ſex habens angulos: vulgo perperam vno editur vocabulo, ſexangulis. lego verſum Græcum hunc in modum.
Var. de re ruſt. lib. 3. cap. 9. Var. ibid. Var. lib. 3. c. 10. Var. li. 3. c. 16.

Βοὸς φθιμένης πεπολημένα τέκνα.

Var. ibid.

additur & alter verſus qui Nicandri eſt in theriacis, videturque redundare. iam ex veteri ſcriptura legendum videtur *itaque impectentes à ſe eijciunt fucos*. nam pectere pro impetere & verberare, à Comicis ſæpenumero teritur: vel potius, impectantes, pro pectere & verberare cupientes, deſiderandi forma, vel frequentandi pro ſæpe pectẽtes atque pungentes. Nam vt fictum pro fixo à Varrone dicitur, & à veteribus Grãmaticis obſeruatur: quidni eodem modo pexum pro pectum ab eodem dicetur, à quo pecto pectas: cùm præſertim pro pexus pectitus à Columella dicatur,
Var. ibid. Var. ibid.

Inde vbi ſe puro diſcrimine pectita tellus.

Colum. lib. 1. & de cult. hort.

ſic à lego lecto dixit Horatius, à ſcribo, ſcripto. Inſectãtes tamen non ineptum eſt, ſed quam Victorius lectionem veterem refert, eam interpretabamur. Lego apud eundem libro ſecundo, *cùm creuerunt, capiuntur ſequi matrem paſtum*. Nam illud capiuntur valet cupiunt, expetunt, deſiderant.
Var. lib. 2. c. 4. item, *vt deſidetium poſſint ferre nutrices*: id eſt, matres quæ eos nutricant. ſic mammas nutrices appellauit Catullus, & μαζὸν, id eſt mammam, nutricem contra appellauit Callimachus. Item, *narra iſti*, inquit, *eâdem qui ſermones ſint habiti*: id eſt eadem via & opera, quomodo ſæpe loquitur Plautus. Rurſum, *& hinc Plautum loquutum eſſe Latinè, cùm Hirrium prætorem renuntiatum Romam in Senatum ſcriptum habere. Sed bono animo es: non minus ſatisfaciam tibi, quàm qui bugoniam ſcripſit*. Vbi legendum cenſeo, in Senatu ſcriptum aueres. Varro Hirrium ſenatorem in Senatu ſcriptũ eſſe optabat, quem ordinẽ aſſequebãtur Ædiles & Prætores, alijq; magiſtratus. Cùm eum audiſſet prætorẽ renuntiatũ Plautius, Varroni dixit, mulſa tibi affero, affero tibi optabilem nuncium: tam tibi ſatisfaciã, quàm qui bugoniam, id eſt apiarium, aut qui de apibus ſcripſit. Mel erat antiquis in delitijs, vnde meum mel, mihi eſt mellinę, & illud Comici, *mulſa loquitur*. Sed & apum iucunda & dulcis ob mellificium eis memoria erat. Plautus,
Catullus. Callimach. Var. lib. 2. ca. 5. Var. lib. 2. ca. 5. Plau. Pœnul. ſc. Negotij qui.

Egon' apicularum opera congeſtum non feram?

Plaut. Curcul. ſc. Quo te hoc.

Quamuis autem bugonia verbum Græcum ſit, tamen id in Latina poſſuit oratione Plautius, qui bugoniam ſcribere dixit, qua forma Iliadem Homerum ſcripſiſſe dicimus. Mel, inquit, qui tibi daret gratior & iucundior non eſſet, nec tibi magis ſatisfaceret, quàm in præſentia faciam. nuntio enim tibi Hirrium prætorem eſſe renuntiatum: vel etiam Varro renuntiatum

nuntiatum prætorem Hirrium in actis ſcribi primo quoque die optabat, idque cupiebat in acta referri, qua in re ſe eius deſiderio ſatisfacturum, ſeque quod ei iucundiſſimum ſit, facturum pollicetur Plautius. hanc poſteriorem ſententiam etiam non puto contemnendam.

Careum, Murrhea, enthecæ, aſinus machinarius, pædagogia, focaria, cauteria. CAPVT IX.

VT ſæpenumero mare tentamus, quamuis incolæ terræ ſimus, aut ad exteros è patria excurrimus: ita mihi quoque vſuuenit, vt in iuris ciuilis quoſdam titulos euagarer, & aliquid enotarem. In titulo igitur de penu legata, carreum quod ſcribitur, careum eſt ſcribendum. carum enim & careum ſemen exiguum eſt, ſtomacho iucundum, cibo gratum quod oxyporis miſcebatur: quidam carenum legunt. Murrhea autem vaſa ſunt, quę myrrina etiã vocantur, vt è Propertio iam antè diſſeruimus. Promercium in Paulo dicitur ea ratione, qua commercium. Illo autem verbo continentur ea, quę paterfamilias promercalia habet & venalia, id eſt quæ non ſuæ vſioni & penori, vt conſumat, ſeruat, ſed vt pecunia mutet. Cùm Q. Mutius diſputat eo penore, quod paterfamilias vſus ſui cauſa paratum habuiſſet, *accipiendum eſſe & amicorum eius & clientium, & vniuerſorum quos circa ſe habuit, non etiam eius familiæ, quam neque circa ſe neque circa ſuos habuit: puta ſi qui ſunt in villas deputati, quos Q. Mutius ſic definiebat, vt eorum cibaria contineri putet, qui opus non facerent, materiam Seruio præbuit notandi, vt textorum & textricum cibaria diceret contineri.* id ex eo notauit Seruius, quia antiqui in villis textrinum aliquando inſtituebant. Varro, *vt ſi habeas plures in fundo textores atque inſtitutos hiſtonas, ſic alios artifices.* Sedularia in ſedilibus, vt cathedraria in cathedris numerãtur. *Dotes*, inquit Papinianus, *prædiorum, quæ Græco vocabulo enthecæ appellantur*: ſunt Enthecæ ſupellex, quæ in prædio poſita eſt, & penus annonaq;, tanquam eius dos. Sic Iſidorus interpretatur hoc vocabulum, *Enthecam Græco ſermone repoſitam rei copioſam ſubſtantiam appellamus.* huc pertinet illud Sidonij affectatiſſimè & ineptiſſimè dictum. *Quicquid Helicon verbalibus horreis enthecatum poſſederat.* Focaria eſt quæ focũ colit & culinaria eſt. Nam μαγειρίσσας Diuus Hieronymus Focarias Latinè reddidit. Aſinus machinarius eſt, molendarius, qui molit, id eſt, qui molam machina quadam incluſam voluit & torquet; quam & machinam frumentariam vocat Iuriſconſultus: Sic machinalia pondera vocat Auſonius, piſtrinalia pondera. *Qui*, inquit, *machinali ſaxa voluunt pondere*: ſic amica de machinis empta à Q. Cicerone fortaſſe dicitur, id eſt de piſtrino vel molettina. Eſt & cataſta

L. Non omne bibitur ff. de pen. legat.

L. Supellectile ff. de ſup. leg. & l. etſi non ff. de aur. & arg. leg.

L. Nam quod. §. idem ſi quis ff. de pen. leg.

L. Qui pen. leg. ff. cod.

Var. lib. 1. c. 2. de re ruſt.

L. inſtrumenti ff. de ſupel. leg.

L. Cum pater §. dotes prædiorum. ff. de inſtr. & inſt. legat.

Iſidorus. Sidonius.

D. Hieron.

Auſon. epiſt. 7. Q. Cic. de pet. conſul.

taſta machina, de qua emi potuit: ſed in ſingulari numero loquendum videretur. videntur & machinæ quædam fuiſſe, quibus ſerui in ergaſtulo aut alibi continerentur & coërcerentur: etiam liberi interdum. Plinius, *paucis diei horis pingebat, id quoque cum grauitate, quòd ſemper togatus, quanquam in machinis. Carcer eius artis domus aurea fuit.* Iuriſconſultus cùm ſpecularia & pegmata dicit pegmatum nomine antepagmenta videtur intelligere, quæ valuarum ſunt ornamẽta affixa antis. pædagogia ſunt puerorum cœtus, id eſt ſeruitia puerilis ætatis: nos hinc pueros nobiliũ miniſtros pagios velut pędagogianos pueros, vt Marcellinus nominat, vulgò ſolemus appellare. Serui ſupellecticarij, qui ſupellectilem curant: eo etiam nomine veniunt qui eam faciunt. Fornacator ſeruus eſt, qui fornacem balnei caminumque ſuccẽdit. Cauteria ſunt quibus pictores olim ceris pingentes picturam tabularum inurebant. Hæc hinc inde in hoc caput velut in horreum congeſta ſunt è Iuriſconſultorum latifundijs, aut ex eorum ſupellectili inſtructa.

L. Quæſitũ. §. ſpecularia. ff. de Inſt. vel inſtrum. leg.

L. eod. §. ſi inſtructum eod. tit. Marcellinus.

L. item pictor. eod. tit. ff.

Heraclea pocula, patella, patera, cruſtæ, emblemata, Netum, proagorus. CAPVT X.

NOMINAT Cicero pocula Heraclea in Verrem, quo ſanè in loco aliquando thericlia ex Athenæo ſubſtituebam, nunc me ſubſtitutionis illius pœnitet & piget: Heraclia autem vaſa ab Hercule nomen habuerũt, fuereque magna & capacia, quæ tanti herois ſitim extinguere & ſatiare poſſent. Nam Hercules in potoribus numerabatur maximis: eorum poculorum etiam apud Athenęum mentio eſt. Pro, *reclamat tota Sicilia*, quidni freti bonis libris audacter, *res clara tota Sicilia*: ſcribimus? *equitabit*, inquit, *in his equuleis*: quod eſt ſe oſtentabit, ſe iactabit: qua in ſignificatione verbo equitandi, niſi me memoria fallit vtitur Arnobius, & Horatius, pro inſultabo, dixit, *vectabor humeris tunc ego inimicis eques.* Turibulum, patellam & pateram fuiſſe dicit in omnibus ferè locupletibus ædibus Siculorum Cicero: in patella dijs apponebantur epulæ, cùm res diuina dijs penatibus laribusque fiebat, aut de cœna eis libabatur: patera vinum libabatur turibulo thus adolebatur vaporabaturque. mox ſcribo, *peræquè pro portione cætera.* non peræqua. *Cn.* inquit, *Pompeius eſt Philo, qui fuit Tyndaritanus.* Philo iſte Siculus erat, qui à Cn. Pompeio ciuitate donatus, nomen bene meriti patroni, vt tum fieri ſolebat, ſumpſerat. Is adeptus ciuitatem Romanam, iam Tyndaritanus non erat: homo enim Romanus, alterius ciuitatis eſſe non poteſt. Calactinus à Calacta oppido Siciliæ dicitur, cuius mentio eſt apud Ptolemæum. quod ait Cicero, *argentum illi cæterum purum appoſuerat*: hoc ſenſu dicitur, cùm intelligeret quàm eſſet Ver-

Cic. 6. in Verr.

Athen. lib. 11. cap. 1.

Cic. 6. in Verr.

Cic. ibid.

Arnobius.

Horat. Epod. od. 17.

Cic. 6. in Verr.

Cic ibid.

Ptolem. lib. 3. cap. 4.

Cic. 6. in Verr.

res cupidus emblematum, vasa puri argenti, quò minus accenderetur eius auiditas, appositerat: tantùm adiunxerat vasa duo cum emblematis. Nam his exceptis reliquum erat argentum purum appositum, ne hospes omni suo spoliaretur argento. Crustas & emblemata nominat Cicero vasorum ornamenta: inter quæ videtur interfuisse, quòd crustæ tectoria quædam erant, & tanquam bracteæ quædam illitæ, & laminæ inductæ inauraturæque. Emblemata pretiosiora erant, & operis exquisitioris, exemptiliaque erant, cùm illigata essent vel adfixa. crustæ autem, etsi reuelli poterant, tamen firmius inhærebant. *Attalus*, inquit, *homo pecuniosus nec vulgò Lilybæi*: vetus liber, *Attalus homo pecuniosus necci: Liso Lilybæi*. Nam vrbis nomen perspicuè desiderabatur: ea Nectum à Ptolemæo vocatur, à Silio Netum, *Et Netum & Micite, pubesque liquentis Acheti*. quare Neti scribendum reor. Mox, *Archonides Pelori, dies me citius defecerit*. Nec multò post, *ad se & ad Selenem*. Nam ea mulier lunæ vocabatur nomine, vt Antonij filia. sed & supra, *hoc denique quod concedit*, legendum sine dubio, non concepit. Proagorus autem est Dorica ratione, quam Latini æmulantur, & Siculorum lingua erat, qui ab alijs Græcis προήγορος dicitur, qui princeps est & ante alios verba facit. Oculis captus sæpe dicitur, qui nihil videt: & mente captus, qui non sapit. quorum enim oculi capti sunt, & manu pressi, cernere non possunt: etiam oculis captus dicitur, qui rei alicuius specie captus est & allectus, vt eam vehementer concupiscat, & habere ardeat. Cicero in eadem oratione, *tametsi ne oculis quidem captus in hanc fraudem tam sceleratam ac tam nefariam decidisti.*

Cic. ibid.
Cic. ibid.
Ptolem. lib. 3. cap. 4.
Silius. Ital. lib. 14 de bell. Punico.
Cic. 6. in Verr.
Cic. ibid.
Cic. ibid.

Sutrium ire, flos libycus, canina scæua, bona scæua.

CAPVT XI.

QVOD in Plauti Casina legitur,

Sed facito dum memineris versus quos cantat colax:

longè aliter descriptum in antiquis reperi schedis, & annotatu obseruatuque dignum duxi,

Sed facito dum Mæoni aper versus quos cantat colas:

è quo etsi obscurus, tamen aliquis sensus elicitur non inamœnus: si autem colax legatur, assentator erit, qui aliqua in fabula id cecinerit, vt & si Mæoni, legamus. Quid si Mæonia per versus legamus, vt vel de aliquibus in fabula sic cantari intelligamus, vel ab Etruria, quæ à Mæonibus id est Lydis originem ducebat: in Festo legitur merula claudicante versu: Et potuit quiddam tale merula vocalis canere, quod & festiuius erit. *Cum cibo tum quiqui vt veniat facito, quasi eant Sutrium.* esse hoc à re militari tractum

Plaut. Cas. Sc. Nunc amici.
Fest. lib. 11. Plaut. Cas. Sc. Nunc amici.

ctum videtur. sæpe enim, cùm properato est opus, & in expeditionem est miles rapiendus, imperatur vt cibaria secum ferat: vt cùm rapidè fortasse Sutrium duxit exercitum Camillus. Gallico tumultu ait Festus edictum esse vt legiones Sutrij præsto essent cum cibo suo: & Sutrium ire in prouerbijs numerat. nonnunquam & trium dierum cibaria imperabantur.

Fest. lib. 17.

Aristophanes, Καὶ μὴ 'ξτιλπρεῖν σιτί' ἡμερῶν τριῶν. Aristophanes.

Iterum, Ἥκειν ἔχοντας ἡμερῶν ὀργλὼ τριῶν πονηρόν. Aristoph. Pace.

Ijsdem in chartis reperi, *non ecastor vilis emptus est*, non vili: & significat carum esse salem, & vicinum proinde sibi non emisse insulsumque ac fatuum esse. Illud quoque reperi, *operam vxoris polliceor foras quasi catillæ, tum flagitium hominis*. in omnibus editur catillatum, nec à me damnatur, sed illud alterum indicatur, vt si cui arrideat sequatur. hunc enim locum iudicio hominum & arbitrio existimandum relinquimus, nostram sententiam non interponimus.

Plaut. Cas. Sc. vt properarē.
Plaut. ibid.

Nisi, inquit, *hæc meraclo se vspiam percussit flore libyco.*

sic hic versus à doctissimo viro Ioachimo Camerario vtriusq; linguæ nostra ætate antistite, restitutus est, & in illis, quas appellaui hoc capite schedis reperi. Flos autem libycus, vinum est Mareoticum literarum monumentis non incelebre: etiam versu Maronis clarum Mareotidibus vitibus in optimo genere numeratis. Mareotis autem Libye à Plinio recensetur Ægypto contermina. Meraclum est meraculum. erat & in ijs planè & literatè perscriptum, *Dabo μέγα κακὸν*. hodie ναὶ κακὸν percrebruit. Noua nupta olim non solùm non cõtingebat pedibus limen domus in quam deducebatur, sed nec eius è qua exibat: Plautus,

Plaut. Cas. Sc. Nulla, nulla ja̅.
Virg. 2. Georg. Plin. li. 5. c. 6.
Plaut. Cas. Sc. Vade fur, vt sentis.

Sensim super attolle limen pedes noua nupta.

Illud alterum à multis obseruatur, hoc non item. pro, *hac ibo*,

Plaut. Cas. Sc. Sensim super.

Caninam cœnam spero meliorem fore;

Plaut Cas. Sc. Vbi tu nũc es?

erat probè & planè scriptum, caninam scæuam, quod auspicium significabit, quod canibus plerunque infœlix & infaustum est, cùm & cædantur & malè accipiãtur: vel potius latratum canis dicit auspicium caninum, cùm sæuius & asperius latratura sit vxor. Varro, *quòd puerulis turpicula res in collo quædam suspenditur, ne quid obsit, bonæ scæuæ causa*. & alio loco Plautus,

Varr. lib. 4. de ling. Lat.

Bene prædatus ibo, bona scæua est mihi.

Plaut. Pseud. Sc. Malus & nequam.

ea dicta ab scæua, id est sinistra, quòd quæ sinistra sunt, bona auspicia existimantur. Legendum autem suspicor in fabulæ clausula,

Eáque nubet Euthynico nostro herili filio.

Plaut. Cas. Sc. Spectatores.

Nam Theuthynico quod editur, ex eo deprauatum est, quòd vltima litera verbi nubet antecedentis geminata est, & ad sequens attracta nomen. hæc cursim & properãter è vetusta eruebamus charta, & bonæ iuuentuti transmittebamus.

Ennæa Ceres, Temenites Apollo, forum ornatum, & quædam in Ciceronе emendata. CAPVT XII.

Cic.6.in verr. Val.Max.lib. 1.cap.1. Claudian.lib. 2.de rapt. Proserpin. Valer.li.1.c.1. Arnob.lib. 5.

QVAM Cicero in Verrem & Valerius vocant Ennęam Cererem Ætneam appellat Claudianus,

Ætnæa Cereri proles optata virebat
Vnica.

in quo tamen Ennææ legere mallim: cùm præsertim Valerius scribat ex ea ciuitate sacra eius orta fuisse, & Arnobius fabulam Ennæam vocet. quanquam cùm ex Ætna raptam Proserpinam sint qui tradant, Ætnæam fortasse non deerit qui defendat. In illa autem Ciceronis oratione legendum puto è clancularijs & reconditis libris: *Ita*

Cic.6.in verr. *verò ab omni aditu*: & mox, *lætissimique flores*. Infulas porrò & verbenas

Cic.ibid. cùm dicit, significat ἱκετηρίας, aut ὄσχους: vnde & ὀσχοφόροι ἢ θαλλοφόροι: præsto enim eos fuisse cum ramis & velamentis dicit, velut supplices: non enim hic verbena nomen herbæ est, sed potius ramum oleæ significat, vt & cuiusuis arboris & plantæ, cùm religiosè fertur: non dubito autē quin

Cic.ibid. è sanctuarijs antiquorum codicum restituendum sit in M.Tullio. *purum à cæde seruatum est*: non vt inoleuit, *à plurima cæde*. est omnino illud Ciceronis elegantia dignius. Qui Apollo Thesmotes excuditur in eadem ora-

Cic.ibid. tione, in antiquariorum libris, Temnites scribitur: vnde & corrigendi bella occasio est. legēdum itaque reor Temenites. Nam de Syracusis loquitur, quibus adiunctę Epipolæ erāt; queis locus nomine Temenos subStephan.de vrb. erat: vnde, vt cōijcio, Temenites Apollo vocatus fuit. Stephanus, τέμβος τόπος σικελίας ἀπὸ τὰς ἐπιπολὰς τοῦ ἄστεως συναφθείσας. mihi & loci propinquitas & vocis, facilè persuasit vt hanc coniecturam amplecterer, quam vt equidem alijs probatam cupio, ita non sic commendo, vt si quid melius excogitent, non ipse vltro recepturus sim. Meæ etiam fauet & suffra-

Suet.in Tiber. cap.74. gatur sentētiæ Suetonius in Tiberio ita scribens, *Supremo natali suo Apollinem Temenitem, & amplitudinis & artis eximiæ, aduectum Syracusis, vt in bibliotheca noui templi poneretur, viderat per quietem affirmantem sibi, non posse*

Cic.6.in verr. *se ab ipso dedicari*. Reperi etiam inter blattas, *nullas vnquam vllo tēplo fuisse*, cùm hodie *tempore* edatur, quod etsi non ausim eijcere, tamen quod illi

Cic.ibid. controuersiam faceret indicare volui. *Spectet*, inquit Cicero, *eorum ornatum, si quid iste suorum ædilibus accommodauit*: ego vnius literulæ mutatione, *forum ornatum*, lego: ludis enim forum ornari solebat, antequam theatrum esset à Pompeio ædificatum & dicatum: & interdum postea. Cic.

Cic.3.in verr. 3. in Verrem, *vidi simul cum pop.Rom. forum comitiumque adornatum ad speciem magnifico ornatu*. Illa verò ex antiquis libris cōmemoratione & per-

Cic.6.in verr. scriptione non sunt indigna, *quid arbitramini Rheginos, qui iam ciues Romani*

mani sunt, merere velle, vt ab ijs marmorea Venus illa auferatur? hodie *ne auferatur*, receptum est: & continuò, *quid Tarentinos, vt Europam in Tauro* Cic.ibid. *sedentem amittant?* hodie, *vt ne Europam*. hoc enim significat, quàm ma- Cic.ibid. gnam pecuniæ vim pro illis signis peterent? non longè hinc, *mirum quendam dolorem accipere eos*: hodie, *accidere ijs*, quod equidem etiam laudo. &, *non modo lenitudine*: hodie *modo* abest. &, *nam principum sententiæ perscribi solent*: hodie *principium solet*, &, *quoniam ex tota prouincia soli sunt*: hodie ex- Cic.ibid. cuditur, *qui ex tanta prouincia*: mox, *vt ad ea quæ rogati erunt*: hodie desidera- Cic.ibid. tur præpositio, quæ non videtur inanis esse nec otiosa. has è veteribus libris scripturas in suos codices retulerat Petrus Gallandius, cuius obitu & academia magnam iacturam fecit, & ego amico singularis exempli, & patrono de me bene merito orbatus sum.

Lumen, luminaria, Cicero & Cato declarantur.
CAPVT XIII.

IN opusculo de optimo genere Oratorum, libet vnum atque alterum Cic.de opt. locum explicare: in eo cùm scribitur, *Sed earum omnium rerum vt ædificio- gen.orat. rum, memoria fundamentum est, lumen actio*, vulgò parum attendunt lumen eo loco fenestras significare, quibus in ædes lumen admittitur: cùm tamen in hac significatione non rarò à scriptoribus vsurpetur, vt à Catone cap.14. apud quem etiam luminaria foriculas fenestrarum significant & specularia: eius verba sunt, *Lumina sex, scamna tria, sellas quinque, telas iugales duas, luminaria sex*. alia non proferam exempla, ne in re nota videar Cat.de re rust. cap.14. minimè necessarijs testimonijs vti. In versibus Lucillianis quos adhibet Cicero, parum emendatum mihi videtur, quod sic legitur, *cum Pacidiano* Cic.de opt. *hic componitur*: verius puto & incorruptius, *cum Placideiano*, vel Horatio gen.orat. auctore, qui de eodem gladiatore agens scribit,

Aut Placideiani contento poplite miror
Prælia rubrica picta aut carbone: Horat.lib.2. sat.2.

quanquam si sola adductus coniectura sic corrigerem, à me faceret syllaba, quæ in Pacideiano producta est. in Placideiano breuis & versui accōmodata.

Æraria ratio, ratio ad denarium, ad sestertium, ad Castoris.
CAPVT XIIII.

IN Quintiana non parum obscuritatis habere, lucēque interpretationis desiderare verba illa videntur, *Hoc eò per te agebatur, quòd propter æra- Cic.pro Quint. riam rationem non satis erat in tabulis inspexisse quantum deberetur, nisi ad Castoris quæsisset quantum solueretur. decidis statuisque tu propter necessitudinem,*

quæ tibi cum Scapulis est, quid ijs ad denarium solueretur: qua quidem de re quid sentiam, homines non celabo, vel eo potissimum nomine, vt aliorum ingenia acuam ad verum inuestigandum. rationem arariam arbitror dici, cùm in assium numerum summa redigitur: vt verbi gratia, si centum millia æris deberi dicam. fac igitur centum millia æris debita fuisse Scapulis ex æraria ratione: eam summam sibi in ære numerari nolebant, in argento optabant. nemo est enim qui non magnam summam in argento, quàm in minuto ære habere malit. non recusabant debitores, sed aliquid deduci volebant, si ad denarium soluerent. Erat enim denarius argēteus, & in argento ratio vel ad denarium fiebat, vel ad sestertium. Volusius, Volusius. *Quare si ad denarium rationem conficies*: & paulò post, *cùm ad denarium ratio conficeretur*. Rursum Volusius, *si prius inspexeris ad quem modū sestertiaria ratio conficiatur*. Igitur propter illam deductionem, quam debitores eo nomine petebant, ad Castoris est ventum, quo homines sæpe de suis negotijs & controuersijs cum aduocationibus veniebāt, vt aduersarijs aliquid denuntiarent, aut cum eis transigerent & deciderent. Cicero in Verrem, Cic. 3. in verr. *Ausum esse in æde Castoris celeberrimo clarissimoque monumento, quod templum in oculis quotidianoque aspectu populi Romani est positum, quo sæpenumero Senatus conuocatur, quo maximarum rerum frequentissimæ quotidie aduocationes fiunt, in eo loco in sermone hominum, audaciæ suæ monumentū æternum relinquere*. his ex locis arbitror nonnihil illustratā Ciceronis sentētiam esse.

Trabs Cypria, apud Horatium, vitrea Circe, Fauni fistula.

CAPVT XV.

HÆC opera desultorię cuiusdam leuitatis est: huc enim & illuc transilit, carptimque hinc & illinc delibat, variaque colligit, vt interdum nec pes nec caput vni respondeat formę. Venire video in controuersiam, quę sit apud Horatium trabs Cypria, initio carminum hoc versu,

—vt trabe Cypria
Myrtoum pauidus nauta secet mare.

Horat. lib. 1. od. 1.

Ego prætermissis aliorum sententijs, quid existimem proferre non cunctabor: equidem poëticè sic intelligo significari nauim, præsertim cùm Cyprus omni materia ad nauium ædificationem sic abundaret, vt ab ima carina, ad summum carchesium, sine subsidijs aliarum regionum totam nauim absolueret, & omnibus armamentis eam instrueret. Quis huic rei testis? Marcellinus, cuius hoc testimonium est. Marcel. lib. 14. *tanta autem, támque multiplici fertilitate abundat rerum omnium eadem Cyprus, vt nullius externi indigens adminiculi viribus, à fundamento ipso carinæ ad supremos vsque carbasos ædificet onerariam nauem, omnibusque armamentis instructam mari committat.*

Multi etiam ambigunt, cur vitream Circem appellarit his versibus,

Dices laborantes in vno
Penelopen vitreamque Circem. Horat. lib. 1. od. 17.

Ego pro aquarum accola & maritima accipio, & tanquam aquarum nympha, cùm aquarum color vitreus sit, & Nymphæ apud Maronem lanificium huius coloris exerceant: versus enim eius est,

Carpebant hyali saturo fucata colore, Virg. 4. Georg.

id est vitri. Glaucus etiam & cerulens color, qui vitro proximus est, tribuitur fluuialibus & maritimis dijs: Virgilius de Tiberino,

—eum tenuis glauco velabat amictu
Carbasus, & crines vmbrosa tegebat arundo. Virg. 8. æneid.

Paterculus, *cùm ceruleatus & nudus caputq; redimitus arūdine, & caudam trahens, genibus innixus Glaucum saltasset in conuiuio*. nam ceruleatum dicit, ceruleo indutum amictu. In eo autem carminum lib. cùm Horatius scribit, Paterc. poster. volum.

Vtcumque dulci Tyndari fistula
Valles, & Vsticæ cubantis
Læuia personuere saxa. Horat. li. 1. od. 17.

Fauni fistulam interpretor, ex priscorum opinione, qui loca vocis imaginem referentia, à Faunis & Satyris incoli credebant, vt conuallem suæ villæ Horatius: sed & eos modo tibia, modo fistula canere credebant, vt ex Lucretio cognosci potest,

Hæc loca capripedes Satyros Nymphásque tenere Lucret. lib. 4.
Finitimi fingunt, & Faunos esse loquuntur:
Quorum noctiuago strepitu ludóque iocanti
Affirmant vulgò taciturna silentia rumpi,
Chordarúmque sonos fieri, dulcésque querelas,
Tibia quas fundit digitis agitata canentum:
Et genus agricolūm latè sentiscere, cùm Pan
Pinea semiferi capitis velamina quassans,
Vnco sæpe labro calamos percurrit hiantes,
Fistula siluestrem ne cesset fundere musam.

Vtcumque autem pro vbicunque Horatius vsurpauit. Nam & vt, pro vbi dicitur: Catullus,

Verum totius vt lacus putidæque paludis Catul. epig. 17.
Liuidissima maximeque est profunda vorago.

id est, vbi profundissima vorago est: eodem modo in Arato Cicero, Cic. in Arat. Phæn.

—vt prius altæ Chelæ, pro vbi. Nam Græcè est, ἦχί περ ἄκραι χηλαί.

Sed quia ad eam antiquorum de Faunis & Satyris opinionem Melæ ver-

Pompon. Mel. lib. 3. ba pertinent, ea adijciam, *inde viſuntur patentes magis campi, quàm vt proſpici poſsint. Panum Satyrorúmque opinio hinc cauſæ fidem cœpit, quòd cùm in his nihil culti ſit, nullæ habitantium ſedes, nulla veſtigia, ſolitudo in diem vaſta, & ſilentium vaſtius, nocte crebri ignes micant, & veluti caſtra latè iacentia oſtenduntur: crepant cymbala & tympana, tibiaéque audiuntur ſonantes maius humanis.*

Oleaſter apud Maronem, per haſtam iurare, per ſceptrum.

CAPVT XVI.

SCRIBIT Maro 12. Æneidos,

Virg. lib. 12. æneid. *Fortè ſacer Fauni folijs oleaſter amaris*
Hic ſteterat, nautis olim venerabile lignum,
Seruati ex vndis vbi figere dona ſolebant
Laurenti diuo, & votas ſuſpendere veſtes.

Id ego non temerè Virgilium ſcripſiſſe exiſtimaui, ſed ex ritu priſcæ ſuperſtitionis, præcipuè Græcorum, qui ante fana in oleaſtris ſuſpendere dona ſolebant & affigere. illius enim arboris viuacitas tanta eſt, vt ſi multis configatur clauis, nihil tamen lædatur. Ariſtophanes Pluto,

Ariſtoph. Plut. ὥσπερ κοτίνῳ προσπατταλεύσων τινί.

id eſt, ceu oleaſtro adfigam iſti. Ad eam conſuetudinem reſpiciens dixit

Theoph. lib. 5. hiſt. plant. ca. 3. Theophraſtus libro quinto. ὅσῳ γὰρ τὸν κότινον σωιέσι τὰ ἐν μεγάροις τὸν ἐν τῇ ἀγορᾷ, ᾧ ἐκκοπέντος λόγιον ἰὼ ἀλῶναι ἢ ταφρεῦσθαι τὴν πόλιν, ὥσπερ ἐγένετο ἐπὶ δημητρίου. ἐν τούτῳ γὰρ ἀφοσιζομένῳ κημῖδες εὑρέθησαν ἢ ἄλλ' ἄττα τῆς ἀθλητικῆς ἐργασίας, ἃ ἀνελέφη τὸ πρῶτον ἐγκοιλαθέντος. Ad eum alluſiſſe Græcorum ritum Maronem exiſtimem, cùm perſtudioſus Græcorum imitator ſit. Sic cùm ſcribit,

Virg. 7. æneid. *Præferimus manibus vittas,*

ad ſupplicum velamenta reſpexit & Homeri verſum,

Homer. Iliad. 1. σέμνατ' ἔχων ἐν χερσίν. Illud verò eiuſdem 12. lib.

Virg. 12. æneid. *—nunc ô nunquam fruſtrata vocatus*
Haſta meos: Imitationem Græcam perſpicuè præ ſe fert. Nam apud Æſchylum Parthenopæus, quod amentis eſt & impiæ ſuperbiæ, per haſtam iurat, & eam colit pro deo. eius verba ſunt,

Aeſchylus ſeptem ad Theb. Ὄμνυσι δ' αἰχμὴν, ἣν ἔχει, μᾶλλον θεὸν
Σέβειν πεποιθὼς, ὀμμάτων θ' ὑπέρτερον.

haſta Cænei etiam prouerbio celebrata eſt, quam ille à ciuibus & viatoribus coli, & cuius nomine iuſiurandum concipi cogebat. Sed & per haſtam antiquis iurare vſitatum & ſolitum fuit. Nam Iuſtinus id oſtendit,

Iuſtin. lib. 43 eamque ſceptrum fuiſſe dicit. Ita apud Maronem per ſceptrum iuratur, vt apud Homerum, & apud Valerium Flaccum per haſtam eodem modo,

Hanc

Hanc ego magnanimi ſpolium Didymaonis haſtam,
Quæ neque iam frondes virides, neque proferet vmbras,
Vt ſemel eſt auulſa iugis, ac matre peremptâ,
Fida miniſteria & duras obit horrida pugnas,
Teſtor.

Quædam obſeruata & emendata in Arateo carmine Ciceronis.

CAPVT XVII.

CICERO admodum adoleſcens in Latinum conuertit Arati poëma, cuius hodieque magna pars extat, ſed multis tamen locis vitiata & inquinata fœdis erroribus. Interpretationem Latinam cùm alternam cum verſibus Græcis leuiter compararem, obiter & velut in tranſcurſu hæc, quæ ſubieci, in oculos incurrentia enotaui, quæ partim integritatem verſibus reddunt, partim quædam ſatis inuoluta & obſcura euoluunt & illuſtrant.

E quibus hanc ſubter poſsis cognoſcere fultum, Cic. in Arat.

emendo, *cominus hanc ſubter*, vt intelligatur eſſe ſub Andromedæ zona. Nam fultum poſitum dixit: Græcè eſt ἐς ἠερέλην. *Tum pectus quod cernitur Orionis*, mallem quà cernitur, obſeruandumque ab eo eleganter ζώνῃ pectus conuerti. *Nam non minor illis*, puto, *namque eſt minor illis*, cùm ſcribat Aratus, ἠδ' ὅτι τόσσ. non enim eis aſſentior, qui ex Cicerone emendãdum cenſent in Arato ἠδ' ὅτι πείσσι. *—atque etiam vehementius illi Piſces:* ſine controuerſia legendum eſt *illo.* *—Aquilonis tangitur alis.* hic legi, qui emendaret auris. *Atque horum & caudis*, rectum eſt è caudis.

Quam veteres ſoliti cœleſtem dicere nodum.

Cicero in Arato non videtur legiſſe ἑπτούραιον, ſed vel ἑπτουράνιον, vel ἑπτουράνιον, vt & Germanicus & Higinus.

Andromedæ læuo ex humero ſi qua exere perges, Germ. in Phæn. Higin. lib. 3. Aſtronom.
At poſitum poteris ſupra cognoſcere piſcem.

lege, *—ſi quærere perges, Appoſitum*, vel vt veteres loquebantur, *ſi quæſere perges*, quod Ciceronem ſcripſiſſe ex veſtigijs auguror. *Et pedibus vatum*, equidem legendum cenſeam, *è pedibus varum*, nec tam legiſſe videtur Cicero γαμβῷ, quam σκαμβῷ. *Qua ſumma ab regione*, puto verũ eſſe, *quẽ ſumma ab regione.* proximos verſus ſic legendos & diſtinguẽdos arbitror,

Diuerſóſque pedes vinctos talaribus aptis,
Puluerulentus vti, de terra lapſus repentè
In cœlum victor, magno ſub culmine portat.
At propter læuum genu.

Genus lego, genus enim pro genu veteres dixerunt, quod Priſcianus hic notat: ſic infra lego, *Quæ genus ad læuum.* Rurſum,

Priſc. lib. 6.

Atque

Cic.in Arat. *Atque inter flexum genus.*

Cic.ibid. *Propterea quòd & æstatis primordia claret.*

corrigo clarat. Nam clarare pro declarare antiquis vsitatum fuit: nec properanti testimonia quærenda sunt aut circunspicienda, vnum tamen ex ipso Cicerone adijciam,

Cic. 1. de diuin. *Iuppiter excelsa clarabat sceptra columna.*
Inde fides leuiter posita & conuexa videtur:
Mercurius paruus manibus quam dicitur olim
Infirmis fabricatus in alta sede locasse.

equidem putem emendandum, *leuis adposita & connexa*: & *paruis*, sed &, *in cunis*, præsertim cùm Græcè scriptum extet, ἐν ὠδῖνι λίνῳ. Nam *infirmis*, absurdum est, & alienum à sensu.

Cic.in Arat. *Ipse autem labens multis equus ille tenetur*
Piscibus, hinc ceruix dextra mulcetur aquari.

mutis substituo, quis enim nescit pisces mutos esse? qui & ex eo ἄλωπες à poëtis Græcis vocantur. duo autem pisces multitudinem efficere non possunt: sed & *huic ceruix*, lego: mulcetur valet tangitur.

Cic.ibid. *Serius hæc obitus terrai iussit equinis:*

Suspicor scripsisse Tullium, *visit equi vis*, id est, equus, genere loquendi poëtis vtriusque linguæ vsitato.

Cic.ibid. *Brumali flectens contorquet tempore cursum:*

duobus vocabulis lege, *cùm torquet*. Cicero autem in proximis versibus bis labi pro nauigare vsurpat.

Cic ibid. *Nam non longinquum spatium labere diurnum,* &,
Cic.ibid. *Sed tamen anni iam labuntur tempore toto.*
Cic.ibid. *Atque etiam supero naui pelagóque vagato*
Mense sagittipotens solis tum sustinet orbem.

Scribe, *haud supero naui pelagóque vagator*, &, *cùm*: sagittipotens autem est sagittarum compos, sagittas habens, id est sagittarius. *Nam iam cum minus exiguo*, lege, *Nam iam tum nimis exiguo lux tẽpore præsto est*. Emẽdant & nõnulli, *Nam iam comminus*. Lege, inquit, littus nec pelagus sequere, cùm breuis dies sit. *Iam propè præcipiti*, malim, *nam propè præcipiti. Hic missi iacet vna sagitta*. Sic huius versus hiatum & lacunam eleganter Morellius expleuit, cùm in Aldi editione reperisset, *hic misso reuocans*,

Cic.ibid. *Hic missore vacans fulgens iacet vna sagitta.*

Cic.ibid. Est autem missor sagittarius. mox autem, *nitens penna*, dicitur pro eo quod
Cic.ibid. est volans. *Tum magni currens capricorni cornua propter.*

Sanè hic obseruo Ciceronem πολὺν legisse videri in Arato, non vt excusum circunfertur πολύς. scribitur etiam, *tum magni curuus. Illæ quæ fulgent luces*,

luces, his in versibus aut indulsit ingenio suo Cicero, & à formula & præscripto interpretis recessit, aut exemplar sequutus est vberius nostro & versibus numerosius. *Quem qui suspiciet in cœlum*, lege, *suspiciens*. *Cætera sese* Cic.ibid.
sperret, lege, *cætera ne sperret*.

Hunc tegit obscuris circum præcordia vesper,
Ver toto spirans rabido de corpore flammam.

Emendo, *obscurus*, &, *venter*, &, *nec toto*.

Hæc augens anima vitali flamina mulcet, lege, *vitali flamine mulcet*.
Hunc propter subtérq; pedes quos diximus antè lege, *quẽ diximus antè*.
Præcipitantem agitans, oriens iam denique paulum,

Corrigo, *orientem denique*. —*serpens prælabitur Argo*:

Emendandum censeo perlabitur, vel potius prolabitur.

Sed conuersa retro cœli semper loca portat: repono, *se per loca portat*.
—*ad cœlum sine lumine malum*, celsum haud dubiè legendũ, non cœlum.
—*canis vestigia condit*: legendum videtur, si Arati sententiam sequaris, *condunt*. *Cerula vestigat pistrix*, marina cerula hic dicitur, vt pisces cerulei sunt marini: Iuuenalis, *Illic ceruleos, hic piscem fluminis*. Iuuen. sat. 15
Brodæus tamen, vt antè nos dixisse recordamur, hic Æluros legendum esse multis persuadebat. Finita, sitam & locatam significat.
—*& scammosi corpore pisces*, scammoso lego. —*in parte locatum*. Cic.in Arat.

Cœli funestum magnis cum viribus amnem,

distingue locatum cœli: magnis autem cum viribus funestum, pro magnopere funestum dicit. *Hic vna stella vertuntur*, emendo nectuntur.

—*formas*. *Has ille astrorum custos* in Cicerone hic astrorum custos est astrorum obseruator & inspector. —*nota clarere figura*, scribe vt supra clarare. *E multis tum his*, scribo, *E multis tamen his*. Videtur autem Cicero in Arato legisse ἐξελόμβυοι, non vt nunc excuditur, ἐρεμνόμβυοι. —*delapsum lumine fontis*, scribo, flumine: flumen autẽ est χύσις, id est fluxus, fluxio. *Inde nepæ*: nepam scorpium Cicero interpretatur, infra tamen terga nepai dicet cancrum intelligens. *Quæ lumina tempore tranat*, limina malim.

Arcturo magnum spatium supra dedit orbem.
Iuppiter hunc paruum lego, *spatio supera dedit orbem Iuppiter*, *huic paruum*. *Atque aram tenui*, tenuis alij legunt. —*metuenda Fauoni*, Fauonium pro Euro dixit verbo abusus. —*inferni de partibus*, scribe, *infernis*. *Hoc caput atque oculos*, scribo, *hæc caput*: ac sanè hoc in versu cancrum nepam interpretatur, supra scorpium. *Conuexóque sinu*, scribitur &, *connexo*, spiram reddit sinum. *extrema nitens*, lege *extremam* vel *extremum*, id est, *sinum*. *Ante canem*: antecanis lego vno vocabulo, vt προκυόων Græcè dicitur. —*per bis sex signorum labier orbes*. emendo *orbem*: Zodiacum enim Cic.ibid.
intelligit.

Cic. ibid. intelligit. —*quia quæ faciunt vestigia cursu*, repono, *quo fiunt. Sic malunt errare vagæ*, lego, *sed malunt errare vagæ. —hic nimio fulgens candore notatur*: scribo *vocatur*, & paulò antè, —*superarit lumine Luna*, non superaret. puto & supra scribendum, —*magnos edicam gentibus orbes*, vel *cantibus. Hic non perpetuum detexens conficit orbem*, detexere pro texere dixit. Quod autem loquitur, etsi verum est, non tamen in Arato quicquam tale reperio. *Ora petens geminorum illustratum genu ardens*: emendo, *illustria*, *tum genus ardens*. *In sese retinens auriga*, sine controuersia aurigæ emendandum est. *Hunc supra læua*, Cicero scripsit *sura*. —*ad Andromedem hic dextra*, sine vitio fuerit *at Andromedæ. Anguitenens humeris connititur* propius ad Arati sententiam accederet, *conuertitur*. —*subtersecat hic Capricornum*, fortasse verius, *subter secat hinc Capricornum. Condens postremum tangit rota feruida solis*, puto cedens legendū: Rota autem solis eleganter à Latinis poëtis appellatur rotundum solis corpus, Δίσκος à Græcis vocatur. Lucretius,

Lucret. lib. 5. *Nam neque tum solis rota cerni lumine largo.*

Cic. in Arat. —*hinc orbi quinque tributæ*
Nocturnæ partes supera, tres luce dicantur.
Hasce inter, mediam in partem retinere videtur.

Si vllus sententiæ respectus est, planè legendum, *huic orbi*, & *partes supera tres luce dicantur*. &, *hosce inter mediam partem*. *Tantus quantus erit*, magis sententiæ conueniet, *erat*. *Hydra tenet flexu crateram coruus adhæret*: *Cratera & coruus*, restituo. *Et paucæ chelis stellæ*, proculdubio, *& paucæ è chelis*, Cicero scripserat. —*æquo spatio deuinctos*. quid si deiunctos? quanquam illud alterum etiam placet. —*diuino lumine flexi*, mallem, *diuino numine*. Paulò post sic lege & distingue,

Sed tantùm supera terras semper tenet ille
Curriculum, obliquè inflexus tribus orbibus vnus.

Hoc adeò moneo, quòd intelligam à quodam tria vltima verba expuncta, quòd sensum non attenderet, cùm hic curriculum sit spatium, & dicat Cicero, Zodiacum tribus circulis obliquè inflexum esse, id est tribus circulis obliquè & per transuersum incumbere.

Quis Lunæ conuexum cœli contingimus orbem

pro cœli, oculis lego. —*collucet Aquarius orbem*, puto *orbi* scribendum.

Exin scammiferi serpentes ludere pisces,

quid si pergentes ludere, vt paulò antè, *Capricornus vadere pergit*? Sed ser-
Terent. act. 3. sc. 3. Adelph. pentes placet, & ludere eleganter dictum est, & Terentius congrum in aqua ludere, dicit.
Cic. in Arat.

Hæc sol æterno conuestit lumine lustrans,

equidem mallem, *conuertit*: præsertim cùm Græcè scribatur φέρεται. conuestit

uestit tamen scio eleganti trāslatione dici. *Tantundem patens*, puto tantun- Cic. ibid.
dem parens, pro apparēs: vt in actionū formulis, si paret. alij versum fulciunt *ille* interponentes. *Tot cœlum iussus*, puto tot cœlum iuxta, non malè etiam iussu: supra autem lego, *Signifero ex orbe & signorū ex ordine fultum*.

—*de tegmine sumes*, lego sumens. *omnes cognoscere possit*, scribo *possis*.
—*quæ tempore eodem Præcipitent obitum*, scribo *præcipitent*, *obitum*.
—*vt supero*, scribe supera: quod pro supra veteres dicebant, & antè multis locis vsurparat Cicero. verùm in supra ab hominibus huius rei ignaris vbique imminutum est. *Partem, etiam supera atque*, distinguo, *partem etiam supera, atque*. —*cancrumque recondit*. Ego vt in quibusdam reperi, *clarumque recondit*, lego. Nam qui cancrum legunt, perspicuè cum sententia pugnant. *Hæc obscura tenens conuestit sydera tellus*, emendo, vt supra, conuertit. —*simul vis maior aquari*. Equidem puto cùm scribatur Græcè αἰ ἐλὸν, reponendum esse, Iouis ales aquas in: vel in vndas: vel in altum, id est in mare, quod poëtis est pro finiente orbe: vel potius, vis magna aquilai. —*ac flexo confidens corpore nisus Iam supero*, lego *consistens*: & confidens à confido: Græcè enim scribitur, ἥμενος. *Sed læuum genu*, scribe *genus*: & mox, *linquit*, non liquit. —*illustria lumina virgo*, castigo, illustri lumine. —*per cœli numina*, culmina aut limina legendum. *Totáque iam supera*: Græcè est, ἃ μάλα πᾶσα Cicero ὅι μάλα legisse videtur. *Nondum tota latet*, scribo *patet*, quod est oritur. quod non solùm postulat, verùm etiam flagitat sententia. —*non caudam contegit vmbra*: neminem esse puto qui non intelligat legendum, —*nam caudam contegit vmbra*. —*exoriens conabitur arcum*. non dubito affirmare Ciceronem arcus scripsisse nominandi casu. *Latè fusa volans per terras vnda vagatur*. per terras autem vagari hoc loco, occidere est: vt paulò post, —*commendat corpora terris*. videtur autem versus nescio quis in Cicerone desiderari. —*defixa in gurgite Echineis*: Chios hîc conueniret, nisi repugnaret syllaba. Nam Chius cùm est insulæ nomē, priore syllaba corripitur, cùm incola Chius dicitur, priore est producta: quòd duę vocales in vnam coeāt, Chijus Chius. Existimaui tamen aliquando à Cicerone in insulæ nomine priorem esse productam: sed cùm etiam Chia, vt ait Plinius, dicatur, quod nomen ex adie- Plin. lib. 5.
ctione factum videtur, fortasse Chia non malè legeretur: Echinis tamen cap. 31.
seruetur potius, vt in eius saxis vadisque echinos marinos stabulari mul-
tos intelligamus. *Brachia quam viridi*, emendo, *Bacchus quam viridi*: scio Cic. in Arat.
alios emendare, *Brachia quæ viridi*, sed meum istud probabilius puto: non inuitus etiam legerim, *Bacchica quam viridi conuestit tegmine vitis*.

Oenopionis auens epulas cœnare nitentes.

Legisse videtur in Arato Cicero ϝοίνης ἀρνύμενος κείνων χάριν οἰνοπίωνι.

—*ſubito perculſa Dianæ*, ſcribo, *percuſſa*. —*poſt humeros euerſa ſæpe*, putẽ *poſt humeris euerſa ſede refertur. Inſtitit & mergit niſi caput. Inſtat & emergit*, reſtituo. —*toto cum corpore*, malim, *toto tum corpore. Emergunt alite lapſum*,

Et terris volucris, exiſtit clara ſagitta. ſcribo, *emergunt alite lapſu*
E` terris volucres, exiſtit clara ſagitta.

hæc ego veluti per tranſennam ſtrictim aſpiciẽs animaduerti: ſi quis propius & acrius intueatur, non dubito quin multa ſit alia obſeruaturus, & in Cicerone fortaſſe fidem & diligentiam aliquando deſideraturus.

Crotaliſtria in Petronio & Propertio, crepitans Concordia nido, apud Iuuenalem. CAPVT XVIII.

VERSVS ſanè quàm amœni & elegantes extant Petronij Arbitri de Ciconia, ſed quod inter nos dicere liceat, coraliſtria in eis quid ſibi velit, nullo modo aſſequor: eos ſubſcribam,

Petron. Arbit. *Ciconia etiam grata peregrina hoſpita,*
Pictaticultrix, gracilipes, coraliſtria,
Auis exul hyemis, titulus tepidi temporis,
Nequitiæ nidum in cacabo fecit meo.

Ego iſti ſubdiffidens voci vt corruptæ & degeneri, animum variè diſtrahens & verſans, tandem aliquando exiſtimaui crotaliſtria legendum eſſe à crotalis, quorum ſtrepitum imitatur —*crepitante ciconia roſtro*, vt poëta Ouidius ſcribit, & Iuuenalis,

Ouid. 6. Met.

Iuuen. ſat. 1. *Quæque ſalutato crepitat Concordia nido.*

Polit. Miſcell. cap. 67. nam etſi mihi non placent eorum inuenta, qui à Politiano diſſentiunt: Cornicem enim concordię imaginem Politianus cenſet, tamen auſim affirmare à Satyrico poëta ciconiam intelligi, vt illi interpretãtur. exiſtimo autem ætate Iuuenalis, in faſtigio templi Concordiæ nidum ciconiarum fuiſſe, vt & hac ætate in quibuſdam templis aliquando Lutetiæ vidimus: nec ſenſum aliquem exquiſitiorem & ſubtiliorem hoc in verſu latere cenſeo. Ita cùm obuiam ſententiam non amplectimur, in auia auferimur & rapimur, multumque nobis moleſtiæ creamus. Videte autem quorſum prorumpat audacia mea. Audeo enim affirmare in Propertio etiam coraliſtria malè ſcriptum eſſe, pro crotaliſtria, hoc verſu,

Propert. lib. 4. eleg. 9. *Nile tuus tibicen erat, coraliſtria Phyllis:*

hoc tamen ſic affirmo, vt facilè ſententiam mutaturus ſim, ſi quid probabilius vel inuenero vel audiuero.

Anteceſſor, dupondij, lytæ, prolytæ. CAPVT XIX.

IN

IN edicto Iuſtiniani, quo iuris auctoritas cõfirmatur, anteceſſores homines legum peritos & iuris, etiam ſi non ſint profeſſores, exiſtimo, ab honore, quòd alijs qui ius non didicêre antecedant: ſic Apoſtolorũ principes Tertullianus anteceſſores vocat, vt libro quinto aduerſus Marcionem, *quàm Paulus ſciret ſe non in vacuum cucurriſſe, quàm dexteras ei darent anteceſſores.* & libro primo, *tunc primùm cum anteceſſoribus Apoſtolis conferebat*. Nec verò eos laudo qui antecenſores eſſe legendum contendant, quæ vox Latinis hominibus inſolens & inaudita eſt. Nam Heſychium, in quo ἀντικένσωρ ſcribitur, non ſatis locupletẽ & idoneum teſtem arbitror, cùm præſertim verba Latina ore Græco plerunque corruptius concipi ſciam. In ea conſtitutione dupondij appellantur, auditores primi anni: quamobrem, in controuerſiam venit. ego, vt aliorum ſentẽtias omittam, ſic eos appellatos exiſtimo ridiculè, quòd non eſſent magni pretij: ſed duorum aſſium, vt ſi triobolares aut diobolares auditores diceres. nam dupõdius duos aſſes ſignificat, vel xxiiij vncias, vel xvj ſeſcuncias, ac pro pecunia parua ponitur. Cicero pro Quintio, *ſi dupõdius tuus ageretur Sex. Næui, ſi in paruula re captionis aliquid vererẽre*. in eadem conſtitutione lytas ſolutos interpretãtur quidam, magno ſanè flagitio: λυτοὶ enim non λύτωι dici debuerunt. ego ſolutores interpretor, qui iam tantos progreſſus habent in iure, vt de eo reſpondere propè poſſint, & quæſtiones ſoluere: atque ij erant, qui reſponſis prudentum, & quæſtionibus operam dabant. eos propè expreſſiſſe Iuuenalis hoc verſu videtur,

In edicto Iuſtiniani. *epiſt. ff. li. præpoſita.*
Tertul. lib. 5. aduerſ. Marc. Tertul. li. 1. aduerſ. Marcion. Heſychius. Iuſtinian. eadẽ epiſt. Iuſtinian. eadẽ epiſt. Iuuen. ſat. 8. Iuſtinian. eadẽ epiſt.

Qui iuris nodos, legumque ænigmata ſoluat.

Idem eſt in prolytis error, quos tanquam prę ſolutores interpretor, quòd etiam ſolutoribus, qui lytæ dicuntur, antecellant.

Definitio iuſtitiæ, iuſtitiæ præcepta, iuriſprudentia. CAPVT XX.

ANIMADVERTI VIdianum in iuſtitiæ definitione Stoicorum æmulum eſſe: illi enim vitium inconſtantia, virtutem conſtantia metiuntur: ac perturbationibus, quas omnes vitioſas arbitrantur, & inconſtantes, tres opponunt conſtantias, quas laudi ducunt. hinc igitur adductus pronunciauit iuſtitiam eſſe perpetuam & conſtantem voluntatem ius ſuum cuique tribuentem. Cùm autem ius in cognitione & actione verſetur, ac ſcientia ſit iuriſconſultorum, actio & officium omnium: vtrumque complexus eſt VIpianus. præcepta enim ad officium & actionem pertinent, Iuriſprudentia ad ſcientiam. Sic pars philoſophiæ moralis παραινετικὴ dicebatur (Seneca præceptiuam interpretetur) quæ in præceptis verſatur, quam in officijs

L. Iuſtitia ff. de Iuſt. & Iur. Seneca epiſt. 96.

Cic. 1. offic. Cicero pertractat. Ita enim scribit, *Omnis de officio duplex est quæstio: vnum genus est, quod pertinet ad finem bonorum, alterum quod positum est in præceptis.* Cic. ibid. Rursum, *quorum autem officiorum præcepta traduntur*, & c. Cùm etiam definit Iurisprudẽtiam, rerum diuinarum & humanarum notitiam, nónne ambitiosè affectat sapientiæ munus, & eius ornamento arti suæ decus quærit? Nam sapientia rerum diuinarum & humanarum cognitio dicitur, & causarum quæ res eas efficiunt & continent. eam scientiam libenter philosophis adimeret, suis attribueret Vlpianus: qui etiã mihi videtur in philosophorum inuidiam & contumeliam appellasse Iurisconsultos iustitiæ l. 1. ff. de iust. & iur. sacerdotes, quasi deæ cuiusdã cultores, propterea quòd philosophi Stoici suum sapientem solum verè sacerdotem profitebantur, cùm Vlpianus assimulatam non veram nec sinceram eorum philosophiam prædicet.

Gessoriacum. CAPVT XXI.

OPPIDVM est Belgicum in Morinorum finibus munitissimũ & firmissimum, quod Audomari fanum dicitur, situm in humili & lata planitie, lateribus cliuo penè fallente assurgentibus: ea planities reducto intimóque recessu vicum attollit Soiacum: incolæ hodieque portum Soiaci vocant. quod si audias, mirabere profectò portum dici locum tam longo à mari interuallo disiunctum. sed ita se res habet, loci facies in sicco sinus imaginem præ se fert, & tota illa vallis olim æquore inundata cedentibus aquis terræ accreuit. Cuius rei hæc etiam sunt argumenta. Fani municipes oppidum suum non modo nouum fatẽtur, verùm etiam prædicant & narrant locum mari mersum fuisse, & ab aratoribus terram vertentibus exaratas aliquando ancoras esse. Gessoriacum, quod vbi terrarum fuerit quærimus, mihi reperisse videor: vnde olim traiectus in Britanniam esse solebat. ausim enim affirmare Soiacum esse. eius meminit Suetonius (ne multos testes adhibeam) in Claudio his verbis. Suet. in claud. cap. 17. *Quare à Massilia Gessoriacum vsque pedestri itinere confecto, inde transmisit.* verùm hæc cui probantur, nolim accepta mihi ferar, sed Petro Gallandio amico meo singulari his proximis annis mortuo, cui ego primus hæc accepta fero.

Calumniatorum notata frons, decemprimi. CAPVT XXII.

Cic. pro Rosc. Amer. CICERO pro Roscio Amerino sic scribit, *Crura quidem vobis nemo suffringet, sed si ego hos bene noui, literam illam, cui vos vsque eo inimici estis vt etiam omnes oderitis, ita vehemẽter ad caput affigent, vt postea neminem alium nisi fortunas vestras accusare possitis*: hęc verba ab omnibus de condemnationis litera, quam scribit Asconius C fuisse accipi animaduerto, ego tamen

Ascon. in 3. in Verr.

men potius de inusta & inscripta fronte calũniatorum & delatorum hæc intelligam, vt puncta & stigmata frontis Erutio minetur: ea autem pœna olim interdum affectos fuisse delatores, ex Plinij panegyrico notum est, Plin. Panegyr. cuius verba sunt, *neque, vt antea, exanguem illam & ferream frontem nequic-quam conuulnerandam præbeant punctis, & notas suas rideant: sed spectent paria damno præmia.* Nota autem illa alicuius literæ insigne habebat, in delatore fortasse d in calumniatore c: sed & illudẽs Cicero literarũ ignaros appellat eos, qui accusationes factitabant, & odio literę illius, qua notantur frontes de calũnia damnatorũ, reliquas omnes eis literas inuisas iocatur. Decẽprimi in ea oratione qui sint quæritur: Ego putẽ decuriones eos esse qui decem erant primi in albo decurionum. Nam quorum erat maxima in municipio dignitas, quiq; magistratus gesserant, primi, vt Vlpianus docet, scribebantur. Decẽprimos autem ad Imperatorem Syllam Ameri-ni miserunt, more institutoque Romano, cùm sæpe decem legatos Romani mitterent. Eodem modo in Verrem quinque primi sunt quinque viri, qui principem in Senatu locum habebant. quinqueprimi autem & decemprimi muneribus quibusdam & functionibus obnoxij erant, vt Iurisconsulti tradunt.

Cic. pro Rosc. Amer. Vlp. l. 1. ff. de albo scrib. Cic. in Verr. act. 5. L. Munerum. §. mixta. ff. de muneribus & honor. lib. 12. Cod. tit. de priuileg. eor. qui in sac. palat. militãt.

Pastinaca, verbenaca, virgæ sanguineæ, hasta sanguinea, flagellum sanguineum. CAPVT XXIII.

NOMINA sunt in Latinis scriptoribus non rara, pastinaca, securidaca, scandulaca, verbenaca: quæ qua ratione formata sint equidem non video. ac mihi quidem pastinaca piscis, nomẽ ex eo inuenisse videtur, quòd telum quasi pastinum habeat: pastinaca herba, quòd pastinum referat, & tanquam habeat. Atqui vt falces dolabratas & vericulatas dicimus, quæ dolabram & vericulum habent: certè postulat ratio, vt pastinata eodem modo dicatur. Nam quod ad securidacam attinet cõstituere non possum, quæ sit ista nominis forma, cùm præsertim Græcè πελεκῖνος à securi vocetur, & à securi tale nomen oriri non possit. ego contra fidem omnium librorum securiclatam scribi debere contendo, id est securiculatam, à securicula. Idem de scandulaca statuo, quam scandulatam vocari debere confirmo, quasi scandulas habeat. ea herba strangulat frumenta ac orobanche videtur esse. Idem de verbenaca sentio, & verbenatam dici debere prædico, cùm præsertim verbena gramen ex arce cum sua terra euulsum significet, quod gramen sacrum putabant, & θεραπεὼν id est verbenata, sæpe sumeretur, & verbena fieret, & vt ita dicam, verbenaretur. quo factum est vt verbenata etiam verbena diceretur, cùm verbena propriè omnem herbam sacram significaret: sed & ramos quibus aras ornabant,

aut religionis cauſa gerebant, aut adolebant: Virgilius,

Virg. eclog. 8. *Verbenáſque adole pingues, & maſcula thura.*

Plin. lib. 22. cap. 2. Verbenas etiam ſagmina vocabãt, vt Plinius ſcribit. Portulaca etiam portulata dici deberet, quòd folijs portulas imitetur, & portulas habere videatur. atque hoc quidem ratio poſtulat, nec exempla quorundam antiquorum voluminum deſunt, in quibus & ſecuriclatam & paſtinatam reperi: tamen vt lorica pro lorita dicitur, nam initio è loris fiebat, ſic arbitror ſecuriclacam & verbenacam pro ſecuriclata & verbenata dictũ eſſe: vt alterum ratione, alterum conſuetudine defendi poſſit. Cæterùm, quando de verbena ſagminibuſque aliquid diximus, hic non poſſum diſſimulare eorum errorem, qui apud Modeſtinum ad legem Pompeiam, parricidas volunt verberari virgis ſagmineis. Nam atrocitas criminis tãta tantumque ſcelus herba vapulare non debet: deinde nũquam commiſiſſent Romani vt herbam ſacram impio parricidarum corpore contaminarent, idque nefas non leui piaculo luendum cenſuiſſent. Conſenſus librorum non eſt reſpuendus, virgis ſanguineis exhibentium: de quibus ſic Plinius ſcribit, *Siquidem & geniſtæ & populi & vlmi, & ſanguinei frutices.* Iterum, *nec virga ſanguinea fœlicior habetur. Cortex eius interior cicatrices, quæ perſanauere, aperit.* Rurſum, *ſunt qui ſanguineis virgis tangant ea quæ nolunt his obnoxia eſſe.* Aut igitur è ſanguineis fruticibus virgæ erant, quibus cædebantur, vt terror ineſſet in cruento earum colore, aut ad horrorem, vt exiſtimo, cruentabantur: ſic de Bellona ſcribit Maro,

L. Pœna parricidij ff. ad legem Pompei de parr.

Plin. lib. 16. cap. 32.

Plin. lib. 24. cap. 10.

Plin. li. 19. c. 10.

Quam cum ſanguineo ſequitur Bellona flagello.

Virg. 8. æneid. & fetialis haſta ſanguinea & cruenta bellum indicabat: Liuius, *vt fetialis haſtam ferratam, aut ſanguineam præuſtam ad fines eorum ferret.*

Liuius lib. 1. ab vrb. cond.

Quædam apud Ciceronem ad Atticum emendata & explicata, hermathena, hermeracles, informata cogitatio.

CAPVT XXIIII.

Cic. ad Attic. epiſt. 1. CVM prima ad Atticum epiſtola Cicero de petitione ſua loquatur, ſunt tamen magni in literis nominis viri, qui eum nondũ petere, ſed prenſare putent, quod prenſatio petitionem antecedat: ego prenſationem petitionis partem eſſe puto, vel Cicerone auctore, qui libro primo de Oratore ita ſcribit, *Equidem cùm peterem magiſtratus, ſolebam in prenſando dimittere à me Scæuolam, cùm ei ita dicerem, me velle eſſe ineptum, id erat petere blandius, quod niſi ineptè fieret, bene non poſſet fieri.* In ea prima epiſtola de Catilina ſcribitur, *ſi pronuntiatum erit meridie non lucere.* vetus eſt ſcriptura, ſi credimus Petro Victorio, *non licere*, vnde *lucere* à quibuſdam factum eſt. quid

Cic. de Orat.

Cic. ad Attic. lib. 1. epiſt. 1.

quid igitur ſi legamus? *ſi pronuntiatum erit pridie nonas licere*, id eſt ſi abſolutus ſit nec iam reus. nam vt Salluſtius ſcribit, reus Catilina intra legitimos dies non potuit ſe conſulatus cõpetitorem profiteri: vel ſi pronuntiatum erit licere petere poſt legitimum tempus, quod erit pridie Nonas. Vidi qui legeret, *rationem haberi licere*, vt in Bruto ſcribitur, *in prætura conſul factus eſſet, ſi rationem eius haberi licere iudicatum eſſet*: ſed nimium multa hæc emendatio de ſuo ſupplementa addit. Cęterùm cùm more maiorum petere Galbam dicit, niſi fallor ludit, ac eum ſignificat prenſatorem optimum non eſſe, ſed petitorem ineptum, qui fucos & fallacias non adhibeat: ſed ſimplex & rudis ſit, vt veteres. Nam petere hic more maiorum, eſt tanquam petere ἁρχαϊκῶς, ſine artificio & dolo. Eodem modo illudens Aquilium, dicit morbum iuraſſe, ne cogeretur conſulatum petere, vt homines morbum iurabant, ne militarent, ne in Senatum venirẽt, ne aliquo munere fungi cogerentur: iuſta enim morbi excuſatio erat. Quaſi verò homines ad conſulatum cogerentur, ac non per ferrum & flammam eo tempore ad eum magiſtratũ contenderent. Ludens igitur dicit eum morbum iuraſſe, qui ad cõſulatum nullo modo aſpirare poſſet, eo etiam tempore valetudine deteriore eſſet, hominibuſque vulgò diceret, ea de cauſa ſe conſulatum non petiturum. Oppoſuit & regnum ſuum iudiciale Aquilius, quòd iudex ſæpe à prætore daretur, vel à litigatoribus ſumeretur: conſul enim vel magiſtratus iudex eſſe non poteſt. Vbi ſcribit in eadem epiſtola, *nunc cæteri conſuli acciderim*: cùm Paulus Manutius homo & diligentiſſimus & doctiſſimus, ſcribat in libris antiquis ſcriptum extare muniteri, fortaſſe non inuita omninò Minerua, ſic locus reſtituetur, *quæ cùm erit abſoluta ſanè facient eum: lubenter munitori conſuli acciderim*: hoc ſenſu, vellem Cæſar conſul fieret, libenter enim ei viarum curatori & munitori ſupplex eſſem in mea petitione, mallemque me ſupplicem quàm competitorem haberet. Nam accidere, eſt ad genua alicuius ſe demittere. Informata cogitatio, quænam in ea epiſtola eſt? ego putem coniecturam eſſe, præſertim cùm initio epiſtolæ Cicero ſcribat, *quod coniectura prouideri poſſit.* Nam cogitatio informata, eſt cogitatio in animo formata, & quædam informatio, quæ eſt φαντασία, quam vulgò imaginationẽ vocant. Itaque perinde eſt ac ſi dixiſſet, φαντάζομαι ὑμῶν ὀνήροπολῶ τὰ τῆς παραγγελείας. Manum in eadem epiſtola cùm dicit, comitiali verbo vtitur, vt ex Aſconio cognoſci poteſt, qui de Antonio Ciceronis collega ſic ſcribit, *Antonius pauculis centurijs Catilinam ſuperauit, cùm ei propter patris nomen, paulò ſpecioſior manus ſuffragata eſſet quàm Catilinæ.* Hermathena ſignum erat in vna baſi cõmune Mercurio & Mineruæ: poſuit autem iſtud ſignum Cicero in gymnaſio ſuo, id eſt in Academia villæ Tuſculanæ (non enim in villa

Salluſt. de bell. Catil.

Cic. in Bruto.

Cic. ad Attic. epiſt. 8.

Cic. ibid.

Aſcon. in orat. cõtra C. Ant. & L. Catilinã.

Cic. ad Attic. 1. epiſt. Crebras expectationes.

villa quæ academia dicebatur) propterea quòd Mercurius deus est omnium gymnasiorum communis, tam eorum quæ animi sunt, quàm eorum quæ corporis, Minerua autem singularis & propria erat gymnasij, quod instituerat ad cultum animi tantùm, & ad disputationes cõmentationesq; de philosophiæ studijs, cùm liberalium artium præses sit. Vt autem hermathenæ fiebant, sic & hermeraclæ. Aristides, ἀλλὰ μὴν ἑρμῆ τε ϗ ἡρακλέους ἐστὶ νυῖ ἀγάλματα κοινά, id est, sed & nunc Mercurij & Herculis communia signa sunt. Sed cur dicit gymnasium esse ἥλιϐ ἀνάθημα, quo significat soli dicatum videri? Equidem censeam eum respexisse ad Rhodiorum colossum, & locum in quo collocatus erat, cui gymnasium eius, ita posita hermathena, simile videretur. Nam colossum dicatum Soli fuisse hoc epigramma Græcum ostendit,

Aristides.

Αὐλῷ σοι τοῦϑ' ὅλυμπον ἐμακώσατο κολοσσὸν
Τόνδε, ῥόδῳ ναέται δωρίδος ἀέλιε.

lib. 8. epigram. Græcorum.

LIBRI OCTAVI FINIS.

ADRIANI TVRNEBI ADVERSARIORVM LIBER NONVS.

Comessator coniurationis, pastoritia fistula, faba mimus, Cæciliana fabula, Næuianus laudator.

CAPVT I.

MARCVS Tull. lib. 3. de Orat. eam improbat translationem, quę aut maior est quàm res postulat, vt tempestas comessationis: aut minor, vt comessatio tempestatis: libro tamen primo ad Atticum penè in hoc præceptũ commisisse videtur, cùm scribit, *vt nostri isti comessatores cõiurationis barbatuli iuuenes illum in sermonibus Cn. Ciceronem appellent*: sed potius reliquos & seros dicit coniuratos, vt qui post cœnam comessatum veniunt, imò verò coniuratos intelligit non tam ad pugnandum, quàm ad comessandum aptos. Sed quę tandem est pastoritia fistula? cùm scribit, *mirandas ὑποκρισίας sine vlla pastoritia fistula*

Cic. li. 3. de Orat.

Cic. 1. ad Attic. epist. 12.

la auferebamus. Ego putem dicere Ciceronem eximias significationes & gratulationes populi auferebamus, & consequebamur sine vllo sibilo. Sæpe enim pastoribus sibilus loco fistulæ est, ac sibilo oris vt fistula canunt: Plutarchus, καὶ φανέντος ἐν θεάτρῳ τοῦ Ὄθωνος, ἐφυβρίζων ἐσύετλεν. οἱ δ' ἐπὶ πᾶσι ὑπέλαϐον κρότῳ τ' ἄνδρα λαμπρῶς. αὖθις δὲ ὁ δῆμος ἐπέτεινε τ' συεμσμόν. id est, Cùm in theatro visus esset Otho, illudens populus exibilabat: equites insigni plausu excipiebant: sed rursum populus sibilos augebat In eadem sententia politissimi hominem iudicij Antonium Muretum esse video. In eadem epistola Faba mimus quid sibi vult? ego Fabam inscriptionem mimi fuisse existimo, vt titulus mimi est libro tertio de Orat. Tutor: ita diuinus ille & præclarus consulatus in mimum ignobilem relabetur. Quod si verum est in veteribus libris scribi Faba Mimum, vt Victorij optimi & eruditissimi viri fide referimus, fortasse emendari posset, fabæ minimum, quod est hilum. Non deest, qui *non fabulam, sed mimũ*, corrigat ex Oratione pro Cælio, in qua scribitur, *Mimi ergo est iam exitus non fabulæ.* Ego, si loco obscuro sententiam & iudicium mihi interponere meum licet, existimem *fabam Mimum* veram esse sinceramque scripturam: vel fabulam aut Mimum, non dubium est autem quin in eadem epistola, illud vitiosum & corruptum sit, *Quare, vt opinor,* φιλοσοφητέον, *id quod tu facis, & istos consulatus non floccifacteon.* Sed mihi huius scripturæ vestigia sedulò rimanti, succurrit emendandum videri, *non flocci,* ἐαλέον, hoc sensu, philosophandum est, contemnendique sunt isti consulatus, qui flocci non sunt. Præterea in eadem epistola, *Ac vereor ne Lucullus, quoniam Græcum poëma condidit, nunc ad Cæcilianam fabulam spectet,* vereor ne non satis integrum sit, ac Lucullum sit emendandum, cuius res gestas Archias versibus Græcis illustrarat, qui & Cęcilij Metelli facta pangere parabat, quam Cicero appellat Cæcilianam fabulam, ad Cęcilium comicum alludens. Cicero pro Archia, *Mithridaticum verò bellum magnum atque difficile, & in multa varietate terra marique versatum totum ab hoc expressum est, qui libri poëta non modò L. Lucullum fortissimum & clarissimum virum, verùm etiam pop. Rom. nomen illustrant.* Sed vt rursum prorsum vadimus, in eadem epistola illud, quod in plerisque libris circunfertur, *nosti caluum ex Nanneianis illum laudatorem meum,* sanè mẽdum subolet, rectumque videtur ex Nęuianis. Respexit enim Cicero ad versum Næuij, cuius ita meminit in epistolis, *Lætus sum laudarier me, inquit Hector, opinor apud Næuium, abs te pater laudato viro.* M. inquit Crassus laudator ille meus, quem irridens caluum appellat, & laudatum virum similemque Næuiano laudatori, negotium transegit & confecit. Retro regredere & cancrum imitare: ac hunc locum, vt veteres libros testatus reperit Victorius, etsi non probauit, lege: *Tribuni*

Cic. ibid.

Plutarchus in Othone.

Cic. ad Attic. 1. epist. 11.

Cic. de Orat.

Cic. pro Cælio.

Cic. ad Attic. epist. 11.

Cic. ibid.

Cic. pro Archia.

Cic. 1. ad Attic. epist. 12.

Cic. 5. fam. epist. Coram me.

Cic. 1. ad Attic. epist. 14.

Tribuni non tam ærati, quàm vt appellantur, ærarij: hoc ſenſu, Tribuni non tam nummati erant (hoc enim modo hic æratus interpretor) quàm nummarij & corrupti: ærarius enim in ea notione & forma, qua nummarius, dici cur non poſſit, nihil cauſæ video. Vt nunc quidem excuſus circumfertur locus, incolumi ſententia defendi non poteſt. Nam æratum pro obærato accipere, eſt vim vocabulis afferre.

Quod in ſolum venit apud Ciceronem, varrones. CAPVT II.

Cic. fam. lib. 9. epiſt. vlt.

In vltima Ciceronis ad Pætum epiſtola ſcribitur, *ibi loquor, quod in ſolum, vt dicitur*. eo de loco ſi quid exiſtimamus, non video cur fraudi nobis eſſe debeat noſtrã oſtendere ſententiam, etiãſi improbãda videatur: qui enim ſtudio iuuandi, aliquid ſuſcipiunt, etiam ſi quod volunt minus aſſequuntur, tamen vel ipſa voluntate laudandi ſunt. Ego quæ dicam certa & vera non præſtabo, ſed quid mihi videatur proferam. vt enim ea demùm nobis eſſe videntur, quæ ſenſibus comprehendimns, velut quæ vel tangimus, vel cernimus: ſic cùm omnia propè ferat ſolum, id ſolum eſſe exiſtimamus, quod in eo videmus, & omnia quæ ſunt in rerum natura, eo ſuſtineri putamus: proinde quod in ſolum, valet quicquid eſt, quicquid accidit, quicquid ſeſe offert, quicquid euenit. In eandem ſententiam libro 1. de Natura deorum dicit, *hinc quodcunque in ſolum venit, vt dicitur, effingis atque efficis*, id eſt, quicquid eſt in rerum natura. Varro hoc prouerbium etiam vſurpauit, *Libet mi epigrãmmata facere, & qui nomina non memini, quod in ſolum mihi venerit ponam*, id eſt, quodcunque nomen ſeſe mihi obtulerit, & in buccam venerit. Diuerſum eſt hoc Afranij à Grammaticis antiquis citatum, *orbitatem ſenectuti tuæ malam metui, quod inſolum non venit cæco ac dementi*. Rurſum, *ne veniret quod non agitur inſolum*. Hic veteres *inſolum* inſolitum interpretantur, à quibus vix recedere licet. Illud in eadem epiſtola difficilius eſt, *Ille baro te putabat quæſiturum vnum cœlum eſſet, an innumerabilia?* Ego, vt in quibuſdam libris reperi ſcriptum lib. 2. de Finibus, *hæc cùm loqueris, nos varrones ſtupemus*, integrum & incorruptum puto. Nam vt longurio pro longo & inepto voce à longurijs deducta ponitur, pro vecordi & amente vacerra, quæ vox ſtipitem ſignificat: ita pro ſtupido & bardo, varro vocabulo à varris deflexo, qui perticas ſignificant, vſurpabatur. Lucillius apud Feſtum in voce ſquaroſus, *Varronum ac rupicum ſquaroſa incondita roſtra*.

Cic. 1. de nat. deorum.

Var. apud Non. in Accuſatiuis progenitiuo.

Afran. apud Non. in Solum.

Ibid. apud Non.

Cic. ead. epiſt. vlt. lib. 9.

Cic. 2. de Finib.

Feſt. lib. 17.

Lecythi apud Ciceronem, ampullæ, Teucris. CAPVT III.

VERBA

VERBA ſunt M. Tullij in epiſtolis ad Atticum, *totum hunc locum, quem ego in Ariſtocratia variè in meis orationibus, quarum tu Ariſtarchus es, ſoleo pingere, de flamma, de ferro (noſti illas ληκύθους) valdè grauiter pertexuit*. ea Plinius accipit de oratione amœna, & pigmẽtis orationis perpolita: ſic enim in epiſtolis ſcribit, *non tamen omnino Marci noſtri ληκύθους fugimus, quoties paulùm itinere decedere non intempeſtiuis amœnitatibus admonebamur*. Horatius de oratione tumida & magnifica interpretatur: eadem enim qua Cicero tranſlatione dixit,

Cic. 1. ad Attic. epiſt. Vereor ne putidum.

Plin. 1. lib. epiſt. 2.

Proijcit ampullas & ſeſquipedalia verba:

Horat. de arte poẽtic.

quod eſt orationis amplitudinem & ſuperbiam omittit. & alio loco,

An Tragica deſæuit, & ampullatur in arte?

Horat. 1. lib. epiſt. 3.

Sed orationis elegantia & amœnitas cum magnificẽtia & grauitate plerunque coniungi ſolet. hoc cerrè conſtat à tumore ampullarum, quæ λήκυθοι Græcè dicuntur, hoc genus trãſlationis profectũ eſſe. hinc & Strabonis illud multis obſcurum exiſtimatum arbitror explicandum ἀλλὰ θέσεις ληκυθίζειν. In eadẽ epiſtola rectè Victorius animaduertit legdẽum eſſe Græcè ἐνεκαφρευσάμην, non vt paſſim excuditur. addo in ſuperiore quadã epiſtola ſcribendũ eſſe χρησομαθῆ, non vt in omnibus libris, χρησομαθῆν circunfertur. Cur Teucris in aliquot epiſtolis Antonius Ciceronis collega vocatur? opinor quòd ariolaretur & vaticinaretur, id eſt falſis promiſſis ſæpe Ciceronem, cui pecuniam promiſerat, decepiſſet. Caſſandra autem fatiloqua, ſæpe ab aliquo vate Teucris appellata fuerat. Scribit Manutius calcem epiſtolæ ſic ſcribi in veteribus libris, *valde petitur ire, nauabo operam*, quo fit vt corrigendum putem, *video hominem valde petitur ire, nauabo operam*: ſignificat enim Luceium deſiderare reconciliationem & reditum in gratiam.

Strabo lib. 13. Georg.

Cic. 1. ad Attic. epiſt. Non committam.

Cic. 1. ad Attic. epiſt. Vereor.

Cic. ibid.

Sacrificium propter viam, bene ferre ætatem, conſul λοιμοθέρητος. CAPVT IIII.

Apvd Macrobium Catonis iocus commemoratur his verbis, *ſacrificium apud veteres fuit, quod vocabatur proteruia: In eo mos erat, vt ſi quid ex epulis ſuperfuiſſet, igne conſumeretur: hinc Catonis iocus eſt. namque Albidium quendam, qui ſua bona comediſſet, & nouiſſimè domum, quæ ei reliqua erat, incendio perdidiſſet, proteruiam feciſſe dicebat, quod comeſſe non potuerit, id combuſiſſe*. In nomine proteruię neſcio quid maculę videtur eſſe conceptum, quod eluetur, ſi *propter viam* legatur. Feſtus, *Propter viam fit ſacrificium, quod fit proficiſcendi gratia Herculi aut Sanco, qui ſcilicet idem eſt Deus. Alij profecturi viam, Herculi aut Iano ſacrificabant*. nónne Feſti auctoritas ſatis cauſæ habet, cur lectionem eſſe mutandam putemus? In medium præter-

Macr. 2. Satur. 2. cap.

Feſt. lib. 14.

ea

Plaut Rudent. Sc. Et vos à vestris abduxi.

ea Plautus veniat, qui id etiam testetur, eius sunt hæc in Rudente verba. s. *Vt mea est opinio, propter viam illi sunt vocati ad prandium.* D. *qui?* s. *quia post cœnam credo lauerunt.* Libet & iocos quosdam illius apud Macrobium lo-

Macr. 2. Satur. cap. 3.

ci explicare. Cõuiuator apposuerat nouum vinum, quod peruetus & quadraginta annorum esse mentiebatur: Cicero cùm gustasset, ac durum & immite sensisset, bene ferre ætatem dixit, quòd nondum maturuisset, neque vetustatem sentiret, quę lenitatem vino adfert. homines autem, quos longa non lædit frangitq; ætas, quique, quàm videntur, seniores sunt, benè dicũtur ętatem ferre, vnde metaphora ducta. C. Seruilius vno die Consul fuisse illic dicitur, ego Caninius Rebilus vel Reuilus legendũ censeo,

Macrob. ibid.

quem & Cicero Consulem λογοθεώρητον fuisse dicit verbo philosophorum vsus, qui λογοθεώρητα vocant ea quæ ratione & intelligentia comprehenduntur & percipiuntur, non sub sensum cadunt, vt à philosophis ponuntur ἀρχαὶ λογοθεώρηλοι, principia rerum sensum fugientia, vt atomi & materia: sed & sapiens Stoicorum, qui nunquam fuit, nec futurus est, λογοθεώρηλος etiam dicitur, vt & Caninius diei vnius Cõsul, quem propter breuitatem dieculæ vnius, cogitare homines potius consulem fuisse, quàm consulem videre potuerunt.

Purpura Tænienſis apud Plinium, conchyliata & purpurea, Plinius emendatus. CAPVT V.

Plin. li. 9. c. 37.

GENVS quoddam purpuræ à Plinio Tenienſe appellatur, in Tenei maris ora, vt inquit, collectum: sed Teneum illud mare, vbi locorum sit, cùm esse neminem qui sciat putem, suspicio non leuis animo incessit, hîc emendatores, vt in deletili charta & palimpsesto lusisse, & deleuisse quæ non placebant, quæ voluerũt scripsisse, non quæ Plinius literis consignarat, edidisse. denique prouocatum est ad vermiculatos & erosos libros, in quibus reperimus, in Tenei maris collectũ. arbitror autem in tænijs maris collectum scribendum esse. Sunt autem tæniæ in mari cãdicantes cautes longo tractu fasciam imitantes, à quibus Tænienses purpuræ vocantur, quæ in illis degunt locis. est & purpuræ in eo genus dialutense, quod originem Græcam, sed formationem Latinam præ se fert. Nam vt è Græco & Latino compositum esse videatur, non assentiar, vt si Amminei vini & Chij nota mixta esset. libri tamen antiqui refragãtur editionibus, quod tam frequens est, vt quandocunque aliquid obscuritatis in eo auctore est, ferè semper dissensio reperiatur: & lubentius plerunque secundum veteres tabulas litem dederim. in illis autem ita scribitur, *mirè aptum conchylijs, & longè optimum purpuris dialucense, id est vario genere soli pastum.* dialutense retenta superiorum generum forma erit tanquã solutum & vagans, neque

Plin. ibid.

neque eidem adhærens sedi: at dialucense per salsum æquor repens, & vario ea de causa genere soli pastum, ex præpositione διὰ & ἁλυκὸν quod est salsum. hoc genus aptum conchylijs dicit, id est conchyliatæ vesti, vt apud Iuuenalem,

Horum ego non fugiam conchylia, Iuuen. 3 sat.

id est non profugiam Roma, cùm videam in ea Græculos tam locupletes & diuites esse, vt conchyliata veste abundent. inter conchyliata autem & purpurea interest, quòd purpureum inficitur purpurę flore & bucciñi succo, certo quodam temperamento: in conchyliatis non miscebatur buccinum, vt Plinius scribit, sed ita obscurè & mendosè, vt intelligi non magis possit, quàm si alienigena vteretur sermone. *in conchyliata veste cætera eadem sine buccino, præterque ius temperatur aqua pro indiuiso humani potus excremento, dimidia & medicamina adduntur*: inuiso tamen pro indiuiso malunt emendatores, semper non intellecta mutare solemni insania consueti: in veteribus indiuiso reperio, & ius temperatura, & quæ. sic igitur lego, *præterque eius temperatura, & quæ pro indiuiso humani potus excremento remedia & medicamina adduntur*. Nam inficiendis conchylio velleribus, cùm humanum admisceretur lotium, vt eius odoris fœditas emẽdaretur, medicamenta quædam & remedia adhibebantur. miscebatur & lotium tingendæ purpuræ: vnde & indiuisum dixit, quod & in purpura, vt in conchylio tingendo adderetur. Quare de grauissimo & teterrimo odore dixit Martialis, *Quod bis murice vellus inquinatum.*

Plin. lib. 9. cap. 39.

Mart. lib. 4. epig. 4.

Caudam trahere, Platona stipare Menandro, togam componere apud Flaccum, CAPVT VI.

VT cùm de Repub. Senatus habetur, non idem videtur omnibus patribus, sed aliud alijs placet, aliamque alius sententiam dicit sine fraude: item nobis Grammaticis vsuenire solet in nostra Repub. id est in auctorum interpretatione. nam à principibus non tribulibus Grammaticis vt sępe antè feci, nunc quoque dissentiam, in illo Horatij loco,

—nihilo vt sapientior ille,
Qui te deridet, caudam trahat.

Horat. lib. 2. sat. 3.

nec tamen aliorum sententiam commemorabo, ne leguleiorum more, atque etiam iam philosophorum, prępostera ambitione, alijs refellendis & deprimendis me attollere plus æquo videar, & opinionem doctrinæ aliorum iniuria quæram. hîc ego caudam trahere esse puto magnificè superbeque incedere, vt qui talari toga palláue ornati longo syrmate verrunt terram. Horatius, *—traxitque vagus per pulpita vestem,*

Horat. de art. poëtic.

id est magnificè incessit saltans. Nam ad syrma allusum esse puto, quod à tractu nomen est adeptum: aut, quod non æquè placet, tractū erit ab auibus, vt gallis gallinaceis & pauonibus, qui sua insolescere videntur cauda, vnde —*& picta pandat spectacula cauda*,

Horat. lib. 2. sat. 2.

scripsit alio loco Horatius. Trahit igitur caudam, qui sibi placet, seque sapientem, & vt Varronis verbo vtar, saperdam putat. Sic & Persius dixit,

Ante diem blando caudam iactare popello.

Persius 4. sat.

Apud Paterculum autem Plancus saltans marinum deum Glaucum, qui in piscem desinebat biformi specie, hominem ore prę ferens, ab aluo caudam piscis trahens, trahere caudam dicitur: sed tamen sine vlla translatione: subijciam eius verba, *Cùm ceruleatus & nudus, caputque redimitus arundine & caudam trahens genibus innixus Glaucum saltasset in conuiuio.* In eadem ecloga *stipare Platona Menandro*, est tanquam stipatorem & comitem Platoni Menandrum adiungere: quòd non philosophandi tantùm causa, sed etiam sermones scribendi in villam secessisset, cùm in sermonibus imitari soleret lepores salesque Menandri, Eupolidis, Archilochi. Idem cùm ait, *Audire atque togam iubeo componere*,

Paterculi posteriore volu.

Horat. lib. 2. sat. 3.

Horat. ibid.

attentionem postulat, vt in vera & longa reprehensione qui enim se comparat ad audiendum attentius, togam primum colligit, & circum se componit, ne defluat, & soluta laxaque aliqua parte decidat: qui etiam ad dicendum aggrediuntur, togam solent componere: Quintilianus, *ergo cùm iudex in priuatis, aut præco in publicis dicere de causa iusserit, leuiter consurgendum: tum componenda toga, vel si necesse erit, etiam ex integro iniicienda. Sanctarum*, autem *insciti a legum*, est ignoratio earum legum, quæ sanctè aliquid cogunt aut vetant metu pœnæ, quæque supplicia pœnasque sanciunt & irrogant. Itaque sancta lex est, quæ aliquid cogit aut vetat fieri, nocentique & sonti minatur. Cornificius ad Herennium, *Infirma erit eius defensio, qui negabit se fecisse, quod cogeretur, cùm altera lex permitteret, plus enim valet sanctio permissione.*

Quint. lib. 11. cap. 4.

Horat. lib. 2. sat. 1.

Cornific. ad Heren. lib. 2.

Phalanx, facere phalangem, pagi, materis.

CAPVT VII.

GRÆCIS & Macedonibus phalanx erat peditum stabile agmen grauis armaturæ, vt ferè Romanis suæ legiones: Iulius tamen Cęsar & Germanis & Gallis phalanges tribuit lib. 1. ita scribens, *Ipsi confertissima acie reiecto nostro equitatu, phalange facta, sub primam nostram aciem successerunt.* Iterum, *milites è loco superiori pilis missis, facilè hostium phalangem perfregerunt.* Rursum, *ac Germani celeriter ex sua consuetudine phalange facta impetus gladiorum exceperunt*: sed his in locis phalangem facere esse arbitror, quod

Cæsar. 1. lib. de bel. Gall.

Cæs. ibid.

Cæs. ibid.

Græci

Græci dicunt σωλαπίζειν. cùm iunctis scutis aut clipeis, vel in hostes inuaditur, vel hostium impetus excipitur, quod sic consertis clipeis Macedonum phalanx pugnare soleret. Ita autem apud Cæsarem intelligi ex eo patet, quòd ita scribit, *Reperti sunt complures nostri milites, qui in phalangas insilirent, & scuta manibus reuellerent, & desuper vulnerarent.* Est igitur ibi phalanx σωλαπισμὸς: ac Philippus Rex Macedonię sequutus Heroicum illum belli Troiani cuneum, de quo poëta scribit, ἀπὶς ἄρ' ἀπίδ' ἔρεδε, phalangem composuit Macedonicam vmbonum velut perpetuo textu consertam. Pagi autem apud eundem scriptorem sunt regiones vniuersæ & populi alicuius partes, vt tota regio Heluetiorum, quæ ab eo appellatur ciuitas, in quatuor partes erat distributa, quas appellat Cæsar pagos, non quòd tantum pagatim incoleretur: nam & habitabatur oppidatim, cùm scribat duodecim oppida in ea fuisse, & pagos ad quadringẽtos, sed quòd vniuersus eorum ager in quatuor partes, & tanquam præfecturas, esset diuisus. Eodem modo scribit Sueuorum centum pagos fuisse: cùm enim longè lateque in Germania regionem amplissimam haberent latissimosque fines, in centum partes regio distributa erat: sic ager Romanus à Numa Pompilio in pagos distributus fuerat, vt scribit Dionysius his verbis, Νῖλε πὼ χώρην ἅπασιν εἰς τὺς καλουμένους πάγους: tractus enim quosdam & partes regionis ira vocauit, quod quidem & Plutarchus scribit, εἰς μέρη τὴν χώραν Νῖλεν, ἃ πάγους προσηγόρευσεν. Pagis autem illis præerant pagorum magistri. Nos quidem antè de pago diximus, sed tumultuariorum commentariorum est, æstu quodam scribẽdi eodem sæpenumero relabi. Materas autem subijciebant in Cæsare lego. ita autem vocabatur, iaculum lingua Gallorum vt scribit Strabo καὶ ματερὶς πάλτα τι εἶδος. videri potest nomen gallicum, quo sagittam capitatam hodie appellamus matellatam per diminutionem, inde ortum esse.

Homer. Iliad. v.

Cæsar. lib. 1. de bel. Gall.

Cæs. ibid. & lib. 4. de bell. Gall.

Dionysius li. 2. antiquit. Rom.

Plutarch. in Numa.

Strabo lib. 4. Geogr.

Caleti, Velocasses, Æsia, testudo.

CAPVT VIII.

POPVLI duo sunt apud Cæsarem lib. 2. comment. belli Gal. nostris hominibus non satis noti, qui tamen hodieq; nomen retinent antiquum: hi sunt Caleti & Velocasses: Caletos autem hodie ferè omnes eos putãt, qui his proximis annis auspicijs Henrici regis de Anglis recepti sunt, hoc ipso adducti, quòd eorum oppidum Calisium vocetur, in Morinensi diœcesi. Sed Caletos populos esse contendo in superiore Normania vltra Rhotomagum ad ostium Sequanæ, quos hodie Caletenses appellamus, quorũ oppida sunt Deppa, Portus, nuper de Anglis receptus, quem

Cæs. 2. comment. bell. Gal.

per bellum ciuile interceperant, Iuliobona, quam villam bonam appellamus. Pro me teſtimonium dicet Strabo, qui in eo quem ſcripſi tractu Caletos collocat. Vt autem vltra Rhotomagum ſunt Caleti, ita citra Rhotomagum ſunt hodie Velocaſſes, etiam olim Rhotomagum eis attributum erat, quos hodie Vilcaſſinenſes appellamus, qui & bipartiti hodie ſunt, in Normanos & Frãcos. Velocaſſes Normani inter Andelam & Heptam ſiti ſunt, vbi oppidum eſt Giſortium, Caſtellum Andeliacum, chariſſima mihi patria: Velocaſſes Franci incolunt inter Eptam & Æſiam. ſic enim Vibius Sequeſter appellat fluuium Galliæ, quem hodie Iſaram appellamus, à quo & oppidum Pons Iſaræ nomen habet, vt Vibius Sequeſter loqueretut, Pons Æſiæ: ſic iſti duo populi antè ignorati, hominum notitiæ reſtituti ſunt. Mendosè autem in eo Cæſaris libro ſcribitur, *Germanosque, qui ripas Reni incolunt.* loquitur enim de Germanis qui in Gallia ſedes collocarant, & propè Renum & ſatis procul à Reno, quos appellat nominatim infra Condruſos, Eburones, Cæreſos, Pęmanos. ex antiquis igitur libris lego, *Germanosque, qui cis Renum incolunt.* Quod autem ait, ad inſignia accommodanda defuiſſe tempus, inſignia interpretor vel lupinas exuuias, quibus pilani ſuas galeas ornabãt, aut pro galeis vtebantur, vt Polybius lib. 7. ſcribit, vel pennigeras coronas, & pennas puniceas aut nigras, quibus cubitalis longitudinis ſuas galeas haſtati, principes & triarij decorabant, vt idem ſcribit. Illud porrò, *teſtudine facta portis ſuccedunt*, de ea teſtudine intelligo, quam faciebat exercitus ſe tegumẽtis ſcutorum vndique operiens, vt teſtudo ſuo obducta eſt putamine, eaque ſpecie referebat tectum ædificiorum: ſic autem ſe operiebant crate perpetua clypeorum aduerſus ſagittas Parthorum, & aduerſus omnia miſſilia ſupernè cadentia, cùm vrbem oppugnabant: hinc Maro ſcribit,

Strabo lib. 4. Geog.
Vibius Sequeſ.
Cæſ. 2. comm. bell. Gal.
Cæſ. ibid.
Polib. lib. 7.
Cæſ. 2. bel. Gal.
Virg. 2. æneid.

—*obſeſſumque acta teſtudine limen.*

quod de machina videtur Seruius intelligere, cui interpretationi acta cõuenire videtur, ſed acta pro facta hic dictũ crediderim. Plutarchus in Antonio de clypeorum teſtitudine ſic ſcribit: αὐλοὶ δὲ καθέντες εἰς γόνυ προὐβάλλοντο τὰς θυρεούς. οἱ δὲ ὄπιθεν ὑπερέσχον αὐτῶν τὰ ὅπλα, κἀκείνων ὁμοίως ἕτεροι. τὸ δὲ σχῆμα προὔκαπλήσιον ἐρέψει γινόμενον, ὅλην τὴν θεατρικὴν παρέχει, καὶ τὰ προβλήματα γεγανώτατον ὅτι προὺς οἰκέτας ἀπολιθαίνοντας. διὸ τῷ τε χελώνῃ ἐξαπινάσως ἐωικασιν οἱ ποιησαντες, καὶ τὰ γόνατα σφῶν ἀειτρεῖ προὺς τὴν γῆν ἤρεισαν.

Plutarch. in Antonio.

Iupiter currum agens per purum, Iupiter elicius.

CAPVT IX.

VETERVM opinio erat Iouem, cùm tonabat & fulminabat, in nubem eam, vnde fragor ille tumultuabatur, miſcebatur & fremebat, & iactus fulminum

minum cadebat, currum agitantem deſcendiſſe, vt inde velut ictum deſtinaret, & agitatione currus ſonitum excitaret. Hinc illud Horatianum,

Tu graui curru quaties Olympum. & alio loco,

Horat. lib. 3. od. 12.

—*nanque dies ſpiter*
Igni coruſco nubila diuidens
Plerunque per purum ſonantes
Egit equos celerémque currum.

Horat. lib. 1. od. 34.

His enim verſibus Horatius ſignificat curru Iouis fremitum tonitrus excitatum eſſe. Ea autem maximè diuina tamen tonitrua & fulmina putabant, quæ ſereno cœlo mittebantur, vt ex hoc Horatij loco patet, & eo Ciceronis quem proferam.

Aut cùm terribili percuſſus fulmine ciuis,
Luce ſerenanti vitalia lumina liquit.

Cic. 1. de diuin.

Et libro ſeptimo Hellenicôn apud Xenophõtem ſcribitur ἐξ αἰθρίας ἀστραπὰς καὶ βροντὰς λέγουσι διοΐους αὐλῷ φανῆναι. per purum igitur Horat. dixit, velut ἐξ αἰθρίας. Sed vt ad rem redeam. Quòd è nubibus fulminum manubias mittere Iupiter crederetur, ſcripſit Mantuanus poëta,

Xenophon 7. Hellenicôn.

Ipſe pater media nimborum in nocte coruſca
Fulmina molitur dextra.

Virg. 1. Georg.

Itaque quòd tum deſcendere, vt dixi, exiſtimaretur ab illa antiqua, & vt ita dicam, caſca hominum natione, κελαιβάτης à Græcis Iupiter ob tonitruum fulminum & pluuiarum tempeſtates vocabatur, id eſt deſcenſor, quem Elicium Latini dicunt: quo fit vt ad eam opinionem cognominationemque poëtarum Latinorum illa reuocanda ſint, quæ à nobis ſurdis auctoribus non audiuntur, nominatimque citanda ſunt & ſuis adſcribenda auctoribus, ne quem poſthac fallant, quæ ſubijciam. Maro in ecloga vij.

Iupiter & læto deſcendet plurimus imbri.

Virg. eclog. 7.

Ab eadem mente & illud manauit libro ſecundo Georg.

Tum pater omnipotens fœcundis imbribus æther
Coniugis in greminm lætæ deſcendit.

Virg. 2. Georg.

Quod tamen ex Euripidis etiam verſibus imitatum & effictum eſt. Horatius quoque in Epodis non alia de cauſa ſcripſit,

Euripid.

—*& imbres Niuéſque deducunt Iouem.*

Horat. Epod. 13. od.

Nam tum Iupiter de cœlo deducitur priſcorum ſuperſtitione & ſententia, cùm in imbres deſcendat. Salmoneus quoque ille impius tyrannus opinionis diuinæ & maieſtatis affectator, quadrigis equorum & curribus & lampadum quaſſatione iactuque, Iouis fulmen & tonitru imitabatur: quæ fabula ſpondet teſtimonium eius opinionis antiquorum quam commemoraui: de Salmoneo verſus ſunt Maroniani,

Virg.6.æneid. *Quatuor hic inuectus equis & lampada quaſſans,*
Per Graiûm populos mediæque per Elidis vrbem
Ibat ouans, diuûmque ſibi poſcebat honores
Demens, qui nimbos & non imitabile fulmen
Ære & cornipedum curſu ſimularat equorum.

Higin.lib.Fab. Higinus quoque de eo ita ſcribit, *Salmoneus Æoli filius Siſyphi frater, cùm tonitrua & fulmina imitaretur Iouis ſedens in quadriga, & faces ardentes in populum mitteret & ciues, ob id ab Ioue fulmine ictus eſt.*

Saga mens in Plauto, architectus omnibus, cunabula, cunæ, circumferre.

CAPVT X.

IOACHIMO Camerario ~~vno optimo & eruditiſſimo ſæculi huius ingenio quibuſdam eodemque~~. habeo ſcribenti in vetuſtis Plauti exemplaribus exaratum eſſe, *hæc ſola ſaccam mentem geſtat meorum familiarium*: ex quo quidam ſartam ſarſerunt, alij, non inuita mediusfidius Minerua, ſanam concinnarunt. ſed mihi verbum iſtud circunrodēti diutius, rimantique quidnam veriſimile ſit à Plauto pro ſacca ſcriptum eſſe, & vt ferè in vicinum deflexionibus detorquētur deprauata, cogitanti num aliquod verbum idoneæ huic ſenſui notionis ſignificationisque è vicinia proxima arceſſi poſſet: mihi iſtud diu multumque agitanti mecum verſantique, ſuccurrit, videri ſagam in ſaccam ſcribentium temeritate deuertiſſe. ſagam enim mentem pro prudentem & ſagacem dixit antiquitas,

Plaut. Amphit. Sc. Dapes atq; opes vitæ.

cic.1.de diuin. cùm Cicero ſcribat anus ſagas vocari, quòd multa ſciant. In eadem fabula illud, *Queis benefactis meus pater deûm regnator architectus omnibus*, ſic dictum accipio, vt, *ipſe quirinali lituo*: &, *melle ſaporatam & medicatis frugibus offam*. Nam, *queis benefactis meus pater*, valet quæ ſint eius beneficia in omnes, cùm omniū ſit architectus, non tantùm principum, & tam multa opera rectè & ratione ſæpe architectatus ſit. mihi enim videtur iocari in eum hiſtrionem, qui perſonam Iouis erat acturus, qui pauper erat, vilisque architectus, & in ſuperiore habitabat cœnaculo, vt alio loco dicit alludens, atque ita quidem, vt in hiſtrione: ſed ambigui etiam ſubolet neſcio quid in perſonam Iouis relato ſenſu, velut ſine artificis ſuſpicione: intelligit enim poëta comicus & ſignificat omnibus eſſe mortalibus architectum Iouem multis benefactis, quod ſignificat illum præpotentem Deum & Imperatorem omnibus hominibus auctorem eſſe multorum beneficiorum & bonorum. Cunabula autem in eadē comœdia ſunt faſcię & panni, quibus pueri in cunis inuoluuntur, inuolucraque eorum vno verbo lanea & lintea. ſic enim ſcribitur, *neque eum quiſquam quiuit colligare in cunabulis.*

Plaut Amphit. Sc. Dapes atq; opes.

Plaut. Prolog. Virg.7.æneid. Virg.6.æneid.

Nam

Nam in cunis pueri incunabulis inuoluti colligātur. In eadem fabula, *Ego cunas receſsim rurſum verſum trahere*. illud etiam, *queſo quin tu iſtanc iubes pro cerrita circunferri?* dictum eſt, pro luſtrari & luſtratione curari. qui enim id faciebant, certum carmen inſuſurrabant, & theda, ſcilla, ouis, ſulphure, alijque circumpurgabant, quod περιαγίζειν Lucianus dicit, ita ſcribens in necyomātia, ἐκάθηρέ τε μὲ ἀπέμαξε, καὶ περιῆγνιζε δαδὶ καὶ σκίλλῃ, καὶ ἄλλοις πολλοῖς. ὅμα δὲ τὸν ἑπτάλιτρον ἐκεῖνον ἐποτνιοῦτο. Idem etiam περικαθαίρειν Græci dicunt: & περικάθαρτος eſt περικαθαρτὴς, qui circumluſtrat, & circumpurgat: quod quia res certæ certaque februa circumferebantur, circumferre Latini vocauerunt. Itaque apud Maronem, circumferre vnda, eſt vnda purgare. *Idem ter ſocios pura circumtulit vnda.*

Plaut.ibid. Plaut.Amphit. Sc.Satin'parua res. Lucian.Menippo ſeu Necyomantia. Virg.6.æneid.

Paragaudæ veſtes, monolores, dilores, trilores.

CAPVT XI.

NON ſolùm inter Grammaticorum cathedras, ſed etiam inter Iuriſconſultorum pulpita perſæpe in controuerſiam adductum eſt, quæ ſint, vt ipſi loquuntur, in eorum iure paragaudæ. Ego verò etſi imi ſubſellij ſum etiam inter infimos literatores, vt ijs qui in triuijs docēt meritò annumerari debeam, tamen audebo, quid de ijs ſentiam adſcribere. Si enim in Iuriſconſultorum pulpitis & libris de eis & loqui & ſcribere non dubitarunt, quos etſi conſcientia inſcitiæ tacere iubebat, gloriolæ tamen & exiſtimationis ſtudium temerè & ineptè loqui cogebat, cur non ego eorum exemplo ad audaciam prouocatus aliquid effutiam? Ego igitur paragaudas arbitror faſcias fuiſſe, vel aureas vel ſericas auro ornatas, quę veſtibus intexerentur, non vt inſtitæ adſuerentur. Id ſatis oſtendit Imperatorum Gratiani Valentiniani & Theodoſij reſcriptum his verbis, *nemo auratas habeat aut in tunicis, aut in lineis paragaudas.* At in Valentis Valentiniani & Gratiani reſcripto, *auratas & ſericas paragaudas auro intextas viriles priuatis vſibus contexere conficeréque prohibemus*: veſtis potius ipſa paragaudis diſtincta & inſignita ſignificatur. Nam & paragauda veſtis ipſa etiam dicebatur. Vopiſcus in Probo, *Interulas paragaudias duas*: & in Aureliano, *paragaudas veſtes ipſe primus militibus dedit, cùm antè non niſi rectas purpureas accepiſſent.* qui locus prætexturam quādam veſti paragaudæ fuiſſe intextam ſignificat, cùm paragaudę veſti purpuream rectam opponat, quæ nec clauata nec prætexta erat. Pollio Trebellius, *albam ſubſericam paragaudem vnam.* Harum quædam monolores erant, quædam dilores, aliæ trilores, aliæ etiam pentalores: ego autem ſuſpicor monolores fuiſſe paragaudas veſtes, quibus vna tantùm paragauda intexta eſſet: quibus autem duæ,

L.2.de veſtib. holob.& aur. & de tinct.li. 11.Codic. L.1.eod.tit.li. 11.Codic. Vopiſc.in Probo & in Aureliano. Trebel.in Diuo Claud.

quæ ſua latitudine lora æmulari viderentur, dilores: quibus tres, trilores. nam quòd illæ tanquam faſciæ lori æquarent latitudinem & ſimularent ſpeciem, ideo ſuſpicor ab hiſtoricis, & à populo olim ſic vocatas fuiſſe.

Vopiſcus in Aurelian. Vopiſcus, *& quidē alijs monolores, alijs dilores, trilores alijs, & vſque ad pentalores, quales hodie lineæ ſunt.* haud me tamē animi fallit eruditos eſſe homines, qui monocores, dicores, tricores, pentacores hîc ſcribendum aſſerāt, & veſtes intelligant ſemel bis ter quinquies purpuræ aut muricis fuco ſatiatas: ſed nihil afferunt, cur in eorum ſententiam auctoritas tanquam ſenatuconſulti perſcribenda ſit. paragauda autem, vt & hoc ad extremum ponam, verbum eſſe videtur è Græco & Latino compoſitum, vt quodam ornamentum & gaudium veſtis intelligatur. aliquando etiam, quòd limbo paragauda & margini veſtis eſſet vicina, velut paracaudam, id eſt, iuxta caudam & extremitatem & oram veſtis interpretatus ſum.

Ignis admouebatur ijs qui ad aras confugerant, vt eas relinquerent.

CAPVT XII.

NEFAS erat eos, qui ad alicuius dei aram confugerant, & in loci ſacri præſidium ſe receperant, violari, aut per vim inde extrahi, ne crimen, non tam in deorum ſupplices, quàm in deos ipſos immortales admiſſum eſſe videretur: nihil tamen ius & fas tam ſanctum cōſtituere poteſt, quod non, ſi non vi opprimatur ſaltem iuris aliqua ſpecie & ſimulatione eludatur. ignem enim reperio ſolitum eis, qui aras amplexi tenebant, admoueri, vt non ab hominibus per iniuriam inde extrahi viderentur, ſed incendij metu & ardoris inde fugere cogerentur. proinde quaſi non ab hominibus id oblatum, ſed velut fortuitò natum foret: nec id hominum eſſet maleficium aut ſcelus, ſed ignis violētia & impetus. Itaque apud Euripidem Hermione minatur ſe Andromachæ quæ in templum confugerat, ignes adhibituram, & inde incendio loci eam excitaturam atque fugaturam:

Euripid. Andromachæ. verba autem ſunt Euripidis, πῦρ ἐγὼ προσοίσω. vbi notat enarrator, ἔθος τῶ τοῖς εἰς δωμὸν καταφεύγουσι πῦρ προσφέρειν. hinc profectò intelligetur cur in ſcenis Plautinis & ſpectaculis Rudentis, leno ignem ſibi poſcat, vt ancillas ſuas, quæ ad aram Veneris perfugerant, locum deſerere cogat. ſic autem ſcribitur:

Plaut. Rudent. Sc. ex. è fano. LAB. *Vulcanū adducam, is Veneris aduerſarius eſt.* mox rurſum ſcribitur. LAB. *Ibo hercle aliquò quæritatum ignem.* Iterum, *ignem magnum hîc faciam.* Etſi enim dicit, *haſce ambas hîc vt in ara viuas comburam*, tamen hominem auariſſimum & impuriſſimum ea conditione ſe eas combuſturum minitari debemus ſuſpicari, ni vellent locum relinquere, cuius fiducia herile contemnebant imperium, & ſui ius corporis adimere lenoni volebant,

bant, ſeque in libertatem vindicare conabantur. Nam ius in eas & poteſtas ei ſanè omni vltione potior erat.

Gratiæ ſolutis zonis, cululli, barbitus, iuuentas comes Veneris.

CAPVT XIII.

QVOD ſcribit Horatius, *Icci beatis nuc Arabum inuides Gazis,* ex hiſtoria petitum eſt: conſtat enim ea tempeſtate Auguſtum in animo habuiſſe Arabiæ & Parthis bellum inferre, eiuſque belli cauſa delectum habuiſſe: vnde Horatius alio loco ſcribit,

Horat. lib. 1. od. 29.

—*& iuuenum recens*
Examen Eois timendum
Partibus, Oceanóque rubro. & Maro,
Siue Getis inferre manu lachrymabile bellum,
Hircaníſue Arabíſue parant, ſeu tendere ad Indos,
Aurorámque ſequi, Parthóſque repoſcere ſigna. Et Propertius,
Iam negat Euphrates equidem poſt terga tueri
Parthorum, & Craſſos ſe tenuiſſe dolet.
India quin Auguſte tuo dat colla triumpho,
Et domus intacta te tremit Arabiæ.

Horat. lib. 1. od. 35.

Virg. 7. æneid.

Propert. lib. 2. eleg. 11.

Solutis autem Gratias zonis Horatius dicit, quòd ita fingi pingique ſolerent. Seneca, *Quare tres Gratiæ, & quare ſorores ſunt, & quare manibus implexis, quare ridentes, quare iuuenes, & quare virgines, ſolutáque ac perlucida veſte?* Ideo etiam fortaſſe ſupra nudam gratiam vocauerat, quòd perlucēte veſte, tāquam nuda eſſet: vt alio loco, —*Cois tibi penè videre eſt Vt nudā.*

Horat. lib. 1. od. 30. Senec. li. 1. de benefic. cap. 3. Horat. lib. 1. od. 24.

At verò Iuuentas apud eum poëtam dea iuuentutis eſt, quæ Græcè dicitur ἥβη, & cum Venere ab Homero iungitur, vt hic ab Horatio, ἥβη τε διὸς χρυσέθρη τ' ἀφροδίτη. *Exiccet*, autem, *culullis*, eſt exiccet & epotet poculis. cululli enim pocula erant per diminutionem elata, à culleo deducta: etſi enim culleus primam producit, tamen vt aſſolet, in diminutione corripit, vt mamma mamilla. Acron autem, quòd putat fuiſſe fictiles pōtificum calices culullos, quibus & veſtales virgines vterentur, vereor ne culullos pro capedunculis acceperit. Cæterum, *Leſbio primum modulate ciui.* cùm ait, ſignificat primum Alcęum barbito vſum, quod citharæ genus eſt grauiùs aliquantò ſonantis: quaſi enim βαρύμιτον dicitur. ab Alcæo etiam Sapphicum carmen inuentū fuiſſe, non deſunt qui ſcribant. Hephæſtion, ἔστι δὲ καὶ τρισὶ ἀλκαίῳ, ᾧ ἄδηλον ὁποτέρᾳ δεῖν εὕρημα, εἰ ᾧ σωτροικὸν καλεῖται. Alcæus porrò cum Athenienſibus bellum geſſit, & cum tyrannis, expulitque Pittacum Mitylenis. gratam autem dicit epulis Iouis teſtudinem, in quibus Apollo cithara canit, vnde illud, αὐτὰρ ὁ φοῖβος ἀπόλλων ἐγκιθαρίζει.

Horat. lib. 1. od. 32. Horat. lib. 1. od. 31. Acron. ibid. Horat. lib. 1. od. 32. Horat. lib. 1. od. 32.

Horat.lib.1. od.34. ſi(et. Illud autem, *Plerunque per purum tonantes Egit equos*, cùm ſcribit, intelligit verum eſſe Iouem tonare: vnde & eius cognomen, quod Epicurei negant. Nam ſi puro ſerenoque cœlo tonat, falſa eſt & inſana Epicureorum ſapientia, qui id ſemper fieri denſis nubibus obducto cœlo prædicant, & vt eſt apud Manilium,

Manilius.lib.1. aſtronom. *Eripuitque Ioui fulmen viresque tonanti.*

Xenophon 7. Hellenicôn.ſupra c.9.huius lib. Tonitru autem puro cœlo & ſereno fremens, certiſſimum numinis argumentum eſſe, & aliquid certiſſimum portendere cenſebant, vt antè è Xenophontis exemplo docuimus.

Clauus trabalis apud Horatium, ſeuerus vncus, liquidum plumbum.

CAPVT XIIII.

Horat.lib.1. od.35. HORATIVS anteambulatricem fortunæ dicit eſſe neceſſitatem, fortunæ dominatum & potentiam conſtituens, quòd quicquid ei collibuerit, nulla vis tanta ſit, vt impedire poſſit. Clauos autem trabales pereleganti fictione & conceptione tribuit neceſſitati, quibus omnia figat firmetque & retineat. Sunt autem grandes claui, quibus trabes configuntur.

Horat.idid.

Virg.12.æneid. At trabale telum in Marone, inſtar trabis magnum eſt. non exiſtimo autem de tormentis & cruciatibus iſta explicanda eſſe, quod videtur interpretibus. Cuneis quoque inſertis, ad arctius aliquid aſtringẽdum vtebantur. Cicero prima Tuſcul. *Hos ille cuneos fabrica fideli inſerens, perrupit artus.*

Cic.1.Tuſc.

Plat.in Tim. Plato in Timæo, ὃ τοῖς ἀλύτοις, οἷς αὐτοὶ συνέχοντο δεσμοῖς, ἀλλὰ σμικρότητος ἀοράτοις πυκνοῖς γόμφοις ζωτήκοντες, quod Cicero vertit, *crebris tanquam cuneolis illiquefactis*. Et in Phædone, ὅτι ἑκάστην ἡδονὴ καὶ λύπη, ὥσπερ ἧλον ἔχουσα προσ-

Cic.de Vniuerſit.

Plat. in Phæd. απερονᾷ καὶ προσπηλοῖ αὐτῷ πρὸς τὸ σῶμα. At verò, vncus ſeuerus, hamus eſt & anſa ferrea coagmenta rerum tenaciter & aſperè retinens liquido plumbo addito. Vitruuius, *anſis ferreis & plumbo frontes vinctæ ſint*. nam ad nexus firmitatem ſæpenumero ferreos vncos plumbo illiquefacto ad perpetuitatem hæſuros tenaciter operibus & fabricis adijciunt. De illo plumbo ſcripſit Euripides,

Vitru.lib.2. cap.8.

Euripid. Κάθησ' ἑδραία. καὶ γὰρ εἰ πέλεξ σ' ἔχει
Τηλὸς μόλιβδος, ἐξανασταίη σ' ἐγώ.

Horat.lib.1. od.35. Inquit Horatius,

Te ſpes, & albo rara fides colit
Velata panno,

Quod ita accipio, fortunam antecedit neceſſitas, ſequitur & comitatur ſpes & fides, nec eam vnquam deſerunt, quocunque ſe conferat, quamuis veſte mutata ſeſe diſſimulet: non tamen vt fides & ſpes aſſectatrices tuæ perpetuò ſunt, item vulgus amicos perpetuò ſequitur, quos mutata ſemper

per fortuna deſerit. Cæterùm quidam putant conſtruendum quod ſequitur hunc in modum, amici pariter doloſi diffugiunt iugum ferre, vel pariter iugum ferre, id eſt nolunt eſſe conſortes aduerſæ fortunæ, vt ſecundæ: ego putem dici doloſos pariter iugum ferre, qui non ſincerè ſe conſortes præbent, neq; bona fide, ideoque in rebus aduerſis deſerunt: eſtque tranſlatio à iumentis. Porrò in carminis clauſula quod accinitur, *—diffingas retuſum*, valet aliter fingas. at in proximo carmine, *Actæ non alio rege puertiæ, Mutataque ſimul togæ*, cùm ſcribit, eos æquales eſſe dicit: qui in pueritia eundem habuerint magiſtrum, ad eundemque ludum iuerint, ſimulque togam virilem ſumpſerint. Magiſtrum autem regem appellat tralatitio nomine. recedebant autem ab imperio magiſtrorum & pædagogorum, ſumpta virili toga. At illud, *Contaminato cum grege turpium Morbo virorum*, cùm dicit, morbum, impudicitiam intelligit, vt & Catullus: *morboſi pariter gemelli vtrique*. Spadones autem hoc genere morbi erant infames, quos habebat plurimos Cleopatra: vnde in Epodis ſcribitur, *Romanus, eheu poſteri negabitis Emancipatus fœminæ Fert vallum & arma miles, & ſpadonibus Seruire rugoſis poteſt*. Claſſe, autem, *cita reparauit oras*, eſt repetiuit, requiſiuit, recuperauit: vt enim parare eſt quærere: ſic reparare, requirere, recuperare.

Horat.ibid. Horat.lib.1. od.36. Horat.lib.1. od.37. Catul.epig.53. Horat.Epod.9. Horat.lib.1. od.37.

Ius Italicum, Oea, Zama. CAPVT XV.

POSTEAQVAM Italiæ ſolum immune factum eſt, prouinciale autem tributarium, multę ciuitates ius Italicum in prouincijs impetrauêre, vt coloniæ, quæ iuris erant Italici, quas plurimas Iuriſconſulti commemorant in titulo de Cenſibus. Itaque ius Italicum, nihil aliud eſt, quàm immunitas à tributis: tributorum autem duo genera erant, vnum agris impoſitum, alterum capitibus: ſed quibus eſſet ab Imperatore remiſſum tributũ capitis, eorum etiam immune ſolum eſſe factum Imperator Titus interpretatus eſt. Eo in tit. Naponenſis colonia legitur, de qua nihil vnquam alij ſcriptores fando audiere. Ego legendum putem Neapolis & Oeenſis coloniæ, ad quam emendationem quàm proximè veteres libri accedunt, ſi quis eorum ſcripturam inſpiciat & ſcienter compendium interpretetur. Sed & mox libenter legerim, *Zamenſis quoque eiuſdem iuris eſt*, vel, vt reperi, Zama Getula. Nam vel vrbs eſt Getuliæ, vel Getuliæ proxima, & ei fortaſſe aliquando contributa. Equidem ſcio aliam obtinuiſſe ſcripturam: Sed vbi locorum vnquam eius quæ recepta eſt appellationis ciuitas condita fuerit, nemo facilè dixerit: ac procliuius ſit Ariſtophanis nephelococcygias, qua inclinatione mundi conditæ fuerint dicere. In eodem autem tit. Phœnicia pro phœnice, cõtra vtriuſque linguæ auctoritatem improbè

L.1.ff.de cenſ. L.ead.& cod.tit. Ariſtoph.Anib. L.1. cod.tit.

probè receptum est: sed & quod in libro peruetusto scriptum extat diser-
L. ætatem ff. de censib. tè, *à duodecimo fœminæ vsque ad sexagesimum annum tributo capitis obligãtur*: dissimulandum non putaui. nam etsi dubium non est quin de capitatione Vlpianus loquatur, tamen non puto inanem esse vocem capitis, quam in alijs suppressam codicibus videre licet. Nam ista supplementa, quę lectoris animum ad sententiam dirigunt, auctores plerunque liberaliter de suo adscribunt, ne qui legunt, ambiguitate captiosa fortè fallãtur. In huius tit.
L. vlt. ff. eod. calce lego, *In Africa Carthago, Vtica, Leptis magna, à diuo Seuero & Antonino iuris Italici facta sunt*. est enim probabile à Seuero iure Italico illas Africæ ciuitates donatas esse, cùm præsertim ipse Afer esset.

Buccularij, politores, Tribularij.
CAPVT XVI.

L. vlt. ff. de Iur. immunit. BVCCVLARIOS in iure ciuili quos tãdem accipimus? meritò enim bacularios, vt vocem nihili, quamque hac in re non agnosceret Iurisconsultus, explosam reor. Ego eos esse interpretor qui galeas faciũt, ex ea galearum parte, quæ buccula dicitur, impositio nomine: buccula autem à
L. vlt. de Iur. immunitat. ff. bucca per diminutionem nomen sortita est. eodem illo in loco politores pro polionibus, & lego & defendo, eoque nomine intelligo eos, qui arma, gladios, galeas poliunt. Qui autem sunt nicostrategi in titulo de Mu-
L. Munerum 2. §. legati quoque ff. de muner. neribus? subest mendi suspicio, quòd nullum tale apud Græcos verbum est, quùm tamen Græcam mentiatur originem: ego putem viarum stratarum & pistrinorum curatores legendum & agnoscendum crediderim. Non tamen quæ sum hic commentus ita recipi volo, vt contradici recusem. in iure vario & controuerso hoc si numeretur, prę clarè mecũ actum putabo. nam nisi boni consulam meam sentẽtiam numerari nec explodi à Iurisconsultis, iure hominum non risum sed iracũdiam à me non deprecabor. legẽdum putaui tribularij, vbi tubarij excuditur in titulo de Iure im-
L. vlt. ff. de Iur. immunit. munitatis, quo nomine venirent qui tribulos & murices faciunt, quibus equorum configantur pedes, sed melius tubarij legitur.

Saccularij, Dardanarij, directarij. CAPVT XVII.

L. Saccularij ff. de extraord. crimmib. In commentorat contra Cæcil. & L. Catil. AMBIGVNT viri huius memoriæ facilè doctissimi, qui sint saccularij in titulo de Extraordinarijs criminibus, cùm scribitur, *saccularij, qui vectigãlis in sacculos artes exercentes partem subducunt, partem subtrahunt*. Scribit Asconius equestrem ordinem pro Cinnanis partibus contra Syllam stetisse, multasq; pecunias abstulisse, ex quo equites saccularios appellatos fuisse. Saccularij igitur pecuniæ sunt fures Asconio, sed Iurisconsulto fures sunt, qui

qui malefica & magica arte credebantur sacculos, in quibus homines pecuniam gerunt, incantare, & nummos subducere. nam sacculus crumena est. Catullus, —*nam tui Catulli* Catul. epig. 23.

Plenus sacculus est aranearum. Martialis,

—*nescit sacculus ista meus.* Mart. lib. 11 epig. 4.

Veteres autem magnã vim esse magiæ putabant, vt & eius vi messes aliò traduci posse cẽserent excantatis segetibus, quo nomine & legibus iudicia constituebantur: ab ea opinione crediderim eos, qui annonã onerant & premunt, Dardanarios fuisse vocatos, quòd eorum tanquam maleficijs & venenis magicis crederent annonam auerti in ipsorũ horrea, & in metiendo mensuram imminui, eiusque modo subtrahi: aut quòd ad contumeliam & probrum magos eos increparent, Dardanarios vocantes, cùm esset odiosissimum magiæ & infame vocabulũ. Certè Dardanarij à Dardano habere nomen videntur, quem magum fuisse constat. Tertullianus,
vt ipsis iam vocabulis vtar, quibus auctrix opinionum istarum magica sonat: ostentantes, & Typhon & Dardanus & Damigeron & Nectabis & Berenice. Tertullian. Sed & Dardaniæ artes Columellæ magicæ sunt.

At si nulla valet medicina repellere pestem,
Dardaniæ veniant artes. Colum. de hort. cult. lib. 10.

Dardanus etiam ab Apuleio inter insignes magos nominatur. Vt autem arcarius, buccularius, tignarius dicitur, quæ formatio in multis artificum vocabulis obseruatur, ita, vt in opificio & artificio aliquo, Dardanarius eadẽ proportione dicitur. Nec verò in annona tantùm, sed & in alijs mercibus Dardanarij eodem Iurisconsulto auctore dicebantur. Qui se in alie-
L. Annon. ff. de extraord. crimmib. na cœnacula dirigunt furandi animo diætarij vocantur, quòd cœnaculum diæta etiam non malè vocari possit cùm in diæta sit. Est enim eorũ diæta,
L. Saccul ff. eod. qui in cœnaculis habitant: euariant tamen libri, & in quibusdam directarios legimus, quę lectio manasse è Iurisconsulti oratione videtur, quòd eos se ad aliena dicat cœnacula dirigere, in quam etiam lectionem propẽsior sum, vt quẽadmodum transuersaria tigna & arrectaria dicũtur, transuersarijque & arrectarij asseres, item directarij dicãtur qui directè in cœnacula eũt arte malefica: illud tamen alterũ obelo cõfodere nullo modo ausim.

Cicero prima Tusculana explicatus, ope barbarica, potitur fatorum, exequi, nequicquam, Atticus ibi loquitur.
CAPVT XVIII.

NON satis mihi perspexisse videntur viri non solùm doctissimi, verùm etiam ingeniosissimi sententiam alterni cuiusdam sermonis in pri-

Cic. 1. Tusc. ma Tuscul. Itaque quod assolet, personas mutarunt, vt ad ipsorum sensum dictio quadraret. ego si omnia propius inspiciantur, vices sermonis probam sententiam habere comperio. Sed satius sit locum perscribere, mox sensum explicare. *Hæc fortasse metuis, & idcirco mortem esse censes sempiternum malum.* A. *Adeóne me delirare censes, vt ista credam?* M. *An tu hæc non credis?* A. *Minimè verò.* M. *Malè hercule narras.* A. *Cur quæso?* M. *Quia disertus esse possem, si contra ista dicerem.* A. *Quis enim non in eiusmodi causa, aut quid negotij est, hæc poëtarum & pictorum portenta conuincere?* dolet hic Marco, quòd auditor, quæ de inferis narrantur esse neget. Nã velut contra ista poëtarum figmenta, & pictorum, paratus ad dicendum veniſſet, ægrè se ferre simulat, locum sibi ademptum, in quo eloquentiam ostendisset suam, & sibi cãpum esse clusum, in quo splendidè spatiari & inequitare magnificè potuisset. Subsequitur alter, & ait, non esse magni ingenij in eo eloquentem videri, quòd poëtarum portentis, & pictorum nugis confictum esse videatur: vt nulla sit in eo refellendo opera magnopere ponenda. Sed vt huic tanquam obsonio sua, vt prisci loquebantur, mantissa addatur: aliquid ex eodem libro primo adijciam, in quo cùm ex antiquo poëta affertur, *astante ope barbarica*, barbaricum interpretor Phrygium, vt sit stante Phrygum imperio. Sic apud Horatium,

Cic. ibid. Cic. ibid.

Horat. lib. 1. epist. 2. Horat. Epod. od 9. Virg. 2. æneid.

Græcia barbariæ lento collisa duello, id est Phrygiæ: & apud eundẽ,
Sonante mixtum tibijs carmen lyra;
Hac Lydium, illis barbarum. id est Phrygiũ: & apud Maronem,
Barbarico postes auro spolijsque superbi, id est Phrygio. Phryges enim opibus & auro abundabant, opinioque Græcorum erat eos opulentos fuisse, vt & Persas. Itaque vt barbarus ætate Demosthenis dicebatur, Persarum rex: sic barbaros qui de bello Troiano scripsêre, aut tragœdias illius argumenti attigêre, Phryges intellexerunt: quanquam latius barbari nomen patet. Quòd autem hæc duo regna opulẽtissima fuerunt, inde barbaricum aurum dixit Maro. & vetus poëta apud Cic. 2. Tuscul.

Cic. 2. Tuscul. *quibus magis palæstra, Eurotas, sol, puluis, labor, militia in studio est, quàm fertilitas barbara*, id est quàm barbarorum delitiæ & copiæ. in eadem prima Tuscul. scribitur, *Euthynous potitur fatorum numine læto*, quod sic interpretandum censeo, Euthynous fatorum potitur mortuusque est, quę quidem mors propitio & lęto numine & Deo ei accidit. scribitur & munere lęto, vt munere læto fatorum eum potitum audiamus. est qui & per adpositionem accipiat, & legat *fatorum munere, letho*. in eodem libro, exequi pro funerare vsurpatur: vnde exequiarum nomen, quod inde natum est, quòd multi cadauer eius, qui efferebatur, sequebantur. *At qui labores morte finisset graues, eum omnes amicos laude & lætitia exequi.* nequicquam pro non

Cic. 1. Tuscul. Cic. ibid. Cic. ibid.

quicquam ibidem etiam ponitur, vt veteres ne vis, pro non vis dicebant. *Secernere autem à corpore animum nequicquam aliud est quàm emori discere.* Cic. ibid. Sæpe autem quæri animaduerti, quis in ea disputatione cum Cicerone loqueretur: ac omnes propè in hanc sententiam vadunt, vt auditor sit: refragante tamen Lactantio, qui Atticum putat. sic enim libro primo Institutionum scribit, verba Ciceronis adhibens. *Quære quorum demonstrantur sepulchra in Græcia: reminiscere, quando es initiatus, quæ traduntur mysterijs: tum denique quàm hoc latè pateat, intelliges. Testatus est videlicet Attici conscientiam, ex ipsis mysterijs intelligi posse, quòd omnes illi homines fuerunt, qui coluntur.* Lactant. lib. 2. instit. cap. 15.

Catinus porri & lagani, pocula duo cum cyatho, echinus.
CAPVT XIX.

QVOD Flaccus ait, *Ad porri & ciceris refero laganique catinum*, de parabili cibo intelligendum frugique mensa arbitror: nam porrum pro oleribus posuit, quæ vilissima sunt cibaria, & cicer legumen est, quo pauperiores vescebantur. Itaque viles homines & abiectos, fricti ciceris emptores alio loco vocat. laganum etiam, quod fictum erat farinaceum, quod in sartagine ex oleo frigebatur, in parabilibus escis numeratũ existimo. Id autem Galenus duorum generum scribit, vnum πύμα appellat, alterum λάγανον. —*& lapis albus*, inquit,

Horat. lib. 1. sat. 6. Horat. de art. poëtic. Galenus.

Pocula cum cyatho duo sustinet.

veteres solebant delphicam mẽsam multis onerare poculis, numeroque semper pari: duobus contentus est Horatius, & cyatho, quo modum potionis metiebantur, & certis cyathis vini certos aquę cyathos miscebant, quod qui faciebat, ad cyathum stare dicebatur. Nam cyatho hauriebant vinum & aquam è vasis, & in pocula fundebant. quod κυαθίζειν Græci appellant, noto Marcelli ioco, cuius naues machinis Archimedis leuatæ in puppim aut proram, deinde illisæ mari, aquam cùm plurimam haurirent, aut grauibus libramentis depressæ acciperent aquam, ludens dixit Archimedem suis nauibus pro cyathis vti. solitos autem esse veteres paria pocula in delphica ponere, declarat Agretius sic scribens: *Cicero, iubeo promi vtrosque binos vt habeam: quia in delphica comparia vasa semper sunt, vnde ipse Cicero dicebat, scyphorum paria complura.* —*astat*, inquit, *echinus Vilis.* echinus Hesychio vas coquinarium est, sed & patella. Interpretibus est vas æneum, in quo calices lauantur, quod etiam trisilla vocatur. trichilam puto scribi debere, vt eo in epigrammate, quod Maroni adscribitur: *& trichila vmbrosis frigida arundinibus*: Et apud Columellam, —*sub trichila manantem serpit ad vndam.* alij vitream ampullam, alij scorteam explicant:

Plutarchus in Marcello. Agretius. Horat. lib. 1. sat. 6. Hesychius. Virg. Copa. Colum. lib. 10. de cult. hort.

ego hic vas aquarium rotundum lagenæ ſimile, aut ampullæ crediderim,
Varr.lib.4. de ling.Lat. vt guttum vinarium, vt Varro de lingua Latina docet. patera autem ad libandum vtebantur, & interdum poſt libationem ad bibendum. hoc mihi in mentem veniebat, quod de hoc loco dicerem, quem echino ſpinoſiorem & aculeatum magis eſſe & ipſe ſentio, & intelligo multis videri: ſed nec illud omittam, Porphyrionem perſpicuè legere echino, cùm explicet propter echinum aſtat vilis guttus, qui & echinum vult hic vitream eſſe ampullam, vt aquarium vas exiſtimaſſe videatur: aquam enim lympidam nitido vitro perlibenter infundimus. nomen habere videtur à rotunditate echini ſe in pilam colligentis.
Porphyr.in ſat.6.lib.1. Horatij.

Scanſoria machina, aniſocycla, nitor olei, tela.

CAPVT XX.

Vitru.lib.10. cap.1. SCANSORIÆ apud Vitruuium lib. decimo machinæ, etſi ſatis apertè definiuntur, non tamen à quibuſuis intelliguntur. Hæ ſunt quæ à Græcis aërobaticæ appellantur, vt multi cenſent, quod in altum homines tollant, & in aërem ſublimes leuent, ego acrobaticas appellari exiſtimo, quòd in earum ſummum ſpeculãdi cauſa aſcendatur: de ijs autem ſic ſcribit, *Scanſorium autem eſt, cùm machinæ ita fuerint collocatæ, vt ad altitudinem tignis ſtatutis, & tranſuerſarijs colligatis ſine periculo ſcandatur ad apparatus ſpectationem*: his ego verbis exiſtimo genus quoddam bellicarum machinarum deſcribi, quæ altiſſimis tignis in terra ſtatutis, & ad eam altitudinem, quæ vrbis muros ſuperet, erectis, ſpeculatorem aut exploratorem ita attollunt in faſtigium ſcandentem, vt velut in ſpecula collocatus, ex edito ſpectet in obſidione quid oppidani aduerſus obſeſſores parent: quod quidem fit tranſuerſarijs & plexis colligationibus & tignis ad tigna in longum adiectis ad altitudinem augendam. Hoc enim genus audaciæ mox dicit eſſe, non artis. Recordor in membranis Græcis auctorum, qui de re militari
Vitru.ibid. Vitru.ibid. ſcripſerunt, exemplaria me earum machinarum vidiſſe. Cùm autem diſtinguit organa à machinis, in exemplo numerat Aniſocycla, quæ organa ſuſpicor fuiſſe multos orbes habentia, quoſdam maiores, quoſdam minores, vt facili niſu maiorum impulſione, reliqui orbes mouerentur, & molitio rei alicuius fieret, aut expulſio. quo enim maior eſt apſis & rotunditas circuli, eò minore conatu & opera mouetur. Sed ſuſpicionem tantùm meam perſcribo. Budæus ſingulare huius vrbis ornamentũ, cuius ſi quando manum in aliquo libro cognoſcimus, ita veneramur & admiramur, vt quod ludens ſcripſerit, aliorum ſerijs ſcriptis anteponere non erubeſcamus, in quodam Vitruuio, quem mihi Memmius vir & humaniſſimus & doctiſſi-

doctiſſimus commodauit, ſcripſerat, aniſocycla vocat Vitruuius organa inæqualium circulorum, quę maximi ſunt momenti. tanti auctoris ſententiam ſi prætermiſiſſem, nónne ei ſimilis fuiſſem, qui ſe comitijs Catonis rationem habiturum eſſe pernegaret? nec verò omittam eleganter quidem à Vitruuio, ſed tamen animaduertentibus paucis, nitorem olei, pro olei pinguedine, id eſt pro oleo ipſo per circuitionem dici: verba ſubijciam, *Neque olei nitorem, neque vitium fructum habere potuiſſemus.* nitent Latinis quæ bene habita & obeſa ſunt: nitoremque in oleo dixit Vitruuius propter eius pinguitudinem. Admonebo, & telorum in eo, pro telarum, eodem capite legendum eſſe. Nam & quodam loco apud Tibullum doceo inſtrumenta, quibus tela texitur, tela appellari: & ita apud Lucretium legendũ eſſe Lambinus eruditiſſimus vir mihi aſſenſus eſt. Igitur ſine cunctatione, ſic Vitruuium emendandum eſſe reor, *vt veſtitus quemadmodum telorum organicis adminiſtrationibus connexu ſtaminis ad ſubtemen non modò corpora tegendo tueantur, ſed etiam ornatus adijciant honeſtatem*. Hæc ego malui qualiacunque iuuentutem docere, quàm Pythagoricorum ritu alto preſſa ſilentio tenere.
Vitru.lib.10. cap.1. Tibull.lib.2. eleg.6. Lucret.lib.5. Vitru.ibid. Vitru.ibid.

Potio vincea, inter cuneos ferreos, graphicus mortalis, domeſticum augurium, & quædam alia ex Plauto declarata.

CAPVT XXI.

LVDIMAGISTRI hic officio fungar, & quædam è Plauto gloſſemata, quæ feſtinantem lectorem iniecta manu retardarent, immorarique cogerent, explicabo. *Proſtibili*, inquit, *eſt ſtantem ſtanti ſuauium dare*. hic proſtibili, eſt proſtibuli, id eſt meretriculæ viliſſimæ & proſtantis. quanquam proſtibuli fortaſſe legendum. quorſus aſinus calcitrat regredimur. *Ohe, iam ſatis, nolo obcædes, Catuli vt ludum nunc volo.* Nolo hic quicquam, inquit, tragicum & cruentum quodque cędes imitetur. malo ludum catelorum, qui inter ſe laſciuè luſitant. ſed membranæ morticinę, *Catali vt ludum* habent: ac ita laſciuus quidam & delectabilis ludus Catalorum populorum ſignificabitur. Nam tales quoſdam habuêre populi ſuos ludos, & in inſcriptione Tergeſtina hoc erat inciſum, VTI CARNI CATALIQVE ATTRIBVTI A DIVO AVGVSTO PIO REIPVB. NOSTRÆ. obcædes autem iuncto verbo, vt concædes dicuntur. *Nolo ego*, inquit, *nos bibere pro ſummio, nulli relerimus poſtea.* nolo immani nos poculo & oppleto quantumque quis ducere poteſt, bibere, vt facere ſolent interdum, qui ita prouocant & poſcunt, quaſi vltimum ſint poturi, neque poſtea cadum aperturi, vinumque hauſturi, ſed poſtrema inuitatione vſuri: ſic
Plaut.Stich. Sc. Tene tu hoc, educe. Plaut.Stich Sc. Agite, ite foras. Plaut.ibid.

enim plerunque fit, vt ſubitò exhauriatur totus vini cadus. Id quidem & antè nos etiam explicare conati ſumus. Retrorſum vt cancri cedimus,

Plaut. ibid. *noſmet*, inquit, *inter nos miniſtremus monotrophe*. Stichus Sagarinum appellat monotrophum, quòd ſolus ſit, nec cõtubernalem habeat ancillam nec vicarium: qui enim talis eſt ipſe ſibi miniſter eſſe cogitur, ſolusque veſcitur. *Nam mihi iam intus potione vincea onerabo gulam*: lepidè, ita me Deus amet, laqueum potionẽ vocat vinceam, ac potionem quidem, quòd cùm potum guttur ſoleat tranſmittere ipſi inditum, inditur & induitur ei laqueus, quaſi tranſmiſſuro: vinceam autem à vinciendo venuſtè deflexit, & ad potionem vineam vel vinaceam interim eleganter alluſit, quòd laqueo collum vinciatur: eſt & vincea continens Feſto Pompeio. *vel inter cuneos ferreos*, id eſt vel in arctiſſimo potero accumbere loco, qualis eſt inter cuneos, quibus aliquid duobus ſimul inditis & adactis, magis adſtringitur, vel duriſſimum lignum finditur & diſcluditur. tum enim inter duos ſic adactos patet tantùm tenuiſsima rima. *Poſtea ibo lauatum in pilum*, hîc quid pilum ſit equidem comminiſci non poſſum, niſi ſit inſigne balnearum, vt malum punicum apud Suetonium, inſigne domus eſt: vidi qui intelligeret coactilia, quaſi intelligeret coactilibus ſe muniturum & foturum, eaque ſibi pro balneo fore: ſenſum vtrunque propoſui, arbitrio intelligentium relinquens vtrum ſequi malint. neutri enim interpretationi hîc præiudicare certum eſt. *Graphicum*, inquit, *mortalem Antiphonem*: ſic bellum & elegantem hominem vocat, quales ſcilicet pingi ſolent. Nam in tabulis pictis hominum ſunt inſignes ſpecies. id ita eſſe vt explicaui apparet, quod in eadem fabula ſcribit, *At ſatin' vt facetè atque ex pictura aſtitit?* *Certum*, inquit, *eſt muſtellæ poſthac nunquam credere*. hoc genus augurij domeſticum erat, cùm vel ſerpens, vel muſtella viſa erat, vel gallina cecinerat, aut canis ater ędes ingreſſus erat. hoc auſpicium inuentum fuerat à Telegono. Suidas, Τηλέγονος πρῶτος ἐφεῦρε τὴν οἰωνιστικὴν, οἷον εἰ ὁ τῇ στέγῃ ἐφάνη γαλῆ; ἢ ὄφις, τόδε τι σημαίνει. Terentius,

Plaut. Stichus Sc. Famem fuiſſe ſuſpicor.
Plaut. Stichus Sc. Libro inſpexi.
Suidas.
Terent. Phor. act. 4. sc. 4.

Introijt in ædes ater alienus canis,
Anguis per impluuium decidit de tegulis, Gallina cecinit.
Ite hac ſecundum vos me, ego hanc lacero diem.

Plaut. Stichus Sc. Quom bene res geſta ſaluos. Vos, inquit, ſecundũ me hac ite. traiectione enim quadam verborum perturbata eſt oratio, quę ſic in ordinem reſtituitur, vt dixi. nimiũ diu loquor, diei ſum moleſtus in veſperum feſtinanti & præcipitanti, quem excrucio & lacero, ſic remorans & retardans garriendo. vel nimium diu loquor, & verboſus diei moleſtiam creo, atque ita ſtultè garriendo, eum excrucio & lacero.

Reſpondere, eclogarij, eclogæ, & quædam alia ex epiſtolis ad Atticum.

CAPVT XXII.

In epiſtolis ad Atticum, quòd præcisè ſcribuntur quædam & nimium breuiter, ideo nos celant quid ſenſus occultent: vt, *ſed ſtomachari totum diem licet*, quod eſt, nolo hic in epiſtola iraſci, potero enim ſolus totum diem ſtomachari. mox verò, *nihil vidi*, vt opinor, hanc continet ſententiam, imprudens fui, qui mutauerim conſilium, nec abire decreuerim. fortaſſe autem pro ἐλθωμεν, ſcribendum eſt θέωμεν, vt ſe dicat fugere ex Italia velle quamprimum. ductus ſanè literarum veterum, malè à librarijs Latinis expreſsi, adumbrant talem quãdam ſcripturam. *Quod ſi*, inquit, *verum eſt, video ſine bello ciuili ſeruiendum*. Illud ſine bello ciuili, hoc declarat, præterquam quod bellum ciuile habebimus: quod è Græco videtur expreſſum, nam Græci χωρὶς τούτου dicunt interdũ, pro præter hæc. *Quod perſcribi*, inquit, *oportet*, id eſt non repræſentari, ſed per ſcripturam mẽſæ ad ſoluendum certo die cõſtitui, obligareq; ſe, & creditori cauere. Nã apud argentarios ferè præſcriptiones iſtas conficiebant. vt autem appellari dicitur debitor, cùm flagitatur vt ſoluat, ita cùm ſoluere ſe dicit, reſpondere dicitur. Cicero in eadem epiſtola, *fit ſæpe, vt ij qui debent, non reſpondeant ad tempus*. Heraclidium autem quod dicit, obſcurè & ænigmaticè librum ſignificat Heraclidis Pontici æmulatione ſcribendum, cuius hodie quædam eclogæ de Rebuſp. reperiuntur, & in Homerum allegoriæ: & eclogarios homines eruditos appellat, qui olim quicquid ferè legebãt librorum, ex ijs excerpebant breuiarium quoddam. ſic eclogæ reperiuntur è Diodoro, è Polybio, è Cteſia, è Theophraſto, è Strabone. vnde & poëmatia imitata, eclogæ vocantur: vt Bucolica Maronis è Theocrito: ac proinde etiam ſine imitatione poëmatia, quòd imitatorum breuitatem & ſimilitudinem habeant: ſed & loci inſignes ἐκλογαὶ vocantur, quòd excerpi notariq; potiſſimũ ſoleant, vt in vita Æſchyli, διὸ ἐκλογαὶ μόνα παρ' αὐτῷ τῇ κατασκευῇ ἀφέρουσαι πάμπολλαι ἂν εὑρεθείεν. Græcos porrò ludos vocat, quibus dantur docenturq; Græcæ fabulæ. *ſcis enim*, inquit, *quid ego de Græcis ludis exiſtimem*. ſcribit eodem libro Tullius, & *ais* μετ' ἀμύμονα, *tu verò* ἀμύμων: *ille quidem* ἄμβροτος: vbi mihi videtur ad Homeri verſum reſpexiſſe, Τῶν ἄλλων δαναῶν μετ' ἀμύμονα πηλείωνα. Innuebat autem Atticus Nepotem epiſtolam ita eleganter ſcribere, vt ſecundum Ciceronem facilè omnes vinceret. nam μετ' ἀμύμονα, quod de Achille dixit Homerus, de Cicerone Atticus intellexit. Eum autem honorem Cicero agnoſcere noluit, potiusque Attico detulit optimè epiſtolam ſcribenti, ſimulque laudem non inuidit Nepoti, quem diuinum quendam & immortalem ſcriptorem pronuntiauit, prolixè liberaliterque eius indulgens commendationi. vt qui vmbilicos & calculos in littore ludentes colligunt, otium ſuum fallunt, ego quoque velut ludens & aberrans

Cic. ad Attic. lib. 16. epiſt. 1e
Cic. ad Attic. lib. 16. epiſt. 2.
Aeſchyli vita.
Cic. ad Attic. lib. 16. epiſt. 3.
Homerus.

aberrans à ſerijs rebus & ſtudijs,hæc colligebam calculis & vmbilicis ſimilia.Vereor etiam ne quis algis & vluis dicat,& ijs eiectamentis ac purgamẽtis,quę mare foras in littus expuit.quod ſi quis his delectetur,abundè mihi pretium operę perſoluerit: ſi offendatur,tum verò vel ea de cauſa excuſabor,quòd imprudens noxam commiſero:nunquam enim offendere mihi deliberatum fuit.

Apophoreta apud Martialem,& quædam explicata.
CAPVT XXIII.

QVÆRI interdum animaduerto, quæ ſint apud Martialem apophoreta: ego eo nomine exiſtimo ſignificari munera, quæ conuiuis dantur, vt ea domum referant,vnde & nomen adepta ſunt. ſed quis huic ſententiæ eſt auctor & fundus,vt veteres loquebantur? Nam ſat ſcio nobis non crederetur:nec iniuria,cùm plurimi noſtri errores,meritò ſuſpectam reddant noſtram fidem: ſed de nobis alij viderint, certè Martialis ipſe ſic apophoreta intelligere & accipere videtur,cùm dicat:

Præmia conuiuæ det ſua quiſque ſuo.

Mart.lib.14. epig.1. hic enim verſus apophoreta explicat. Sed luculẽtiſſimè omnium D.Ambroſius in exhortatione ad virgines ita ſcribens, *Qui ad conuiuium magnum inuitantur, apophoreta ſecum reportare conſueuerunt. Ego ad Bononienſe inuitatus conuiuium,vbi ſancti martyris celebrata tranſlatio eſt, apophoreta vobis plena ſanctitatis & gratiæ reſeruaui.* & in epiſtolam ad Romanos, *ad quod omnes inuitati,apophoreta duplicia conſequuntur.*

D.Ambroſ.in exhortat.ad virg.

D.Ambroſ.in epiſt.ad Rom.

Diuitis,autem,*alternas & pauperis accipe ſortes*,

Mart.lib.14. epig.1. ſic intelligo,quòd alternis plerunque ſcribat in lemmatis Martialis diuitis dona & pauperis: vt pugillares citreos,diuitis: quincuplices pauperis: pugillares eburneos diuitis, triplices pauperis: pugillares membraneos diuitis, vitellianos pauperis: chartas maiores diuitis, chartas epiſtolares pauperis: loculos eburneos diuitis,ligneos pauperis: atque ita deinceps in plærisque omnibus: quod ſi interdum plura lemmata vnius ſortis continuentur, ſubijciuntur tamen diuerſa, alternanturque diuitum & pauperum ſortes.Etſi autem quincuplices,quæ πενταπλυχα Græci vocant, vt duplices διπλυχα, triplices τριπλυχα, cerati honorem ſummum interdum nuntiabant, vt triumphum: tamen in pretioſis non numerabantur,cùm tabellæ eſſent ligneæ ceratæ,non eburneæ aut citreæ.

Non ſum talorum numero par teſſera,

Mart lib. 14. epig.15. dicit Martialis,quia tribus talis & ſæpius quatuor,duabus teſſeris ludebatur.vnde mox ſcribit Martialis,

Hic

Hic mihi biſſeno numeratur teſſera puncto. Mart.ibid. epig.17.

Nam in tabula luſoria ludebatur teſſeris, ludebatur & calculis, id eſt latrunculis,& quod malè ceciderat caſu teſſeræ,arte corrigendum erat.

Tænia,autem,*ne madidos violet bombicina crines* Mart.ibid. epig.24.

legendum eſt.non vt euulgatum eſt perperam improboque ſenſu.

Cauſtica Teutonicos accendit ſpuma capillos: Mart.ibid. epig.26.

id eſt rutilat & ruffat. ſapone enim ad ruffandos crines vtebantur: rutilus autem color igneus & ardens videtur eſſe. Mattiacas autem pilas interpretor ſaponis etiam quoddam vile genus. ſapo Gallorum erat inuẽtum, & Gallicus probabatur, idcirco Trallianus ſcribit, ὁ γαλλικὸς σάπωνος ἀγαλύσας ἐν τῷ χύλῳ. apud Germanos maximo in vſu erat, vt Plinius ſcribit, cùm eo etiam viri crines rutilarent.Venabulum diuitis eſt, culter venatorius,pauperis.parazonium itidem diuitis,cùm dignum ſit cingere tribunitium latus: pauperis pugio. quis non videt etiam diuitis eſſe lucernam, candelam pauperis,& lucernam polymyxam itidem diuitis,cereum pauperis? ſic pauperis eſt candelabrum ligneum,Corinthium diuitis.

Mart.ibid. epig.27. Trallianus. Plin.lib.28 cap.12. Mart.lib.14. epig.30. Mart.ibid. epig.32.

Hæc rapit Antæi velox in puluere draucus:
Grandia qui vano colla labore facit. Mart.ibid. epig.48.

De Phæninda, id eſt de harpaſto hoc ſcribitur. quidam credunt non tam draucum Antæi dici debere, quàm poſita diſtinctiuncula ad Antæi, id ad colla referendum eſſe,quale illud Iuuenalis eſt, —*ceruicibus æquat*

Herculis Antæum procul à tellure tenentis. Iuuen.ſat.33

Sed hic videtur epigrammatum obſcœna licentia dici draucus Antęi,velut eius ſubactor hominis, qui cùm mollis ſit, fortis videri velit, & vano labore fruſtraque collum procerum facere conetur in eo luſu, vt Herculeſ, cùm Antæum lucta deuicit. Draucus igitur eſt fortis & validus vir, quem prætexrata inuerecundaque & canina oratione draucum Antæi appellat,id eſt ſubactorem.

Quædam in Martiale declarata, Thais amica fuit, puſula, tomentum circenſe,non alienus eques.
CAPVT XXIIII.

IN lemmate Martialis, quod ientacula inſcriptum eſt, reperio in veteribus libris, adipata,quibus fortaſſe, vt vnctis & ganeatis cibis vtebantur olim in ientaculo. neſcio quid huius generis etiam legiſſe Domitius videtur.ſed & in alio,craticula,abſque veru, quod tamen excuſum paſſim eſt.reperio & cor bubulũ,non corculum,vt in Aldino. Cùm autẽ ſcribit,

Mart. lib. 15. epig.vlt. Mart.ibid. epig.221. Mart.ibid. epig.219. Mart ibid. epig.214

Non erit in turba quiſquam μισούμβρος iſta:

Sed

Sed poterit quiuis esse δισεξάποδος.

sententiam esse suspicor, tam formosi & amabiles sunt pueri isti comœdi, tamque vix ex animo eorum desiderium deponi potest, quòd vehementer penitusque medullis inhæreat, vt si μισούμβνος, id est persona eius qui inuisus sit, agẽda sit, vt vsuuenire solet in comœdijs, non sit in turba quisquam, qui eam agere possit: sed qui personã δισεξαπόδος possit: hocque eo venustius & facetius est, quòd his nominibus erant Menandri comœdiæ: disexapothi quidem Fulgentius libro tertio his verbis meminit: *Nam & Menander similiter in disexapotho comœdia ita ait*: μισουμένος Alciphron, εἴτε θαΐδας, εἴτε μισούμβνον, εἴτε θρασυλέοντα, εἴτε ἑταιρέποντας. non tantùm, inquit, est ars coqui seruire palato & gustui, verùm etiam scire quæ quis libenter voret, & quibus gulam vel profundam libenter expleat: quædam enim gustu suauia, tamen vltra vnam & alteram bucceam non attingimus, & dulces mattyas degustamus potius, quàm auidè ligurimus. non igitur tãtùm quæ iuuant palatum, sed quibus se libenter obsaturant domini, coquus scire debet. id enim est quod Martialis scribit,

Fulgent lib. 3. Mythолog.

Mart. lib. 14. epig. 220.

Non satis est ars sola coquo seruire palato:
Nam coquus domini debet habere gulam.

Legi tamen in veteri libro,

Non satis est ars sola coquo: seruire palato,
Atque coquus domini debet habere gulam:

vt culinariam artem non satis esse coquo dicat, nisi accedat eo vt palatum domini & gulam teneat, sciatque quibus delectetur.

Mart. eod. lib. epig. 213.

Hæc quæ sæpe solet vinci, quæ vincere rarò:

Parmularij quòd breue scutum haberent, nec satis tecti essent, in amphitheatri commissionibus persæpe vincebantur, rarò vincebant.

Mart. eod. lib. epig. 187.

Nec Glycere, verè Thais amica fuit,

sic interpretor. Glycere erat Menandri poëtæ amica, quòd ex Glyceræ Græcis ad eum epistolis, quæ hodieque extant, cognoscimus. Thais tamen ab eo sic in comœdijs introducta frequenter & celebris reddita est, vt ipsa videatur non Glycere Menandri amica fuisse.

Mart. eod. lib. epig. 167.

Feruida ne trito tibi pollice pulsula surgat,

Cùm in editionibus publicatur, næuo deformatur elegans poëta. pusula enim legi debet. qui enim nudis digitis, & absque plectro citharam pulsat, sæpenumero digitum oblædit, qui & pustula surgente, quæ & pusula dicitur, intumescit & dolet.

Mart. eod. lib. epig. 160.

Tomentum concisa palus circense vocatur:

Intelligit arundinis panniculas, quas pauperes pro tomento culcitrarum emebant. circense autem tomentum hoc vocabatur, quòd fortasse initio circensibus

circensibus spectaculis sibi substernere solerent. Strabo de hoc tomento sic scribit, Τύφη τὲ ἡ πάπυρος ἀνθήλη τε πολλὴ καθαιρομίζεται πολεμοῖς εἰς τὰ ῥώμια. Strabo lib. 5. Geogr.

Nobilius villosa tegant tibi lintea citrum:
Orbibus in nostris circulus esse potest.

Mart. lib. 14. epig. 238.

Mantilibus, inquit, tibi villosis & gausapa opus est, vt nobilis tua citrea mensa vindicetur ab inquinamento maculæ: mea vilis mensa, quæ maculam non reformidat, & in qua potest esse circulus rotũdaque labes, quam repositoria & paropsides sæpe faciunt, nihil indiget vindice mantili.

Antè frequens, sed nunc rarus nos donat amicus:
Fœlix cui comes est non alienus eques.

Mart. eod. lib. epig. 122.

Antè dicit solitos esse diuites multis censum equestrem supplere, annulosque aureos dare, qui equitum erant gestamina, quod ætate sua rarum queritur: veruntamen fœlicem dicit, qui comitem habet equitem, non alienum sed suum, id est quem ipse sua liberalitate equestri censu donato equitem fecerit. —*sed nasus longior ille fuit.* Mart. eod. lib. epig. 96.

Puto dictum, in hunc sensum, cùm haberet nasos aliquot calix, vnum aliquem ex his curtatum imminutumque fuisse: Iuuenalis,

Tu Beneuentani sutoris nomen habentem,
Siccabis, calicem nasorum quattuor.

Iuuen. sat. 5.

Atarnites, parum stabile carmen apud Ouidium, Lycorides.

CAPVT XXV.

CARMEN in Ibin, vt vltro Ouidius ipse fatetur, plurimum habet noctis, inuolutumque est historijs cæcis: in his hanc numerauerim,

Aut vt Acharnides insutus pelle iuuenci
Turpiter ad dominum præda ferare tuum.

Ouid. in Ibin.

Sed prior mihi versus næuosus videtur, legendumque crediderim, *Aut vt Atarnites*. nam de Hermia Atarnæ tyranno intelligitur Aristotelis necessario & percharo, quod & annotatũ à vetere interprete fuerat, cuius scrinia alij interpretes compilarunt, & scripta, etsi mẽdosa, vnde tamen multa odorari poteramus, suppresserunt. Hermiam, qui à rege Persarum, id est domino defecerat, Mentor dux regis Persarum circumuenit, vt Diodorus lib. 16. scribit, in potestatemque redegit. Epigramma Aristotelis à rege Persarum interfectum cõqueritur perfidia deceptum. quòd si quis Acharnides defendat, is fuerit Hermias Acharni filius: sed illud alterum prætulerim. verùm nos cæcas historias alijs relinquimus. vt in velitatione, minore contentione nos vtimur, & alia quædam minora quærimus: vt,

Diod. lib. 16. Diogen. Laërt. lib. 5. in Aristot.

Quique

Ouid. in Ibin. *Quíque tenet pontem, qui tibi maior erit,*

videbatur enim dicendum, qui te maior erit, sed significat, qui in tuis maioribus numerabitur, vt tu in eius minoribus: vel potius, qui iudicio tuo in maioribus numerabitur, & quem præ te magnum dices, quamuis alijs sit infimus & abiectissimus. His ego nunc contentus sum, quæ minus obscuriratis habent. nam multis nondum satis intellectis opus esset maiore labore, vel potius ærumna: nos autem licet laborioſos & ærumnoſos aliquis non putet.

Ouid. ibid. *Comicus vt liquidis periit, dum nabat in vndis.*

Hunc versum de Menandro intelligit vetus interpres, vt aliorum relatione cognoscimus. Nam illum interpretem desideramus: qui comicum Athenienſem dum in Piræi portu nataret submersum fuisse dicit, de quo & à Callimacho epigramma scriptum fuisse: sed quid vetat de Eupolide intelligere, quem constat bello Peloponnesiaco in Hellesponto naufragio perijsse ex Suidæ collectaneis. Ita posteaquam in vndas cecidit depressa vel fracta naui, natando interijt.

Suidas.

Ouid. ibid. *Vtque parum stabili qui carmine læsit Athenas.*

videtur de Hipponacte hoc intelligi, qui claudicãte & parum stabili versu, id est scazonte, in Bupalum & Athenin inuectus est Athenienses: quo in carmine ne Athenis quidem pepercerat, quid tamen si pro *Athenas*, *Athenin* scribamus? quem ab eo probris oneratum accepimus. ne hanc quidem lectionem improbarem: etsi alteram delere non ausim.

Ouid. ibid. *Stella Lycoridæ cùm fuit æqua viro.*

proculdubio de Simonide locus est explicãdus, quem Lycoridem virum, vt opinor, vocat, vt & melicum poëtam, & Apollineum. nam vt Amphrysia vates Sibylla dicitur, quia ad Amphrysum pauerat pecus Apollo: quidni & ab Apolline, qui λυκωρεὺς vocatur, vt apud Callimachum, λυκωρέος ἔντεα φόιβου. Lycorides dicatur? fortasse etiam à Lycoreo, qui Delphis vicum condidit, genus ducebat, quod & verius puto.

Callimach. in Apoll. hymno.

Spumare in herbas, lauatio matris deûm, dij genitales, somni cornu & virga. CAPVT XXVI.

Lucan. lib. 6. Apuleius. DONEC *Theſſalicas despumet succus in herbas,*

in veneficio & incantatione versus Lucani est: Sed & Apuleius Lunam despumari dixit. opinor stultas quasdam veterum animis incessisse de veneficijs opiniones: credebant enim à veneficis herbas legentibus lunam deripi de cœlo, cogique eam in herbas spumare & saliuam quãdam suam spargere, vt eius saliuæ spuma venenatius earum esset virus & efficacius: tale

tale quiddam suspicari necesse est, vt ex illis conijcere locis licet. Ex qua opinione dixisse Valerium Flaccum censeo, quod & antè attigimus,

Contra Tartareis Colchis spumare venenis,
Cunctaque Lethæi quassare silentia rami. Iterum,
Quamuis Athracio lunam spumare veneno Sciret.

Valer. Flac. li. 8. Argon.

Valer. Flac. li. 8.

Galli sacerdotes matris Idææ sese cruentabant ad Phrygios modos, vt Ouidius scribit:

Attonitúsque feces, vt quos Cybeleïa mater
Incitat, ad Phrygios vilia membra modos. Iterum,
Cedunt iactatis vilia membra comis.

Ouid. in Ibin.

Id Aprili mense Megalensibus faciebant vsque dum in Almone matrem Idæam lauissent: tum enim dea depositò squalore & sordibus hilaris videbatur, & ipsi eandem concipiebant lætitiam. Valerius Flaccus,

Sic vbi Mygdonios planctus sacer abluit Almo,
Lætaque iam Cybele, festæque per oppida thedæ:
Quis modo iam sæuos adytis fluxisse cruores
Cogitet? aut ipsi qui iam meminere ministri?

Val. Flac. lib. 8. Argon.

Id autem cùm fiebat, lauatio deûm matris dicebatur: Arnobius, *Lauatio, inquit, deûm matris est hodie*. Sed nos hoc toto capite vagamur & erramus, vt soliuagæ feræ. Quod igitur est apud Ciceronem prima Tusculana ex Ennio, *ex hac opinione famæ assentiens scripsit Ennius*,

Arnob. lib. 7. aduers. Gent. Cic. 1. Tuscul.

Romulus in cœlo cum dijs agit æuum:

quod apud eum curtum mutilumque est carmen, integrum profertur à Seruio libro sexto Æneidos,

Romulus in cœlo cùm dijs genitalibus æuum Degit.

Seruius. in 6. Virgil.

Dij autẽ genitales, in eo Ennij versu videtur esse quibusdam dij geniti, id est indigetes, qui homines fuerũt. Nam genitale, quod & genitabile dicitur, non tantùm actionis est, vt genitales causæ, sed & perpessionis interdum, vt *Ætheris & terræ genitabile quærere tempus.* id est quo genitus est æther, quo genita terra, atque hoc videtur verbum ab Ennio quodammodo nouatum. Cicero libro tertio de Orat. *sed sæpe vel sine coniunctione verba nouantur, vt, ille Ennius dij genitales*, pro quo, *indigenitalis*, exprimitur ab omnibus editionibus: deos tamen genitales esse puto æternos omnium rerum parentes & auctores, vt alio loco ostendo. scribit libro sexto Æneidos Seruius, somnum solitum esse pingi cum cornu, ex qua consuetudine Valerius Flaccus scripsit,

Apud. Var. 4. de ling. Lat. versus hic citatur ex 21. Lucret. lib. Cic. 3. de Orat. Seruius. in 6. Virgil.

—somne omnipotens, te Colchis ab omni
Orbe voco, inque vnum iubeo nunc ire draconem,
Quæ freta sæpe tuo domui, quæ nubila cornu.

Valer. Flac. li. 8. Argon.

Senec de morte Claud. & Seneca in apocolocynthoſi, *—& obſcuri creſcebant cornua ſomni.* quòd tum creſceret nox. Tribuitur etiam ei virga, vt à Papinio,

Stat. lib. 5. ſilu. 4. *—extremo me tange cacumine virgæ.*

Virg. 5. æneid. Maro ei tribuit ramum Lethæa madidum aqua,

Ecce deus ramum Lethæo rore madentem,
Vique ſoporatum Stygia ſuper vtraque quaſſat Tempora.

Virg 1. Georg. Apud Maronem, *—& cereale papauer Tempus humo tegere* cùm ſcribitur, papauer ea attributione exornatur, quòd ſimulachra Cereris manu papauer geſtare ſolebãt: ſed & eius antiſtitę, cùm Cereri ſacrum eſſet. Callimachus γέντο δὲ χειρὶ Στέμματα ϗ μάκωνα. alias afferunt interpretes cauſas, quas comminiſcuntur. ego ſacrum Cereri libenti animo interpreter.

Callim. in Cereris hymno.

Venus marina, arbiter Adriæ, corripere gradum, Venus choros ducit imminente luna, Fauno immolare, Plutonis domus exilis.

CAPVT XXVII.

QVISPIAM locum non putabit fuiſſe inuocandæ Veneri fortaſſe in nauigatione, cùm tamen Horatius ita ſcribat,

Horat. lib. 1. od. 3. *Sic te diua potens Cypri:*

cùm ea potius amorum fœdera, quàm nauigationum pericula curet, ſed vt in verſu eſt, *—Venus orta mari mare præſtat eunti:*

Ouid. epiſt. Sapp. Ithaeni. & Venus cognomento marina colebatur: Horatius,

Horat. lib. 3. od. 26. *Læuum marinæ qui Veneris latus:*

Pauſan. lib. 2. & Venus Põtia cognominata apud Pauſaniam legitur. Quod autem Notum arbitrum Adriæ dicit, id ex eo facit, vt reor, quòd Auſtro flãte, vt Ariſtoteles ſcribit in naturalibus quæſtionibus, maiores concitantur in mari fluctus. Nam velut ex imo oriatur attollit vndas, quas ex alto ingruẽs premit Aquilo. At verò mortis gradus, eius eſt ingreſſio acceſſus & aduentus, qui interdum formidabilior eſt & truculentior, interdum clemẽtior: ſed qui nauigationi ſe commiſit, & mare turgidum tentauit, nullum mortis quantumuis immanem impetum videtur reformidare. At verò corripere gradum, eſt gradũ raptim facere & carpere: vt, *corripuêre viam interea*: & *corripiunt ſpatia*. *Iam Cytheræa choros ducit Venus imminẽte luna*, cùm dicit, ad id reſpexit, quòd Venerem vere reuerti cenſebant: Lucretius,

Horat. lib. 1. od. 4. Lucret. lib. 5. *—it Venus, & Veneris prænuntius ante*
Pennatus zephyrus.

Imminente autem luna, quod eſt ex cœlo illuceſcente, præſultrix Venus choros ducit: quia noctu remotis arbitris terra grata numinibus eſt, cùm cerni nolint: *cùm ſuperis terrena placent*, inquit Papinius.

Aristot. in natur. quæſt. Horat. lib. 1. od. 3. Virg. 1. æneid. Virg. 6. æneid. Horat. lib. 1. od. 4. Lucret. lib. 5. Stat. lib. 1. Silu. 1.

Nunc

Nunc & in vmbroſis Fauno decet immolare lucis

Horat. lib. 1. od. 4. ait ex conſuetudine antiquorum, qui Fauno rem diuinam faciebant, & ouilia luſtrabant veris initio, antequam pecus, quod hiberno tempore in ſeptis villæ ſtabulatum erat, in agros pabulatum educerent. Calphurnius,

Calphur. eclo. 5. *—tu ceſſite viuo*
Pone focum, geniumque loci Faunumque larémque
Salſo farre voca: tepidos tunc hoſtia cultros
Imbuat, atque etiam dum viuit ouilia luſtra.

Horat. lib. 1. od. 4. Iam illud, æquo pulſat pede, eſt æquè ingreditur: nam fores pulſare ſolemus, vt aperiantur, & domos ingrediamur: vnde tranſlatio ſumpta. Cur dicitur domus exilis Plutonia? nempe quòd inanis & vacua ſit, vt apud Maronem, *Pérque domos Ditis vacuas & inania regna,* Sic & Flaccus alio loco,

Horat. ibid. Virg. 6. æneid. *Exilis domus eſt, cui non & multa ſuperſunt.* Illud autem,

Horat. lib. 1. epiſt. 6. *Qui te nunc fruitur credulus aurea,*

Horat. lib. 1. od. 5. valet, qui te fruitur chariſſima ſibi, multumque amabili & optata, & ſibi inſtar auri cupita, vt longè chariſſimum hominibus aurum eſt, nullumque pluris eſt metallum. Sic auream mediocritatem dixit, quòd ea hominibus chariſſima optatiſſima & pretioſiſſima eſſe debeat, & tanti æſtimanda, quanti eſt aurum, vt & reuera nonnullis eſt expetenda maximè. Liquidos autem odores vnguenta vocat, ad diapaſmatum diſcrimen, quæ odorata quidem, non tamen liquida, ſed ſicca ſunt. Sed quis vnum aſſem iſtis interpretatiunculis ponere velit? has tamen minutias exemplo Grammaticorum cõſector, & aduerſus vituperatores ſatis eorum exemplo tutus eſſe poſſum: nec fumos venditare poſſum videri, qui mercem meam æquo ferè pretio æſtimo, neque pluris quàm eſt facio.

Horat. lib. 2. od. 2. Horat. lib. 2. od. 5. Horat. lib. 2. ſat. 3. Horat. lib. 1. epiſt. 1. Catull. epig. 7.

Inuidia, Faſcinus deus, depellentia faſcinum, oculus inuidus, Cunina.

CAPVT XXVIII.

INVIDIÆ magnam vim ad nocendum antiqui putabant, cùm eam ſola voluntate, & ipſo afflatu & contagione maleficã & venenatam eſſe, & hominibus quibus malè vellet, obeſſe grauiter cenſerent: hinc illa Horatij, *Inuidiam placare paras virtute relicta?* Leniendum enim & demulcendum hoc vitium quòd crederent, ita loquutus eſt. Rurſum,

Non iſtic obliquo oculo mea commoda quiſquam
Limat, non odio obſcuro morſuque venenat.

Catullus baſia conturbat, ne quis malus inuidere poſſit, & ne mala faſci-

nare lingua. discidium sibi euenisse quadã suspicatur inuidia Propertius,

Propert. lib. 1. eleg. 11. *Inuidiæ fuimus, an me deus obruit, an quæ*
Lecta Prometheis diuidit herba iugis?

Commemorat rerum gestarum Augusti magnitudinem Maro tantam esse, vt inuidia suum liuorem in eas non sit ausura expromere.

Virg. 3. Georg. *Inuidia infelix furias amnémque seuerum*
Cocyti metuet.

Varr. 6. de ling. Lat. Sed & ad eam repellendam de collo puerorum suspendebant amuleta. Varro, *Pueris turpicula res in collo quædam suspenditur, ne quid obsit, bonæ scæuæ causa.* hinc fascinum vocatur pudendum virile, quòd fascinum depel- leret: est enim ea turpicula res, quæ de collo puerorũ suspendebatur. Sed

Plin lib. 24. cap. 4. & Fascinus erat deus eius depulsor: *& Fascinus*, inquit Plinius, *Imperatorũ quoque non solum infantium custos, qui deus inter sacra Romana à Vestalibus colitur, & currus triumphantium sub his pendens defendit medicus inuidiæ, iubétque eosdem recipere.* hortos & fores contra inuidentium effascinationes

Plin. lib. 19. cap. 4. dicare, vt Plinius refert, solebant, & in remedio erant satyrica signa: etiam satyrion inuidiam depellebat. Nam quæ turpia erant & ridicula, ad auertendam illam pestem accommodata credebantur, obtutu & aspectu inuidentium ex obscœnitate & miraculo turpitudinis auocatis, vt refert Plu-

Plutarchus. tarchus: nocebat autẽ teneris fascinus magis quàm puberibus: hinc Maro,

Virg. eclog. 3. *Nescio quis teneros oculus mihi fascinat agnos.*

facilius enim mali sensus & noxa oculo transmittebatur, quem ὀφθαλμὸν

Plutarchus. Alex. phrod. Aliphron. Plin. li. 7. c. 2. βάσκανον Plutarchus appellat, causamq; & ipse & Alexander Aphrodiseus quærunt, scriptumque est ab Alciphrone, δυσμενὴς γὰ βάσκανος ὁ τῶν γειτόνων ὀφθαλμὸς, φησὶν ἡ παροιμία. In Africa teste Plinio familiæ erant effascinatium, quarum laudatione interibant probata, arescebant arbores, emoriebantur infantes: vnde illud Maronianum,

Virg eclog. 7. *Aut si vltra placitum laudarit, baccare frontem*
Cingite, ne vati noceat mala lingua futuro.

Plin. ibid. Erant in Triballis & Illyrijs qui visu effascinabant, & interimebant, quos diutius intuebantur iratis præcipuè oculis: eosque binas pupillas in singulis oculis habuisse dicunt In Ponto quoque erant Thebij eiusdem naturæ: sic enim in Plinio legendum & Plutarcho auctore & Stephano, qui

Plin. ibid. Plutarchus. Stephan. de vrbib. de his ita scribit, θήβιος ὡς ἀπὸ Θήβης εὐθείας. ἔστι δὲ ἔθνος βασκανικὸν γὰ φθορο- ποιόν. φασὶ δὲ τὸ πνεῦμα αὐτῶν οἷς ἂν πλησιάζῃ, γὰ τὰ σώματα αὐτῶν ῥιφείσα εἰς θάλασσαν ἡσυχάζειν. Cunina etiam dea fascinum depellebat: Lactantius, *Et*

Lactant. lib. 1. Instit. cap. 20. *Cunina, quæ infantes in cunis tuetur, ac fascinum submouet*: etiam monilia cõ-

Grat. de Ven. in canum. remedus. serta sacris conchis, & lucifugę meles, & viui lapides cum coralijs iuncti, & herbæ magico cantu adiutæ, vt inquit Gratius, ad depellendum fasci-

num prosunt.

Nam

Nam sic offectus, oculíque venena maligni
Vicit tutela pax impetrata deorum.

Cantor apud Horatium, omen parræ canentis.

CAPVT XXIX.

QVIS ille obsecro apud Flaccum cantor est, qui dicit, plaudite: sic enim scribitur, *—donec cantor vos plaudite dicat.* Horat. de art. poëtic. quid? erat illud cantico aliquo dicendum? & non videtur sanè debuisse dimitti populus vnius vocis modulatione. Denique *dicat* dicit non cantet, cui æquè liber erat in versum aditus: sed nugamur & stulti sumus, qui sic argutamur & ratiocinamur. quin vno expedimus verbo potius cantorem hic histrionem esse, vel actorem fabulæ: neque nostra interpretatio ista erit, vt nobis præstandum sit eius vitium, sed antiqui poëtæ Prudentij, qui in eam sententiam accepisse videtur, cùm scribit:

Vt tragicus cantor ligno tegit ora cauato, Prudent. li. 2. contra Symmach.
Grande aliquod cuius per hiatum crimen anhelet.

Quærẽdum etiam esse visum est, cur Flaccus inauspicatum cantum parræ dicat, cùm canit: *Impios parræ recinentis omen Ducat.* Horat. lib. 3. od. 27.
Quod & Prudentius æquè scribit, Prudent. ibid.

Cur Cremeræ in campis cornice vel oscine parta
Nemo deũm monuit perituros Marte sinistro
Tercentum Fabios?

Ego eam fuisse superstitiosam veterũ opinionem crediderim, quòd eius auis sit iniucũdissimus cantus, vt in oscinibus augurij sit ideo infausti: cantus autem insuauitatem & propè diritatem eius auis satis indicarit versus iste Ausonij, *Si confers fulicas cygnis, & aëdona parræ.* Auson. epist. 14.
Cantus quoque cornicis iniucundè crocitantis malum auspicium erat aliquid incipienti, malumque portendebat,

Sæpe, inquit Maro, *sinistra caua prædixit ab ilice cornix.* Virg. eclog. 8.
erat etiam cantus eius faustus & auspicatus: vt,

Tarpeio quondam quæ sedit culmine cornix,
Est bene non potuit dicere, dixit erit. Suet. in Domit. cap. 23.

Cornix quoque & parra apud Plautum secunda sunt auspicia, non tamen cantu, sed loco: *Picus*, inquit, *cornix est ab læua, coruus parra ab dextera: con-* Plaut. Asin. Sc. Hercle vero Litane.
suadent.

Soccus, pigri, Venus, noster Mars, sui dij.

CAPVT XXX.

VT cothurnus, sic & soccus Romanũ non videtur fuisse calceamentum, sed Grẽcum: vtroque autem Romani vtebantur in palliatis comœ-

dijs & tragœdijs. Itaque homini dabatur vitio ſoccum geſtaſſe: atque vna etiam hæc nota Caïo principi inuritur, vt in exoticum alienumque cultum, & hominibus Romanis inſolitum demigrãti: vnde à Seneca ſcribitur, *Qui excuſant eum, negant id inſolentiæ cauſa factum: aiunt ſocculum auratum, imò aureum margaritis diſtinctum oſtendere eum voluiſſe.* & apertius, *parum enim fœdè furioſèque inſolens fuerat, qui de capite conſularis viri ſoccatus audiebat, niſi in os Senatoris ingeſſiſſet Imperator pigros ſuos.* Indignum facinus videri vult Seneca ſediſſe in iudicio calceatum ſoccis Imperatorẽ, vt non vſitatis publicè, nec forenſibus, ſed alienigenis, & domi, vt & ſyntheſis ſolebat, ſumendis: ſed nec fortaſſe tam exterum calceamentum intellexit & reprehendit Seneca, quàm parum virile muliebreque. Socci enim Romæ mulierum videntur fuiſſe. Suetonius in Vitellio, *à Meſſalina petijt vt ſibi pedes præberet excalceandos, detractúmq; ſocculum dextrum inter togam tunicáſq; geſtauit aſsiduè.* Illud animaduertendũ, quos appellet pigros Seneca: & mihi videtur ioculari vocabulo pedes appellare. Cùm enim illi quocunque nos ferant, in deſidibus & pigris officio videntur deeſſe ſuo quadam ignauia, & pigri pigros & ſegnes reddere, vt in ſtrenuis & gnauis contra videtur gnaui & ſtrenui eſſe & prompti ac parati ad viam. Eodem è libro didicimus, Venerem non tantùm amoribus præeſſe exiſtimatam fuiſſe, ſed etiam hominum cõmendationi & conciliationi, vt facilius aliquid impetrarent ab aliquo, & in amicitiam influerent, & gratiam emererentur. *Ille*, inquit, *non eſt mihi par virtutibus nec officijs, ſed habuit ſuam Venerem*, hoc valet, ſed ei fauit Venus, quæ gratiam quãdam ei commodauit qua placuit, & facilè beneficium impetrauit: vt & apud Flaccum,

Et bene nummatum decorat Suadela Venúſque.

Sunt enim hæc duarum dearum nomina, quæ facilè homines, quibus fauent, ſuis muneribus beneuolẽtiæ & amicitiæ aliorum tradunt. quiſpiam explicabit fortaſſe, ſuam venerem, ſuam venuſtatem & gratiam, neque præterea quicquam eſſe quærendum putabit: quam interpretationem, vt non condemno, ita alteram meliorem puto. dij enim noſtri dicuntur eſſe, qui nobis fauent: vt apud Maronem,

Sin noſtrum annuerit nobis victoria Martem. Et,

—nec dij texêre Cupentum Æneа veniente ſui.

qui ſcilicet ei propitij erant fauebantque.

Suet. in Calig. cap. 52.
Senec. 2. de benefic. c. 12.
Senec. ibid.
Suet. in Vitel. cap. 2.
Senec. lib. 2. de benefic. ca. 28.
Horat. lib. 1. epiſt. 6.
Virg. 12. ænei.

Cupreſſum ſimulare, ponere, cinctutus, iambus, Horatius explicatus.

CAPVT XXXI.

FORTASSE *cupreſſum ſcis ſimulare*, in aliam ſentẽtiam ab Horatio dictum interpretor, & fortaſſe fallor, quàm interpretes: cùm putem ab eo ſignificari

Horat. de art. poëtic.

ſignificari malum & rudem pictorem, qui tabulam depingere non poſſit, ſed tantum parerga, quæ rudimenta erant artem pingendi diſcentibus & ornamẽta tabularum, delineare. eis perſimiles ſunt, qui magnum carmen condere inſtituunt, cùm tamen deſcriptiones tantùm amœnas fluuiorum & nemorum, poëtices initia & progymnaſmata explicare poſſint, quas idcirco non ſuo loco adhibent, & poëma fucant & adulterant intempeſtiuis ornamentis. Tale illud eſt Perſianum,

Ecce modo heroas ſenſus afferre videmus
Nugari ſolitos Græcè, nec ponere lucum
Artifices, nec rus ſaturum laudare.

Quia ponere totum neſciet, more Græco dixit, pro facere. Nam in eo ſenſu ſæpenumero τιθέναι ab Homero vſurpatur. Sic alio loco Flaccus,

Soleis nunc hominem ponere nunc deum:

id eſt, facere. Cinctutos autem Cethegos, veteres intelligo. Nam veteres cinctu vti loco tunicæ ſolebãt, qui ætate Horatij exoleuerat, eratque veſtis infra pectus corpus comprehendens ſimilis ſubligaculo: Græcè Ζῶμα & Ζῶσμα dicitur, quo nomine Græcè etiam tunica intelligitur. vt autem cinctus erat virorum, ſic cincticulus puerorum. Plautus Bacchid.

Cincticulo præcinctus in ſella apud magiſtrum aſsideres.

Cethegos autem ait, propter Cethegum oratorem antiquũ, quem Ennius ſuadæ medullam eximia laudis abundantia appellauit. At verò, *Signatum præſente nota producere nomen*, vocabulum eſt innouare, ea tanquam forma monetæ percuſſum, quæ in vſu eſt: vt cùm armatura diceretur ab armo, vectura à veho, Terentius curaturam eadem forma dixit à curo: Plautus curſuram à curro: atque hoc eſt ſignare & cudere velut nummum vſitata & recepta forma. *Auctor*, autem, *promiſſi carminis*, poëta eſt, qui initio ſui carminis profitetur, promittitque ſe poëma ſcripturum, vt Maro,

Arma virúmque cano: Et infra apud Flaccum,

Fortunam Priami cantabo, & nobile bellum. ſequitur enim continuò,

Quid dignum tanto feret hic promiſſor hiatu?

Archilochum, autem, *proprio rabies armauit iambo*;

hunc ſenſum cõplectitur, Archilochum, ad maledicta & cõuitia vſum eſſe ſuo iambo, id eſt verſu Iambico Archilochio. Nã ſunt Iambici Hipponactei & Alcaici. Iambum itaq; pro verſu poſuit, vt mox, *hunc ſocci cepêre pedem*, id eſt verſum. eſt & Iambus ecloga aut idyllium aut carmẽ aut poëmatiũ ex iambis: Cicero, *mihi, vt Ariſtophani Archilochi Iambus, ſic epiſtola longiſsima quæque optima videtur* Iambicum autem Archilochium adſciuit comœdia & tragœdia, quòd aptus ſit diuerbijs & colloquijs perſonarũ.

Homerus.
Horat. lib. 4. od. 8.
Plaut. Bacch. Sc. Nunc experiar.
Horat. de arte poëtic.
Terent. Eunu. act. 2. sc. 3.
Plaut. Bacch. Sc. Quid ſi hoc potius eſt.
Horat. ibid.
Virg. 1 æneid.
Horat. ibid.
Cic. 16. ad Att. epiſt. Nonis accepi à te.

LIBRI NONI FINIS.

ADRIANI TVRNEBI ADVERSARIORVM LIBER DECIMVS.

Inanes, ne mihi Polydamas, iecur, fibra, in vdo est mænas.

CAPVT I.

INANES à Latinis plerunque intelliguntur homines ieiuni animi & laudis ambitiosi & honoris cupidi: quòd enim ijs carere videantur & vacui esse, auidè quo carent consectari putantur. Nam si laude & gloria satiati pleniq́ue essent, non tanto ad eam animi sitim explendam studio raperẽtur. Tacitus, *Dein postquam inanem animum spe & cupidine impleuerat*. hîc inanis est, qui auidus & cupidus est. Et Horatius de his qui poëmatum recitatione gloriam quęrunt, *inanes hoc iuuat*. Et Persius de ijs qui scribenda oratione soluta, aut condendo carmine famam ingenij stultè ambiunt, aut ineptè eloquentiæ & eruditionis nomen captant, & à vera laudis via aberrant.

Corn. Tacit.

Horat. lib. 1. sat. 4.

—ô quantum est in rebus inane.

Pers. sat. 1.

ac mediusfidius vt vtrumque poëtam declararem, id de inani subijt perstringere. Cæterùm apud posteriorẽ, *Ne mihi Pulydamus & Troiades Labeonem Prætulerint*. sumptum est ex Homero, apud quem Hector Troianarum mulierum & Polydamantis reprehensionen sese vereri dicit.

Pers. sat. 1.

Pers. ibid.

Homer. Iliad. 22.

Α'ιδέομαι τρῶας καὶ τρῳάδας ἑλκεσιπέπλους,
Πᾳλυδάμας μοι πρῶτος ἐλεγχείῃ ἀνᾳήσει.

quod elegãter per parodiam vsurpauit Persius, quæ tamen intercidit gratia, quo allusum sit ignoranti. idem *—rupto iecore exerit caprificus*, eleganter & perfacetè dixit: vt erumpere solent è parietinarum & monumentorum veterum commissuris steriles ficus. Iecur porrò dixit, quòd in eo etiam, non tantùm in corde, sensa animi collocata & affectus crederent: eamq́ue animi sedem domiciliumq́ue existimarent. Ideo dixit alio loco,

Pers. ibid.

—neque enim mihi cornea fibra est: &, *Quod latet arcana non enarrabile fibra*:

Pers. sat. 5.

& in epigrãmate lepido scribitur, *En cor Zenodoti, en iecur Cratetis*. *Iratũ*,

Pers. sat. 1.

autem, *Eupolidem prægrandi cum sene palles*, audacter dictum est pallere Eupolidem,

polidem, vt si diceres pallere pallorem, quod est qui palles, quòd tam impensè illis poëtis operam impenderis, vt decolorem contraxeris insano labore vultum: eodem modo, sed alio sensu dixit Horatius, *—& scatentem Belluis pontum mediásq; fraudes Palluit audax*, pro timuit: *—summa porrò delumbe saliua Hoc natat in labris, & in vdo est Mænas & Atys*, cùm ait, mollem & teneram cum affectatione pronuntiationem, & liquatam delicatamq́ue reprehendit. si enim viriliter pronuntiarent, non primore lingua & labris verba effœminarent molliter expressa, & in summa natantia saliua quæ in primam vsq; linguã exuberat illuc permanãs, sed medio ore firmam conciperẽt & robustam vocem, non fractam & eneruem delumbarent. In vdo est igitur Mænas, id est humida & tenera lingua, quæ saliua & humore scatet, pronuntiatur molliter & teneriter, nec impressione ficci plectri valida signatur & feritur. Mænas quoque & Atys ad argumenta pertinent & materiam carminis mollioris.

Horat. lib 3. od. 27.

Pers. sat. 1.

Masculum thus, mascula Sappho, temperat Archilochi musam, apud Horatium.

CAPVT II.

MASCVLVM thus, quod rotundum est, vt Plinius & Dioscorides scribunt, ab his qui rebus sacris operari ad eblandiendum deorum fauorem omni cura & industria cupiebant, focis sacris adolebatur: sed & ab his qui magico sacro & amatorijs carminibus februationibus & lustrationibus alicuius mẽtem mutare, aut deos placare propensioresq́ue reddere conabantur, vt apud Maronem pharmaceutria facit,

Dioscorid. lib. 1 cap. 70.

Verbenásque, inquit, *adole pingues & mascula thura.*

Virg. eclog. 8.

Et apud Alciphronem sic scribitur, καθαρσίν τινα δεῖ προσελέσαι τὴν γυναῖκα καὶ προσκευᾶσαί τινα ζῶα ἱερεῦσαι, καὶ λιβανωτὸν ἄῤῥενα. καὶ φύρακα μακρὸν, καὶ πέμμαλα σελινώης, καὶ ἄγρια φύλλα τῶν ἀνθρώπων. Plinius autem sic de thure masculo scribit, *Quod ex eo rotunditate guttæ pependit, masculum vocamus, cùm aliâs non ferè mas vocetur vbi non sit fœmina, religioni tributum, ne sexus alter vsurparetur*. Masculum aliqui putant à specie testium dictum. Sappho autem masculam cur Horatius vocet, pauci animaduertũt. non desunt etiam, qui obscœnius interpretẽtur, quod mihi faciendũ non videtur esse. Nã cũ ait,

Alciphron.

Plin. lib. 24. cap. 12.

Temperat Archilochi musam pede mascula Sappho.

Horat. lib. 1. epist. 19.

masculam intelligit, quæ tam audaci & virili animo fuerit, vt de Leucade petra præcipitem dare se ausa sit, quod à Papinio in siluis ita canitur:

—saltúsque ingressa viriles
Non formidata temeraria Leucade Sappho.

Stat. lib. 5. silu.

Atque vt Horatium eo in loco satis obscurum illustremus: vt mihi videtur, ait in Carminum libris se Alcæum & Sappho imitatum esse, in libris

Epodon

Epodon Archilochum, cùm præsertim à Grammaticis liber Epodon Archilochi citetur, & in libro eiusdem nominis Flaccus plurimum Iambicis Archilochijs, & eo genere versuum vtatur, quos frequentasse Archilochum nouimus, & in Epodis vsurpasse Grammatici declarant.

Vehemens, de lapide emptus, lapis, ager prouincialis, fermentum. CAPVT III.

Colum. lib. 3. cap. 1.

LIBRO Columellæ tertio non solita frequentique significatione vehemens in luxuriante exuberanteque ponitur, vt cùm ab eo scribitur, *Terræ densæ vehementem multáque materia frondentem*. Nam ei opponit vitem rari sarmenti. Iterum, *Vnde etiam materiæ vehementissimæ reperiuntur, aut in capite vitis, aut in crure vicino radicibus*. hîc vehementissimas materias dicit luxuriãtes, & maximas, in quibus & prolixissima dixit esse flagella & productissima sarmenta. fortasse etiam non dissimili notione & significatu Horatius dixit de nitido elegantique vsu.

Columel. lib. 3. cap. 10.

Horat. lib. 2. epist. 2.

Vehemens & liquidus puróque similimus amni,

quòd ferax sit & fœcundus in producendis rerum vocabulis, semperque aliquid aduehat, & vt amnis vehemens exundet. nam quod vehementem & liquidum dicit & purum, à fluuio transtulit magnum aquarum limpidarum agmen vehente: quod nonnulli ad poëtam commodius quàm ad vsum referri posse censent, quibus non assentior. Eodem libro, de lapide noxium appellat, seruum de lapide emptum, non frugi bonæ, sed qui noxæ deditus sit, ideoque venditus: verba eius sunt, *vel de lapide noxium posse comparari putat*. Lapis autem locus eminens erat, & tanquam suggestus, vnde præco prædicabat atque vendebat. Pollux, ὁδὲ τόπος, πρατὴρ λίθος ὑ πωλητήριον. Inde emptos de lapide tribunos vt seruos vænales dixit contumeliosè Cicero: & Plautus,

Columel. lib. 3. cap. 3.

Iul. Pollux lib. 3. cap. 25.

Cic. in Pison.

Plaut. Bacch. Sc. Constringe.

In eo ipso astas lapide, vbi præco prædicat.

sic & Athenienses interdum suggestum vocabant, vt apud Aristophanem, τῷ λίθῳ πρωσέξαμεν. Illud ex eodem libro est obscuræ intelligentiæ, *cùm sola ea res omnem impensam terreni pretio suo liberet, si modò non prouincialis sed Italicus ager*: id autem eò existimo ipsum dicere, quòd Italicus ager nec vectigalis nec tributarius erat: ita fructus solidos & integros sine diminutione & impendio tributi domino reddebat: cùm contra vectigalis esset prouincialis ager, solumque tributarium haberet. vnde decedebat fructui, nec prouentus dominum tantùm ditabat, sed etiam publicanum, & fiscum. Etiam tacitum indictumque præteriri non debet, quid in fermentum cõgerere sibi eodem in libro velit, cùm scribitur, vt, *parum quod supereſt*

Aristophan. Colum. lib. 3. cap. 3.

Colum. lib. 3. cap. 11.

supereſt inferioris soli rastris licet effodere, & in fermentum congerere atque componere. hîc fermentum intelligit, compositum solum laxum solutumque, & vt in libro quarto ait, quodam velut fermento intumescens. At verò Varro solum pedis fermentatum dicit, quod nec durum nec corneum est, sed tumidum & molle. Plinio tellus niue fermẽtescit, quę niue tabescente diluitur & remollescit, putrisque redditur & soluta, quod antè à Theophrasto fuerat dictum: vt à Galeno atra bile terram fermentari, quæ acore suo eam soluit: neque aliud est inquit Columella colere, quàm resoluere & fermentare terram.

Colum. lib. 4. cap. 1.

Varro de re rust. lib. 1. c. 9.

Plin. lib. 17. c. 2.

Theophr.

Galenus.

Colum. lib. 2. cap. 2.

Multigenera, picantium modo apud Plinium quid, & quædam emendata. CAPVT IIII.

CHIROGRAPHA interdum non consentiunt excusis, cùm tamen vtraque probabilia sint, nec falsi insimulari meritò possint: tamen hæc conficta quodammodo emẽdatorum iudicio, illa auctoritate scriptorum niti videntur, vt lib. 11. Naturalis hist. Plinij editiones ita promulgãt, *multa hæc & multigena*. Ita bonis verbis & bono sensu, vt culpare nemo possit. at in ipsis, vt ita dicam, antiquitatis sanctuarijs legimus, *multa hæc & multigenera*, quod qui non probat, illud etiam Plautinum è Captiuis improbet,

Plin. lib. 11. cap. 1.

Multis & multigeneribus est opus tibi.

in his quæ paulò post sequuntur, licet vtraque exemplaria accusare perfidiæ: neque enim placet, *aliquibus verò non tota incisura eas ambiente rugas*: nec, *aliquis verò non tota incisura eam ambiente rugas*. Quid igitur sequimur? nempe vt legamus *aliquis*, vel, quod idem est, *aliquibus verò non tota incisura eam ambiente ruga*. Et mox, *imbricatis flexili vertebris*, quod eo audacius facimus, quia reconditi libri, & *eam* & *flexili* constãter & fideliter exhibent: & qui tractant monumenta vetera, non ignorant sæpe in eis literas primores verborum sequentium, etiam adhærescere vltimis syllabis antegressorum: vt hic, *rugas sed in aluo*. Ille enim sibilus in fine strepit vocabuli ruga arcessitus è coniunctione. Sed ne illud quidem dissimulabitur, in eo quod publicatum est, *in reliquis partibus siccius verius quàm durius*, discrepare stirpem à propagine. Nam stirps hæc est, *in reliquis partibus siccius ferè quàm durius*. hac lectione ab omnibus reiecta lectorem tamen frudare noluimus, si quid ex ea fortè elicere posset: *istius* tamen in libris scriptis est: & animaduerti r cuiu t coniunctum in eis ita effingi non rarò vt st, si quis *hirtius* putet. Multa autem supplementa inculcauêre in duas comprehensiones, vt id quod sentiebant potius exprimerẽt, quàm quod Plinius voluerat: sic enim ediderunt, *Adeò non ad veris initium, vt dixêre, nec,*

Plaut. Captiu. Sc. Aduerte animum.

Plin. lib. 11. cap. 1.

Plin. ibid.

Plin. ibid.

Plin lib. 11. cap. 4.

Plin lib. 11. cap. 8.

nec, vt quisquam in Italia de alueis existimat. ante fabas florentes non exeunt ad opera & labores. Hæc sic reperio in sanctiore instrumento, *adeò non ad veris initium, vt dixêre, nec quisquam in Italia de aluis existimat. ante fabas florentes, exeunt ad opera & labores.* sine controuersia autem legendum esse arbitror, *pissoceros super eam venit picantium modo ceu dilutior cera è vitium populorúmque mitiore gummi*: ac picātium modo interpretor, proinde quasi apes ipsæ fauos picare eo velint: qui autem picāt vāsa, picem diluere solent, vt liquidior inhæresçat lateribus vasorum, quod non faceret, dura si esset. Liquatam autem picem igneque solutam ad picandum imitatur pissoceros, nec tam pix videtur tamen, quàm dilutior cera.

Plin. eod. lib. c. 7.

Acetum mel, Plinius emendatur.

CAPVT V.

NON abs rē nobis est plerūque suspecta fides publicorum librorum, qui eam consarcinant scripturam, quam captus castigatorum excogitare potuit, non auctor prodidit: & cùm est copia librorum conditiuorum, vt ita dicam, eos sæpe consulimus libenter, vt & fecimus, cùm in Plinio ita editum reperissemus: *in omni melle quod per se fluit, vt mustum oleumque, appellaturque acetum, maximè laudabile est.* è quibus hanc retulimus scripturam, *in omni melle quod per se fluit, mustum oleumque appellatur, acetum maximè laudabile est.* acetum autem esse suspicor quod Græci ἀκητὸν dicunt, & optimum Græci grammatici interpretātur: quo in verbo latet notio medicamēti, vt mel illud esse credam, quod exortu nobilis sideris, aut incumbente cœlesti arcu, non sequutis imbribus gignitur dono quodam cœlesti, medicatum & ad plurima mala salutare, vt malis hominum sanandis vim quandam diuini nectaris præstet: vt tamen ipse adscribam, quid de eo loco aliquando sensérim, non acetum legendum, sed Atticum perdiu existimaui, nec piget sententiæ. sequitur mox in editionibus, *æstiuum omne rutilum, vt diebus confectum siccioribus. aptissmum existimatur è thymo*, quis non crederet sincerè & bona fide editiones voce Plinij loquiāt alius sermo in illis libris, quos amanuēses scripsêre, inuenitur. *Est etiam omne rutilum vt siccioribus aptissmum in æstimatus hetuno.* in alijs, *est iam.* equidem miror tam discrepare ab origine sua exemplaria popularia, & qua ratione impulsi sint castigatores, vt somnia sua sequi mallent quàm scripta vetera: quæ etsi falsa sunt, in eis tamen veritas apparet. legendum igitur puto, *etiam omne rutilum: vt vlceribus aptissimum in æstimatu est è thymo.* hoc & ab Aristotele scribitur in animal. historia, & infra à Plinio his verbis, quæ tamen in veteribus libris non reperio. *album mel non fit, quod è thymo est, sed oculis*

Plin. ibid.

Aristot. lib. 9. de hist. anim. cap. 40. Plin. lib. 11. cap. 16.

oculis & vlceribus aptissimum existimatur. etiam eiusdem capitis illud aduertit me, vt oracula, vt sic dixerim, vetustarum bibliothecarum adirem: *huic vindemiæ Attici signum dedêre initiū caprificialem diem Vulcano sacrum.* Parum mihi videtur emendata oratio, nedum elegantia Plinij digna. Reperi autem in bibliothecis antiquis, *dedêre initium caprificiali diem*, vt non dubitanter legendum sit *dedêre initium Africi, alij diem Vulcano sacrum*: significat enim eo tēpore vindemiam illam mellis esse faciēdam, castrandasque aluos, cùm incipit Africus ventus flare.

Plin. li. 11. c. 15.

Inscripti maleficij actio, inscriptæ merces, inscriptum pecus.

CAPVT VI.

APVD declamatores actio quædam proponitur, è qua eorum quædam oriuntur causæ, inscripti maleficij: vt apud Senecam libro 5. Declamationum: *Inscripti maleficij sit actio.* ea vt opinor maleficij erat legibus nominatim diserteque non comprehensi, neque cauti. cuius tamen actio dabatur. Quæ quidem moribus Græcorum videtur cōparata fuisse, non Romanorum: apud quos scholasticum hoc & declamatorium erat, non in Repub. vsitatum: huius rei mentio est apud Hesychium & Suidam, sic enim scribunt, ἄγραφα ἀδικήματα, καὶ ὧν νόμος ὁ γέγραπται. ex his intelligetur nullo negotio iocus & frustratio Senecæ, Cestium declamatorem irridentis, qui se eloquentiorem tamen & disertiorem Cicerone putabat. eum enim ludens Seneca repertum in foro postulauit inscripti maleficij, quæ iure Romano actio prodita nō est. Ille, qui in declamationibus semper versatus esset, in quibus ea actio iactabatur, æstuare & timere cœpit, & foro non assuetus aduocationem postulauit. Ita qui se Cicerone facundiorem putabat, patrono egere visus est, sed verba Senecæ subscribam: *Deinde libuit Ciceroni de Cestio in foro satisfacere: subinde nactus eum in ius ad prætorem voco, & cùm quantum volebam iocorum conuitiorumque effudissem, postulaui vt prætor nomen eius reciperet lege inscripti maleficij. Tanta illi perturbatio fuit, vt aduocationem peteret. Deinde adultum prætori dixi, & ingrati postulaui.* Ecce iterum peruenustè illudit Seneca, qui ingrati postulet ingenuum, cùm ea tamen prodita sit Romano more in libertos ingratos actio: sed fretus inscitia Cestij hominis scholastici, sic impunè iocabatur, cùm ille stuperet, nec quicquam hiscere posset, qui sibi tamen Ciceronem parem esse negare solebat. vt autem inscripta dicebantur quædam maleficia: sic & scripta, quæ nominatim legibus appellata cautaq; erant. Quintil. 1. declam. *Igitur & scriptum maleficium: & aduersus eum cum quo agitur.* Certum significat esse crimen & legum sanctionibus & animad-

Seneca lib. 5. declamat. 1.

Hesychius. Suidas.

Seneca lib. 3. declamat. 1.

Quint. 1. decla.

uersionibus vindicari solitum. Inscriptæ autem merces sunt, quas in portu apud publicanum mercator aut institor non est professus, ideoque in scriptura publicani non sunt perscriptæ, in commissumque incidunt. Lucillius, *facit idem quod illi, qui inscriptum ex portu exportant clanculum, ne portorium dent.* sic & inscriptum pecus dicebatur, quod pascebatur in saltibus publicis, nec in ratione publicani scriptum erat, & lege censoria committebat. Varro, *ne si inscriptum pecus pauerint, lege censoria cõmittant.* Posset aliquis multò plura ex auctoribus exẽpla cõquirere & ijs ista magis illustrare, sed operę peperci meę, satisq; habui, quę occurrebãt vltro, adscribere, & modicè genus loquendi declarare: sic & aliorũ industriæ aliquid relinquetur, & iuuentutis studijs pro mea parte non videbor planè defuisse.

Apud Non. in Portorium.

Varr. de re Rust. lib. 2. c. 1.

Murranus, Ilus, rumpuntur pectora, pro aris & focis, cedet Iulus agris, apud Maronem. CAPVT VII.

LATET apud Maronem in proprijs nominibus interdum multum ingenij, vt libro 12. interfici dicitur Murranus antiqua Regum nobilitate generosus. Nam Murrani reges Latinorum dicebantur, vel quòd murra vnguentisque oblinerentur, vt apud Maronem scribitur,

Vibratos calido ferro murraque madentes:

Virg. 12. æneid.

Nam à murra murranus, vt à minio minianus dicetur: legimus enim Iouem minianum apud Ciceronem minio oblitum, & à phecasijs phecasianum apud satyrographum, pro phecasiato, id est phecasijs calciato: vel quòd oppidis muro clausis & cinctis præessent, vt murrani, quasi murani dicantur, vel potius de nomine Regis alicuius nobilissimi & fortissimi. illi alter mox ex aduersa parte reponitur quadam compensatione, qui velut pari stemmate regioque nomine celebris occiditur, Ilusque ab Ilo Troianorum rege appellatur. Itaque aspirari non debet, sed exiliter tenuiterque proferri. *Ille ruenti Ilo*, non vt editur, *Hilo*. Quod autem ibi scribitur,

Cic. 9. famil. epist. 18.

Iuuen. sat. 3.

Virg. 12. æneid.

—rumpuntur nescia vinci Pectora, ex consequenti anteceſſio accipienda est, vt magna incendi & intumescere ira audiamus, vt inflata pectora, & distensa penè in periculum rumpendi veniant. videtur autem,

Virg. ibid.

—& vanis sese occulat vmbris, quadam reciprocationis abusione dictum esse, cùm de Ænea dici videatur, & ipsum latinitas postulet: sed aliquantò hac in re liberiores fuerunt Latini veteres, etiam Cicero. quod autem legimus plerunque pugnãdum esse pro aris & focis, etsi de aris templorum & priuatis tectis accipiendum plerunque videtur, tamen auctoritatem Maronis sequutus interdum de fanis & delubris exponendum iudico. Nam pars quædam aræ in qua accenditur ignis, focus dicebatur, ceu ignitabulum, & aræ focus imponebatur. vt eodẽ libro, *Craterásque focósque ferunt.* Itaque ijdem propè interdum esse videntur foci & aræ: Maro,

Virg. ibid.

In medióque focos & dijs communibus aras.

Virg. ibid.

sæpe tamen foci pro tectis priuatis intelliguntur: Cicero, *Eijcere aliquem nudum domo atque focis patrijs dijsque penatibus præcipitem exturbare.* Iterum, *focos, deos penates esse subiectos libidini tribunitiæ.* Etiam videtur illud singulari artificio & propè adulatorio excogitatũ, quòd non tam Æneæ quàm Iulo quæri Italia significatur, vt Iuliæ familiæ, quæ rerum potiebatur Virgilij ætate, gratia quæratur, ad quam de orum fatis imperium delatum sit. sic enim scribit, *cedet Iulus agris*: & alio loco,

Cic. pro Sext. Rosc. Amerin. Cic. pro domo sua.

Ascanióne pater Romanas inuidet arces?

Virg. 12. æneid. Virg. 4. æneid.

Apud Lucanum quoque, penates patrij, quos Æneas in Italiam classe vexerat, & è Lauinio Albam transtulit Iulus, à Cæsare gentis Iulææ dicuntur esse: verba subscribam, *—Phrygijque penates Gentis Iuleæ.* proinde quasi Iulij hæredes familiæ & successores sacrorum Iuli essent. Nam & Halicarnasseus Dionysius Iulo tradita dicit sacra fuisse, quæ deinceps familiæ Iuliæ prodita sint, & ab ea possessa. eius verba sunt, ἰύλῳ δὲ αὐτῷ τὰ βασιλείας ἱερά τις ἐξουσία προσετέθη, ᾗ τιμὴ, ὦ ἔπ᾽ ᾗ εἰς ἐμὲ τὸ ἐξ αὐτοῦ γένος ἐκαρπώθη, ἰύλιοι κληθέντες ἀπ᾽ ἐκείνου. Multa eiusdem generis apud Maronem latent ingenij & eruditionis magnæ pignora atque monumenta, quibus explanatis multò magis poëmatis dignitas & elegantia apparet, non explicatis, de admiratione eius & gratia multum decedit.

Lucan. lib. 1.

Dionys. Halic. lib. 1. antiq. Rom.

Obbrutesco apud Lucretium, brutum, liquidus ignis. CAPVT VIII.

LIBARE semper hinc inde aliquid ex auctoribus solemus, & leuiter degustare, & eadem tamen libamenta eundemque gustum lectori communicare, vt eius potius cupiditatem excitemus, quàm famem satiemus: quod & nunc faciemus. Cùm à Lucretio scribitur,

Lucret lib. 3.

An contracta suis è partibus obbrutescat.

quid obbrutescat sit lippis non est notum, ne multis quidem qui sibi oculei toti, vt Argus, videntur. Ego obbrutescere esse puto, sensum amittere & vitam, & interire. Nam brutum est non sentiens, Lactantius, *Corpus enim, quia è terra est, comprehensibile est, temporale, brutum atque tenebrosum est. Anima verò, quia de cœlo est, tenuis, æterna, sensibilis, illustris est.* hic apertè brutum, id est, non sentiens, sensibili id est sentienti opposuit. Idem Lucretius de Tytio loquens, cuius immortale fecundũque iecur adunco rostro rimatur epulis & tundit vultur, sic ait,

Lactant. lib. 7. cap. 12.

Lucret. lib. 3.

Aut alia quauis ſcindunt torpedine curæ:

quo in verſu illud torpedine, ne quid diſſimulem, non exprimit ſentẽtiam quam deſidero, & quam velle videbatur poëta eloqui. ſcio equidem dici poſſe anxiam eius animo perpetuò inhærere curam, quæ vulture eius fibris aſſiduè immorante ſignificetur, & torpedo curæ vocetur, ſed Lucretius curam amoris, quæ cupiditatis eſt, videtur explicare voluiſſe. Itaque legendum puto, *Aut alia quauis ſcindunt cuppedine curæ.*

In quam emendationem eo ſum propenſior, quòd maxima harum vocum affinitas eſt in literatura, & quòd alio in loco vbi cuppedo perſpicuè ſcribendum eſt, in libris quibuſdam torpedo reperitur,

Lucret. lib. 6. *Et finem ſtatuit cuppedinis atque timoris.*

torpedinis enim atque timoris in exemplaribus quibuſdam editur. Mirum autem videtur non ſolùm nobis quòd liquidum ignem dixerit, ſed etiam doctiſſimo viro Macrobio, quæ tamen adiectio ita Maroni adriſit, Macr. lib. 6. Satur. cap. 5. vt ſuum bucolicum carmen hac tanquam gemma ornandum ſibi putarit: ſic autem ſcribit Lucretius,

Lucret. ibid. *Hac etiam fit vti de cauſa nobilis ille*
Deuolet in terram liquidi calor aureus ignis. Maro autem,
Virg. eclog. 6. *—& liquidi ſimul ignis.*

Liquor enim, qui aquæ & humoris proprius videtur, quo tandem pacto ardori tanto ſiccitatique conuenire poteſt? ſed liquidum etiam appellatur quod defecatũ, quod purum, quod non turbidum, quod clarum, quod ſincerum, à vino colis defecato ducta tranſlatione: qua notione liquidum ignem dici reor, purum, non admixtum, neque inquinatum à fumo. Sic liquidum lumen à Lactantio dicitur, Lactant. lib. 6. cap. 11. *aliud verò*, inquit, *ille à nobis exigit lumen, & quidem non fumidum, ſed, vt ait poëta, liquidum atque clarum mentis ſcilicet.* In eodem nomen eſt iunctum putricauum, quod & poëtæ nitorem lædit, & modulo ſyllabæ verſum claudicantem reddit,

Lucret. lib. 2. *Mollia, lenta, fragoſa, putricaua, corpore raro.*

Sed dirimendum eſt quod malè coit, ſcribendumque *fragoſa putri, caua corpore raro.* Quinetiam, videte quò progrediatur temeritas mea, ferè labor, vt putem legendum,

Molli lenta, fragoſa putri, caua corpore raro.

Vt mollitudini lentorem, fragori putredinem, raritati caua corpora accepta ferat: vt hoc tamen, etſi probabile eſt, affirmare non auſim, ita alterum paratus ſim tueri duobus vocabulis legendum eſſe.

Quædam emendationes viri docti in Plinium expenſæ.

CAPVT IX.

NON

NON eſſe temerè cuiuſquam auctoritati credendum auctores emendanti ſuo arbitrio, è quibuſdam locis Plinij oſtẽdam, in quibus corrigendis, niſi fortè fallor, vir præſtãtiſſimæ doctrinæ, non tamen hîc vbi reprehenditur nominandus labitur: ſed falſum induci veritate oppreſſa, non eſt ferendum, nec diſſimulandum. Quod ergo in Plinijs publicis elegan- Plin. lib. 9. ter ſcribitur, *non illos curru detractos quàm in hoc viciſſe malit?* ita mutat, *non* cap. 35. *illos currus detractos, quàm huius cccc* HS *malit:* non tam cõmoda ſententia, nec tam cenſoria nec acri caſtigatione, cùm dicat, ſatius fuiſſe Curium & Fabricium non triũphaſſe, quàm locupletatam eorum victorijs poſteritatem ad tam immanem luxum peruenire. præſtitiſſet igitur, inquit, eos bellorum victores nõ eſſe, quàm eorũ bellica gloria & imperatoria laude & amplificatione imperij, ſic gliſcere & adoleſcere luxuriã. paulò antè quoque *perditi nepotatus* legit, cùm *perdito nepotatu* in chirographis pateat antiquiſſimis emẽdatiſſimè ſcriptum: nec ſatis *id fecêre*, in illiſêre mutat ſuo cõceſſu nullius ſuffragio, cùm perbellè legatur, *ſubeunt luxuriæ eius nomi-* Plin. ibid. *na & tædia exquiſita perdito nepotatu: ſiquidẽ cùm id fecêre, crotalia appellãt.* Illud enim, *cùm id fecêre*, eſt cùm binos aut ternos vniones ex auribus ſuſpendêre proceriores & faſtigata figura in pleniorem deſinentes orbẽ. eidem non placet candorem conſpici, & candore conſpici ſcribit, quod etſi elegans eſt, tamẽ non videtur ſummutationi iſti locus eſſe, cùm optimè conſiſtere recepta ſcriptura videatur. Improbat & iſtud, *non rectè recipit hæc nos rerum natura niſi nudos:* probat, *num ritè recipit nos hæc rerum natura niſi nudos?* Sed quid in hoc argutię & ingenij latet, ſi alter ſenſus torporis & tarditatis plenus eſt? Nam pronuntiatio tantùm in interrogationem mutata eſt. Dicit enim non eſſe fucandas noſtras veſtes conchyliorum marinorum ſanguine, nec inde veſtiendo corpori tingenda eſſe vellera, cùm hoc elementum nudare potius quàm veſtire debeat, quod nos niſi nudos recipere non ſolet. qui enim in mari natare vult, veſtes exuit. hic ſenſus, cui non placet, mirum profectò ſit, ſi alter, quem ille cõſtituit, nihiloque plus ſignificat, aliquid ei ſapere poſſit. Idem emendat, *eſto, ſit tanti ventri cum eo ſocietas*: at ego, *eſto, ſit tanta ventri cum eo ſocietas*, congruere magis ſententiæ affirmo. Rurſum ille legit, *parum ſit, niſi quis veſcimur periculis veſtiamur*: ego verò, quod in cellularijs & arcanis libris reperi, *parum eſt, niſi qui veſcimur periculis, etiam veſtiamur*, rectiſſimum & amuſſitatum eſſe exiſtimo. Eidẽ non placet *L. Plancus*, probatur Munacius Plancus: iſta ratione M. Cicero dici non debebit, ſed Tullius Cicero. Lucius autẽ Munatius Plãcus ille vocabatur. ita ex vno Plinij capite ſatis oſtẽſum arbitror ſuſtinendam & cohibendã ſententiam eſſe in his, quæ emẽdatores nouant & interpolãt: nec leui credulitate ſequaciq; eis fidẽ ſtatim adiungendã eſſe.

Copta, coryceum, lora, Adoneus. CAPVT X.

Mart. lib. 14. epig. 68.

IN Martialis apophoretis lemma est, copta Rhodia cum his versibus,

Peccantis famuli pugno ne percute dentes.
Clara Rhodos coptam, quam tibi misit, edat.

hoc genus panificij fuisse videtur, cui quędam quæ tunderentur, vt ipsum vocabulum confitetur, miscerentur, vt nuclei pinei, amygdalæ: sed omnino durissima adferebatur Rhodo, vt è Martialis ioco intelleximus. Coptæ meminerunt medici, vt Trallianus Alexander his verbis: τῶν δὲ τραγημάτων συμφέρει μάλιστα τὰ κάστανα λαμβάνειν, μῆλε χαρύων, ἢ προβίλων, ἢ ἀμυγδάλων ἐλθίων, ἀλλὰ μηδὲ πλακούντων, ἢ κοπτῶν. Iterum, κοπτὸν πρὸς σκληρίαν τομάχου. deinde eius confectionem subijcit. Rursus, ἀμυγδάλων ὧν λαμβανέτωσαν ἢ πιστακίων ἢ ταρίδων, ἢ προβίλων, ᾧ τὰς ἐκ τύπων συγκειμένας κοπτάς. Et Oribasius κοπτάδιον purgans facit è simila, nucleis pineis, dacrydio, pipere, melle despumato: & alterum è simila, scammonia, nucleis pineis, pipere, melle. sed quoniam non historiam conteximus, sed varia consarcinamus, quidnam est, quod Vitruuius corticeum appellat de palæstris his verbis loquens? *sub dextro corticeum, deinde proximè conisterium*. hic partim coriceum emendari video, vt locus sit vbi puellæ sese exercere solitæ essent: sed coreum potius dici deberet: partim coureum, vt sit tonstrina. Ego coryceum, vel quod idem est, coruceum lego, vt locus sit in quo coryco ludere solerent: de qua exercitatione scribitur ille apud Aristotelem iocus libro secundo Rhetoricôn, ὥσπερ φιλάμμων ζυγομαχῶν τῷ κορύκῳ inde & κορυκομαχία apud Cælium Aurelianum, *tum volutatio*, inquit, *in palæstra varia, quam Græci celadiam atque corycomachiam vocauerunt*. exercitationem Coryci & pilæ memorat secundo libro sanitatis tuendę Gal. κόρυκον autem sacculum significat, vt pugillatorij follis ludus ferè videatur. his ex locis satis arbitror liquere quid coryceum apud Vitruuium sit. sed, vt testari non cesso, per libros & literas erro, & quocunque vel tempestas vel æstus rapit, inde istis commentarijs, aliquid venor. scribit in periocha lib. 10. Odyss. Ausonius, *sociique eius opes aliquas in lora inesse existimantes*, quo verbo quidam offensi, in scorto subijciunt: sed non oportet indicta causa exturbari domicilio veram dictionem. ego enim loram vel luram legendum contendo. Nam cùm lorum sit funis è corio, lora vel lura vtris est. Festus, *lura os culei, vel etiam vtris*: hinc vt opinor, dicuntur luridi, ab vtris & corij colore: Eodem autem in Ausonio, cùm in epigrãmate scribitur,

Dum cisthon costúmque putat communis odoris,

latere obscœnitatem puto, ex ambiguitatis ioco. Nam & cisthus in materia medica frutex est adstringentis naturæ, cuius in radicibus nascitur hypocisthis

Trallian. lib. 11. cap. 14.
Tral. lib. 7. cap. 14.
Trall. lib. 7. cap. 2.
Orib. lib. Medicaminum.
Vitru. lib. 5. cap. 11.
Aristot. 2. Rhetoricôn.
Cælius Aurel. li. 5. Chronion cap. 12.
Galen. 2. de Sanit. tuend.
Auson. in Periocha 1 lib. 10. Odyss. Homer.
Fest. Pomp. lib. 10.
Auson. epig. 122.

hypocisthis: & cysthos etiam mulieris naturam significat, vt Grammatici Græci annotant, idque quodam me loco iam scripsisse recordor. Apud eundem poëtam, vbi varia Bacchi, quem in Lucaniaco fundo dicarat, nomina dimetris intexuntur, *Arabica gens Adoneum*, von vt semper edi animaduerto, *ædoneum*, scribendum est. Constat enim ex Macrobio Liberum patrem esse solem, eundemque Adonin esse. Adonin porrò veteres Latini Adoneum appellare soliti sunt, quorum sermonis æmulus est plerunque Ausonius. Plautus, *Vbi aquila catamitum raperet, aut Venus Adoneum*. nemo autem ignorat Adonin ab Assyrijs & Phœnicibus pro numine adoratum sanctissimè esse, & vt existimo à vicinis Arabibus.

Auson. epig. 30.
Macrob. lib. 1 Satur. ca. 18. & 21.
Plaut. Mœnæch. Sc. Nimalani fulta

It mare proruptum apud Maronem, primis ominibus,
componet vesper, media testudine.

CAPVT XI.

MVLTI mirantur fluuium à Marone mare appellatum fuisse hoc versu,

Vnde per ora nouem vasto cum murmure montis
It mare proruptum.

Virg. 1. æneid.

hi mirari desinent cùm idem à Nicandro factum intellexerint, qui in theriacis scribit,

Τὴν ἀπὸ θρῃκίσγομένες ποταμοῖο φέρθσιν,
Ὃν πόντον καλέσσιν.

Nicand. in Theriac.

Eodem autem in Maronis libro quod scribitur,

—veniet lustris labentibus ætas,
Cùm domus Assaraci Phthian, claráque Mycenas,
Seruitio premet, ac victis dominabitur Argis.

Virg. 1. æneid.

de Mummio Victore Achaiæ Seruius interpretatur, prærogatiuamque Grammaticorum primæ classis meruit: ego tamen potius de Paulo Æmilio intellexerim, à quo victa Macedonia, Thessalia patria Achillis, quæ Macedonum regno parebat, venit in ditionem Romanorum, & Græcia subactis Macedonibus sub imperium Romanum ferè videtur concessisse, etsi antè à Flaminio libertate donata: atque hac quidem in sententia videtur esse Propertius, quod ad patriam Achillis attinet, cùm ita scribat,

Seru. ibid.

Et Persen proaui simulantem pectus Achillis,
Quique tuas proauus fregit Achille domos.

Propert. lib. 4. eleg. 12.

quo etiam loco confirmatur nostra de illo Horatij loco sententia,

—cui super Carthaginem
Virtus sepulchrum condidit.

Horat. od. 9. Epod.

Ibi canente Propertio,

Propert lib. 4. eleg. 12. Virg. 1. æneid.

Sub quorum titulis Africa tonſa iaces. ſed & in Marone,

Iulius à magno deductum nomen Iulo,

de Auguſto, quàm de Iulio Cæſare dictatore accipere malim, præſertim cùm ſequatur,

Hunc tu olim cœlo ſpolijs orientis onuſtum Accipies:

Quod, ſi hiſtoriæ fidem habemus, Iulio non poteſt conuenire, Auguſto poteſt. *Claudentur*, inquit, *belli portæ, furor impius intus*

Sæua ſedens ſuper arma, & centum vinctus ahenis

Poſt tergum nodis fremet horridus ore cruento.

his verſibus Maro videtur adumbraſſe bellum ab Apelle pictum, reſtrictis poſt tergum manibus, quam tabulam Auguſtus in ſuo foro dicauit: Plinius, *item belli imaginem reſtrictis à tergo manibus, Alexãdro in curru triumphante, quas vtraſque tabulas diuus Auguſtus in fori ſui partibus celeberrimis dicauerat.* —*vel qualis equos Threiſſa fatigat Harpalice*, Harpalyce puto ſcribendum, eam celeriter manu coacta patrem à Getis captum recepiſſe ſcribunt: fuit & Harpalyce, an hæc neſcio, virgo, quæ Iphiclum ardentiſſimo amore cùm deperiret, ſpreta dolore animi confecta interijt, à qua & canticum quoddam harpalyce dicebatur. —*primiſque locarat Ominibus:* olim ſolebant in nuptijs omina captare, itaque prima omina, primas nuptias intelligit. Cicero libro priore de diuinatione. *cùm vellet ſororis ſuæ filiam in matrimonium collocare, exiſſe in quoddam ſacellum ominis captandi cauſa, quod fieri more veterum ſolebat.* —*ſed ſumma ſequar faſtigia*, id eſt, ſumma ſequar capita.

Plin lib. 35. cap. 10. Virg. 1. æneid. Cic. 1. de diuinat. Virg. 1. æneid. Virg. ibid.

Ante diem clauſo componet veſper olympo,

vt de die mortuo dicitur. Nam componi mortui dicuntur. Horatius,

Horat. lib. 1. ſat. 9.

Omnes compoſui. felices: nunc ego reſto.

Virg. 1. æneid.

Aſpice bis ſenos lætantes agmine cygnos.

Odium inter aquilas & cygnos eſt inteſtinum: ita tamen vt cygni tantùm aquilas inuadentes repellant, non aggrediantur. Ælianus, καὶ μάχεσθαι τοὺς κύκνους τοῖς ἀετοῖς, ἀμυνάσθαί γε μὴν αὐτούς, ἀλλ' οὐκ ἄρχειν χειρῶν ἀδίκων. Eſt & alioqui cygnus feliciſſimum nautis augurium.

Aelian. lib. 1. var. hiſt.

Virg. 1. æneid.

Crinibus Iliades paſſis, peplúmque ferebant,

ex Homeri ſumptum eſt libro ζ.

Virg. ibid.

Tum foribus diuæ media teſtudine templi:

puto in medio templo fores fuiſſe, non tantùm in primo, & quodam ſepto diſcluſum diuæ ſacrarium fuiſſe interioremque cellam, & iuxta eam in medio templo reginæ tribunal: in medio autem templo numinis erat ſimulachrum, cui templum erat dicatum,

Virg. 3. Georg.

In medio, inquit Maro, *mihi Cæſar erit, templúmque tenebit.*

Apuleius,

Apuleius, *nanque in ipſo ædis ſacræ meditullio, ante deæ ſimulachrum conſtitutum tribunal ligneum iuſſus ſuperſtiti.* eodem modo dixit Sedulius,

Apul. lib. 11. de Aſ. aureo. Sedul. lib. 3. cap. 44. Virg. 1. æneid.

Dúmque ſui reſidens media teſtudine templi.

Non metus, officio ne te certare priorem Pœniteat,

libentius legerim, quàm, *nec te certare*, vt dicat, haud equidem vereor, ne te pigeat, pœniteatque in nos officia aliqua contuliſſe.

Numeri, innumeri, Opicus magiſter, aretalogus, apalaria, ſociorum garum. CAPVT XII.

In epitaphio comici Plauti, quod ſcribitur,

Apud Gell. lib. 1. cap. 24.

Et numeri innumeri ſimul omnes collachrymarunt,

ſi quis acrius attendat, vocem innumeri, aliud valere, quàm in conſuetudine ſolet, reperiet: mihi quidem ſignificare videtur orationem, quam proſam dicimus, Apuleius prorſam appellat. ſententiam enim eſſe puto, illius poëtæ occaſu & interitu, non tantùm numeros, id eſt verſus, ſed etiam innumeros, id eſt ſolutam orationem lachrymas profudiſſe. Id vt cenſeam facit Auſonius, in quo innumeros ita accipi reperiſſe videor in protreptico ad nepotem,

Apuleius.

—*tu flexu & acumine vocis*

Innumeros, numeros doctis accentibus effer.

Auſon. Edyll. 5.

Dicit apud Plinium Cato, *nos quoque dictitant barbaros, & ſpurcius nos quàm alios Opicos appellatione fœdant*: quæ tandem in Opici verbo ſpurcities latet, quod dedignatur Cato? fuêre populi Italiæ Opici inhoneſti & obſcœni, vt in vitium nomen abierit. Itaque Eunum liguritorem Auſonius Opicum magiſtrum vocat. Aretalogus, non tam videtur à virtute dici, quæ ἀρετὴ vocatur, quàm ab ἀρετὸς, id eſt gratus & placens, qui narrationes & fabellas, acroamataque auribus auditorum grata loquitur. proinde & nugatores eo etiam nomine & garruli cenſentur, cùm vſueniat perſæpe vt ſcurræ illi nugentur & garriant. ἀρεταλόγον etiam legiſſe me ita recordor in Auſonio, vt hoc verbum ab Arete vxore Alcinoi deduci videatur, quæ explicationem illam longiſſimam errorum Vlyſſis, quem Iuuenalis etiam aretalogum vocat, *Mouerat vt mendax aretalogus*, audierat, niſi de mendo ſuſpectus ſit Auſonij locus.

Plin. lib. 29. cap. 1. Auſon. epig. 126. Iuuen. ſat. 15.

Ῥωμαίων ὕπατος ἀρεταλόγων δὲ ποιητής,

Auſon. epiſt. 19.

Sed fortaſſe emendandum, ῥωμαίων ὑπατός τ' ἀρεταλόγος ἠδὲ ποιητής. Sed quoniam in mentionem Auſonij incidimus, quænam ſunt apud eum apalaria hoc verſu,

Maiorum menſis, apalaria ſuccus inundet.

Auſon. epiſt. 7.

Ego epularia lubentiſſimè legerim, & vaſa eſcaria intellexerim, quæ ſolebat

lebat inundare garum: de garo enim loquitur quem & liquorem ſociorum ait appellari eo in loco, vt & Plinius lib. 31. *nunc è ſcombro piſce laudatiſsimum in Carthaginis ſpartariæ cetarijs: ſociorum id appellatur*. Hermolaus apuarum emendat, quòd ex eo piſciculo garum fieret: ſed cùm è garo oua parari condiriq́ue ſoleant: & oua hapala in Apicio legamus, quid ſi hapalaria, vaſa intelligamus, in quibus liquamine oua cõdiuntur? ſic enim ſcribit, *In ouis hapalis piper, ligusticum, nucleos infundes: ſuffundes mel, ac acetum: liquamine temperabis*. Igitur hapalaria in ſua ſede ſecurum manere iubeo. *Vitium huic eſt*, inquit Plinius, *alex imperfecta nec colata fex*. Id clarius explicat auctor quicunque tandem ille eſt γεωπονικῶν his verbis: cùm enim inteſtina piſcium, & omne genus piſciculorũ ſaliri dixiſſet, diutiusq́ue ad tabem inſolari, ſcribit, κόφινος μακρὸς ᾧ πυκνὸς ἐντίθεται εἰς τὸ μετὸν ἀγγεῖον τῶν ᾠοειρημένων ὀψαρίων, ᾧ εἰσρεῖ τὸ γάρος εἰς τὸν κόφινον, ᾧ ὅταν ᾖ τῶν κοφίνων διηθηθέν, ἀναιροῦνται τὸ καλούμενον λικμόν· τὸ δὲ λοιπὸν πάτημα γίνεται ἅλιξ.

Plin. lib. 31. cap. 8.
Hermol. ibid.
Apicius lib. 7. cap. 17.
Plin. lib. 31. cap. 8.
Auctor γεωπονικῶν lib. 20.

Ita ex his verbis garum & liquamen idem eſſe intelligimus, reliquam fecem alex. Quod autem Cicero 2. Antoniana ſcribit, *Quid erat in terris, vbi in tuo pedem poneres, præter vnum Miſenum, quod cum ſocijs, tanquam Siſaponem tenebas?* ad garum minimè referendum eſt, ſed ad miniaria metalla Siſaponenſium, quæ ſocietates publicanorum exercebant: dicit enim Antonium non vnum poſſeſſorem Miſeni fuiſſe, ſed poſſeſſionis ſocios habuiſſe multos. Quod dixi de Siſaponenſibus miniarijs Plinij eſt, qui ita ſcribit, *celeberrimum in Siſaponẽſi regione in Bætica*, deinde ſubijcit, *ſed adulteratur multis modis, vnde præda ſocietati.*

Cic. 2. Philip.
Plin. li. 33. c. 7.
Plin. ibid.

Explicatur, Nec fonte labra prolui caballino.

CAPVT XIII.

Versvs illi, quos ſuis ſatyris procœmij loco Perſius prætexuit, verboſiſsimis & diffuſiſsimis explicati commentarijs, non ſatis tamen mihi enucleati videntur. plerique enim putant Perſium obſcurè innuere ſeſe paupertate ad poëma condendum adactum eſſe: ego contra non putem eum in tam tenui re natum fuiſſe, vt ad emendicandam annonam placandamq́ue ventris famem, ei carmen ſcribere fuerit neceſſe. Excuſare igitur mihi potius videtur, cur non poëma aliquod heroïcum & graue de rebus heroum geſtis pangat, ſed ſatyram ludat, quæ in poëmatis huiuſmodi, ac ne poëmatis quidem propemodũ numeranda eſſe videatur. Nam ſe poëtam eſſe negat, ſed ſemipaganum dicit: non enim ſe bibiſſe aquam Aganippes, nec in Parnaſſo dormijſſe, vt repentino afflatu correptus vates ſubitò prodiret, quo ſe pacto extitiſſe poëtas, quidam mentiti ſunt: ſeq́ue prędicat muſas relinquere & cedere illis poëtis, qui digni imaginibus habiti

Perſ. in procœmio.

biti ſunt hedera coronatis, quiq́ue ſuorum principio operum earum ſimulant inſtinctum & furorem, vt qui ſic exorditur,

Fraternas acies, alternáque regna profanis
Decertata odijs, fontéſque euoluere Thebas
Pierius menti calor incidit: vnde iubetis
Ire deæ?

Stat. lib. 1. Thebaid.

Satyram ſe ſcribere profitetur, quæ nihil eget aduocatione Muſarum, nec Apollinem è Parnaſſo ſollicitat: & tamen ait idem Perſius quodam ſatyrico morſu poëtas perſtringens, ipſi illi poëtę, qui Apollinis furorem tam bellè ſimulant, non tam eo correpti ſunt, quàm rerum neceſſariarum inopia ad carmen condendum coacti. Atque eis carmen expediuit famelicus venter, vt pſittaco ſermonem humanum extudit: ac mediusfidius venter eis non Apollo magiſter artis fuit, eosq́ue numeros funditare docuit. Itaque ſi vſu veniret, vt poëtis, inquit, non modica annona tantùm ad victum daretur, ſed liberale aliquod pecuniæ honorarium proponeretur, poëtas coruos & poëtrias picas videremus cantus Pierios fundere. Sanè quod Politianus ſcribit pro melos ſe reperiſſe nectar, ego quoque ſupra ſcriptum reperi, ſed ita tamen vt qui ſupra ſcripſerat, de ſuo id feciſſe videretur offenſus titubante verſu: & vt verum fateamur titubat, quantumuis proferamus illud Homericum,

Politian. li. 12. epiſt. vellem Ludouico.

—αὐτὰρ δ' ἐλάφεια τῶν γε κυδιάνειρα.

Homer. Iliad. 1.

ſed & illud Maronis, *Liminaque laurúſque dei*, quantumuis immutabiles apud Homerum vim producendæ ſyllabæ habeant. hæc enim non faciunt, vt putem apud ſolum Perſium melos produci. ſed nec illud nectar mihi ſatis probatur. nam ἄκρατον videtur, cantare nectar æquè, ac cantare ambroſiam quod ſi immutare ordinem verborum liceret (quod profectò ſine poëtæ incommodo ſaluisq́ue omnibus verbis facile eſt) legerem *Cantare Pegaſeium melos credas*. Sed de ſyllaba, id eſt penè de nihilo rixari minimè velim, & malim laboret verſus quàm ſenſus.

Virg. 3. æneid.
Perſ. in Procœmio.

In rate vehi, multa aduerſa reuertens, natura vitis ſuſtinetur, apud Ciceronem.

CAPVT XIIII.

Corrigvntvr antiquæ editiones ab eruditis hominibus, quæ tamen interdum nihil emendationis indigent, velut in 1. Tuſcul. cùm olim legeretur, *itaque dubitans, circunſpectans, hæſitans, multa aduerſa reuertens, tanquam in rate in mari immẽſo noſtra vehitur oratio*, de qua oratione, vt exiſtimo, nemo conqueri poteſt, quin perbellè quod vult eloquatur & exprimat, corrigunt tamen contra auctoritatem veterum librorum publicorum

Cic. 1. Tuſc.

corum & capſariorum, *tanquam ratis*: ſed cùm in rate nauigare in vaſto mari ſit periculoſum nec tutum, quid habent, quod in antiqua ſcriptura culpare poſſint? quid quòd hoc è Platone ſumptum eſt? in quo ὅτι σχεδίας, quod eſt in rate ſcribitur: ita ad exemplar, vnde tranſcripta eſt, iſta oratio exacta, aſſeritur & vindicatur à cenſorum nota. Platonis verba ſunt in Phædone, ὅτι τὸ τὸ ὥσπερ ὅτι σχεδίας κινδυνεύοιλ᾽ ἂν πλεῦσαι τὸν βίον. *multa autem aduerſa reuertens*, rationem quandam loquẽdi priſcam & poëticam olet. demonſtratur autem æſtus hac loquutione eorum, qui eo ſæpius vnde degreſſi ſunt, redeunt ſua per veſtigia, quòd eos cœpti itineris aut viæ pœniteat. Itaque retro aduerſiq́ue reuertuntur. Multa igitur intelligo, vt & in Enniano apud Ciceronem verſu,

Quanquam multa manus ad cœli cærula templa
Tendebam lachrymans.

Loquitur enim Veſtalis, quæ ſæpe ſe dicit tetendiſſe manus ad cœlum. Quare multa aduerſa reuertitur oratio, quæ retro redit ſæpe, & aduerſum ſe fertur, pedemq́ue in contrarium refert, contraq́ue id quod affirmauit, ſequutaq́ue eſt, pronuntiat atque aduerſum tendit, & mutat ſententiam in diuerſum. Eadem quæſtione, *per ipſum animum*, inquit, *ſi nihil eſſet in eo niſi vt per eum viueremus, tam natura putarem hominis vitam ſuſtentari, quàm vitis & arboris*: vbi per animum ipſum iurantis & ſanctè affirmantis eſſe credo, vt ſi diceret, Iuro eum ipſum animum, de quo nunc diſſerimus. Stoicorum autem doctrinam ſequutus natura ſuſtineri arbores dixit. Nam eis animam non tribuebant Stoici, & medici eorum verba ſequuti, partem eam animalium, qua nutriuntur in iecore collocata, ſed & toto animante diffuſa, naturalem appellare ſolent. Scribitur eadem diſputatione, *Is autem animus, qui ſi eſt horum quatuor generum, ex inflammata anima conſtat*: cuius orationis hanc eſſe explanationem exiſtimo, ſi animus eſt ex elementis compoſitus, non è terra humoreq́ue conſtat. Hæc enim elementa nimium craſſa, nimiumq́ue concreta ſunt & ponderoſa, cùm animi mirifica ſit ſubtilitas atque leuitas: quo fit, vt ſi ex elementis coagmentatus eſt, ex ardore & anima conſtitutus ſit, id eſt ex igne & aëre, quæ & leuia ſunt & tenuiſſima. Infra quoque Cicero iſta de cauſa animum dicit iunctum ex anima tenui & ardore ſolis temperato ignibus inſiſtere, neque ſe altius efferre, compoſitum illum intelligens ex aëre & igne.

Plat. in Phæd.

Cic. 1. de Diuinat.

Cic. 1. Tuſc.

Cic. ibid.

Arcere, columbar, eſcit, adorat, perorat, permanare.

CAPVT XV.

In Feſto (nam ex eo hæc fiſcella texetur) nouam quandam verbi arcere notionem inueni. Nam ſignificat repetere & arceſſere, quaſi arciere id eſt

id eſt adciere: *ſagmina*, inquit, *vocantur verbenæ id eſt herbæ puræ, quia ex loco ſancto arcebantur*, id eſt vt interpretor, petebantur. & alio loco, *nouerca dicitur, quam quis ſublatis liberis nouam vxorem ducit, arcendæ familiæ gratia*: vbi tamen videtur interpretari coërcere Feſtus: ab illo autem arceo arceſſo deduci exiſtimo. Feſtus inquit, *columbaria in naue appellantur ea, quibus remigent*: ego, *quibus remi eminent*: ſic enim foramina, per quæ traijciuntur remi, nominantur: vetus eſt ſcriptura, *rem geminent*: vnde natus error, i, litera diuulſa, & cum vocali e, coniuncta, g, ſonum reddente.

Feſt. Pōp. li 17.

Feſt. lib. 12.

Feſt. ibid.

Non ego, inquit Plautus, *te noui naualis ſcriba in columbari impudens?* de vinculo colli accipi poſſet: ſed & naualis ſcriba dici amare poſſet is, qui aliquando ſocius naualis & nauta fuiſſet, & inſoleſceret poſtea, quòd ſcriba eſſet factus: interpretatur tamen Feſtus de columbari nauis, id eſt foramine, quia traijcitur remus in triremi: foramen autem illud aſcoma operiebatur muniebaturq́ue. Suidas, ἀσκώματα τὰ ἐν ταῖς κώπαις σκεπαζήεια. Suidas. ἐκ δέρματος, οἷς χεῖλαι ἐν ταῖς τριήρεσι, καθ᾽ ὃ τρῆμα ἡ κώπη ἐμβάλλεται. Melius ergo ſit vt ſocij nauales, qui in claſſe militabant, infimi erant ordinis: ſic nauales ſcribas infimos & contemptiſſimos ſui ordinis intelligere. legendum autem ferè cenſuerim *Columbar impudens*. Legis autem 12. tabularum particulam è veſtigijs antiquis, ſic legendam puto, *aſt ei cuſtos nec eſcit*, eſcit enim pro erit veteres dicebant, & ſupereſcit pro ſupererit in Ennio obſeruat Feſtus hoc verſu,

Plaut apud Feſt. ibid.

Apud Feſt. lib. 12.

Dum quidem & vnus homo Romæ totæ ſupereſcit.

& in Lucretio eſcit etiam reperitur, vt *Ergo inter rerum ſummam minimamq́ue quid eſcit?* Antonius autem Auguſtinus rectiſſimè & ingenioſiſſimè vidit in ea lege 12. tabul. *ſi adorat furto quod nec manifeſtum erit*, adorare eſſe agere: ſed & perorare pro agere etiam videntur vſurpaſſe decemuirales tabulæ, *cùm perorant ambo præſentes*, id eſt cùm ambo præſentes agunt, petunt, poſtulant. Nam & oro tecum precibus, ea de cauſa dicere ſolebant pro ago tecum precibus: Ennius,

Apud Feſt. lib. 17.

Lucret. lib. 1.

Apud Feſt. li. 12.

Apud Gel. lib. 17. cap. 2.

Tu face verò quod tecum precibus pater orat.

ſic & oro tecum, non infrequenter Plautus dicit. duonum in verbis Marcij vatis apud Feſtum in negumate, eſt bonum, vt duellũ bellum. Ita duonum negumate, eſt bonum negate. verſus autem Ennianos de venatico cane perquam elegantes ſic legendos arbitror, *Veluti quando vinclis venatica velox Apta ſilet canis, fortè feram ſi ex nare ſagaci Senſit, voce ſua nictit vlulatq́ue ibi acutè*. nundinalem coquum videtur Feſtus apud Plautum, quantum è ruderibus, & tanquam parietinis eius conijci poteſt, velut nouendialem interpretari, qui nono demum die coqueret, vt & à Plauto iocante dicitur ſeq́ue explicante. Permanare apud Lucretium peruenire ſignificat

Feſt. lib. 13.

Feſt. lib. 12.

Apud Feſt. ibid.

Apud Feſt. ibid.

Plaut. Aulul. Sc. poſtquam obſonauit.

gnificat eodem interprete,

Quo neque permanent animæ, neque corpora nostra.

Lucret. lib. 1. Fest. lib. 11. Nam antiquis, manare venire interdum erat: id è Festo apparet scribente *manalem lapidem ostium orci esse putatum, per quod animæ inferorum ad superos manarent*, id est vt opinor, venirent: sed & manare eis erat adducere, allicere, attrahere, vt cùm Festus manalem lapidem ait ex eo vocatum, quod propter nimiam siccitatem in vrbem protractus aquas manaret. In Fest. ibid. voce marspedis quod legitur, *Imprecaticie solita vallium*, emendandum puto, *in precatione solita urilium*, & Saturnalium vidi qui putaret: sed alterum illud approbo, istud non perinde amplector. Fest. ibid.

Carmadas, maior vis, Hectorem secunda longa, apud Ciceronem.

CAPVT XVI.

Cic. 1. Tusc. PRIMA Tuscul. in commemoranda memoriæ præstantia nominatur Carneades publicè in omnibus libris, sed antiquæ tabulæ Carmadas habent, qui & à Plinio traditur tam felici memoria fuisse, vt libros bibliothecarum propè legentis modo, quos quis requireret, repræsentaret: nimirum philosophi Carneadis nomen clarissimum offecit Carmadæ luminibus, & eius famam obscurauit, & laudem in se transmouit. Igitur in Cicerone sic legendum censeo, vt Carmadam rursus, vt poëtæ loquuntur, in dias luminis oras rediuiuum excitemus, *quanta nuper Carmadas*. Malè etiam in Plinio Carmidas scribitur. maior vis in eadem quæstione, est impulsus & instinctus Dei, & maior quædam quàm hominum vis & potestas, *aut*, inquit, *eloquentiam sine maiore quadam vi fluere abundantem sonantibus verbis vberibúsque sententijs*. Est & vis maior, horridior quędam & vehementior interdum tẽpestas. paruum quidem dictu, sed admonẽdum tamen ibi legẽdum, *sed reminiscendo recognoscere*, non vt excuditur cognoscere: *& caliginem depulit*, non vt hodie, dispulit. illud autem obscurum, *cumque nihil esset, vt omnibus locis à Platone disseritur*: circunductio autem longa est, sed non tam ambage sua difficilis, quàm tribus primis statim verbis implicata: cuius hunc esse sensum aliquando suspicatus sum: animus si mortalis esset, si nasceretur & moreretur, si mutationi & vicissitudini obnoxius esset, profectò nibil esset. nam ea non putat esse Plato, quæ mutantur, sed quæ semper eodẽ statu, & vniusmodi sunt: ipse autem cùm eodem statu non esset, tam multa cognoscere non posset. Sed Ciceronẽ puto dicere, scientiam esse eorũ, quæ sunt: ea autẽ demum Platoni sunt, quæ sempiterna sunt: animus autẽ in rerum scientia & cognitione viget: sed hic nihil est: omnia enim hic mutabilia, fluxa, & caduca labuntur. hîc igitur non potuit rerum scientiam notionesque comprehendere & percipere, Plin. lib. 7. ca. 24. Cic. 1. Tusc. Cic. ibid.

cipere, sed comprehensas & cognitas huc attulit. hoc autem, quod nescio quibus insitiuis impeditum est particulis, *si & id*: ita legendum puto, *nos qui sumus, num aut cornibus caremus, aut pennis, sit qui dixerit?* Hoc etiam sic scriptum reperi, *nisi cùm sic tanquam in febri, qua carere iucundum est, dicitur, alia quadam notione verbi*: editiones hîc minus copiosæ sunt, cùm ab eis absint hæc verba, *qua carere iucundum est. Hectorem*, autem, *curru quadrijugo raptarier*, antiquorum more dictum est, qui media longa, vt in vocibus Latinis, Hectorem & Nestorem pronunciabãt: Fabius, *inde Castorem media syllaba producta pronuntiarunt*. hoc eo moneo, quia video hoc mutari à quibusdam, scribique *curru Hectorem*, vitij metu. At cùm ait, *nos verò si quid tale acciderit, vt à Deo denuntiatum videatur, vt exeamus vita*, interpretatur & sentit illis à Deo denuntiari, quibus necessitas moriendi affertur, vt qui sine dedecore, aut turpitudine, aut salua libertate & existimatione vitam conseruare nequeunt, quos vim sibi putat afferre debere. Cic. ibid. Quint. lib. 1. cap. 5 Cic. 1. Tusc.

Cauum ædium, impluuium, compluuium, deliciæ.

CAPVT XVII.

SIC in cauis ædium à Vitruuio scribitur, *Tuscanica sunt, in quibus trabes in atrij latitudine traiectæ habent interpensiua & collicias ab angulis parietum ad angulos tignorum intercurrentes*. ferè quæ de architectura scribũtur, quòd oculos aduocatos desiderent, nec auditione satis intelligantur, verborum habent obscurum explicatum, & exemplaria desiderant, quæ traduntur oculis subijcientia: sed hoc maximè loco. verùm existimo hoc cauum ædium tectum habere vnam tantum in partem fastigatum & deuexum, vt à displuuiato differat: eius autem ita trabes à pariete ad parietem traijciuntur, vt vltra excurrant, & interpensiuis excurrentes extra parietem earum partes onerentur tectum sustinentibus deuexum & incumbens, quod & extra interpensiua euehitur: nec satis, asseres etiam extremo tecto adijciũtur, vt longius pluuia in medium cõpluuium deijciatur. cauum porrò illud ædium impluuium habet intus quadratum. ex quo efficitur ipsum angulos habere. In angulis igitur tecti cauædij colliquiæ collocantur aquam pluuiam etiam deijcientes, pergũtque ab angulis parietum ad angulos vsque tignorum interpensiuorum, quæ extra parietem, tanquam quædam suggrundia efficiunt: interpensiuaque appellantur, quòd inter trabes, vt existimo, & inter tectum iacentia pendent, cùm pariete non sustineantur, nec ei inuehãtur, sed capitibus trabium. Extra parietem autem efferri trabes apparet è Corinthio cauędio, in quo capita earum sustinentur columnis, trabibus tamen, & compluuijs eodem modo collocatis, vt in Tuscanico, quemadmodum Vitruuius scribit. At verò displuuiatum Vitruu. lib. 6. cap. 3.

cauum ædium, tectum habet vtranque in partem deuexum, vnde & nomen est adeptum, quòd tanquam diuortio quodam diuersè pluuiam huc & illuc diuidat. Cæterùm quamuis à Varrone scribatur, quod & verissimum est, *si relictum erat in medio vt lucem caperet, deorsum quò impluebat, impluuium dictum: sursum qua compluebat, compluuium*, quibus è verbis superiorem partem compluuium esse discimus, inferiorem impluuium: tamen in Vitruuio etiam compluuium est ea pars tecti in cauædio, quæ pluuiam deijcit, vt, *cum ijsdem rationibus trabes & compluuia collocantur*. Id enim dicit de excurrente parte tecti, & asseribus longius proiectis. Iterum, *quòd compluuia eorum recta non obstant luminibus tricliniorum*: compluuia vocat hîc extra parietem non exeuntia, ideoque luminibus non officientia. vt Varro loquutus est Vitruuius cùm scripsit, *Item asseribus in medium compluuium deiectus*. At verò cùm ait, delicias arcam sustinere, intelligit tectum vtranque in partem decliue & deuexum, cuius tigna delicias appellat, à deliquanda aqua, vel deorsum elicienda propter deuexitatem, vt & colliciæ vocantur tegulæ cauæ aquam (vt earum origo intelligatur) colligientes more canalium & colligentes demittentesque. Non me fallit ab eruditissimis viris interpensiua aliter, quàm interpretatus sum explicari: sed mihi (opinor) fraudi non erit, somnium meum (ita enim appello) retulisse. Itaque si cui non probabitur quod narro, non dormitasse, sed planè dormijsse me putet.

Var. de lng. Lat. lib. 4.

Vitru. lib. 6. cap. 3.

Vitruu. ibid.

Stringere oleam, strictores, leguli, oleam facere, vasarium, præconium, vinacei illuti, vinum fæcatum, oleum viride & vulgare.

CAPVT XVIII.

NON est ludicræ operæ plæraque in libro Catonis de re rustica interpretari. ego igitur pro mea virili in eo libro aliqua explanare conabor. *Oleam*, inquit, *ne stringito*. stringitur olea quæ manu legitur, vt cùm digitabulis pressa decerpitur, itaque læditur, aut ex arbore nuda manu detrahitur. Varro de re rustica, *Quæ manu stricta, melior ea quæ digitis nudis legitur, quàm illa quæ cum digitabulis*: leguli autem manu legunt caducam & verberando decussam: strictores digitabulis & manu decerpunt ex arbore, vnde Cato legulos à strictoribus distinguit. *Legulos*, inquit, *quot opus erunt præbeto, & strictores*. quod autem nimio orationis compendio dicit, *si non erunt*, subaudi in eo, redditæ scalæ. vnde sequitur, *reddet æquas*. Iam pro resoluito, est multis illic in locis legendum rem soluito, vt è Plauto apparet, Plautus Curculione,

Cat. de re rust. cap. 144.

Var. de re rust. li. 1. c. 55.

Cat. cap. 144.

Plaut. Curcul. Sc. Non ego.

Tibi res soluta est rectè, bellator vale. Iterum,

Plaut. Curcul. Sc. Beatus videor.

Pugnis rem soluant, si quis poscat durius.

Itaque

Itaque in Asinaria legendum puto,

Ecquis pro vectura oliui rem soluit? Li. soluit.

Plaut. Asin. Sc. Quid hoc sit.

cùm pręberi vult legulos quot opus erunt & strictores, id de redemptore intelligit, qui redemit oleam colligendam. *oleam puram metietur modio oleario*. puram, non sordidam, non inquinatam, sine termite & fronde. ita autem locum arbitror distinguendum, secus quàm in editionibus. quas autem dicit accessiones, nequicquam aliud sunt, quàm quæ legulis præter precium accedunt, vt quinque modij oleæ salsæ, ad vescendum, pondo nouem olei puri, sine vlla amurca: prętерea sestertij quinque. Itaque si salsam non acceperint oleam, in modios singulos dabuntur sestertij supra scripti, id est quinq;. sic enim explicandę sunt illæ in Catone notę. Oleam porrò facere, est ex ea oleum facere: sic lanam facere, est lanam operi impendere, & ex ea aliquid facere: sic aurifex dicitur qui aurum facit, id est qui ex auro opus facit. sex iuga vasa, vasa sunt torcula, in quibus olea premitur. nam in torculari vno plura erant fora, vbi torquebatur vel oleitas vel vindemia, vt in trapetis frangitur. quia autem plus erat laboris in faciendo oleo viridi, quàm vulgari & maturo, cùm ex acerba premeretur olea, accedit vasarium, quod est quoddam factorum prętium & merces, nomine ducto à vasis torculis, quibus premitur oleum. Victoriatos autem vasarij nomine eis tribuit duos: sic præconium sequēti capite merces est præconis, *præconium*, inquit, *præsens sestertij quinquaginta* At verò vinaceos illutos vocat, è quibus nō est facta lora. lora enim fit vinaceis aqua perfusis, quod est lotis. Fæcem porrò relinqui imperat, vt ex ea vinū fiat fæcatum. Nam cùm è dolijs non multò post vindemiam in alia vasa transferebatur vinum, residebat in doliorum fundo fex, qua in fiscinas fæcarias coniecta torquendo vinum fæcatum exprimebatur, aut sine prelo sponte fluebat. Oleum Romanicū Cato vocat oleum vulgare, quod è caduca fit olea & matura: viride quod è strictiua & immatura. In pabulo hiberno vendendo, id est in vendenda hiberna prati herba, ait Cato, *qua fini vendas dicito*, quod est, quousque, ad quod vsque tēpus, ad Februariúmne vsque an Martium. Mox inquit, *pabulum frui occipito ex Calendis Septembribus*, scilicet qui emit hibernum pabulum, collecto iam fœno post calend. Septembres, frui incipiat. *prato sicco decedat vbi prius florere cœperit*, id est vbi arbores incipient florere vere primo, quia tum arboribus vernantibus conatus naturæ herbam parturiunt. non desunt qui *vbi pirus* legant, neque id inuita Minerua. *super*, autem, *inferque vicinus*, est superior & inferior. in emptionis autem lege recipitur, vt liceat domino binos domitos boues & vnum canterium pascere ibi cum pecore emptoris pabuli hiberni: adijcitur in lege, vt si quid controuersiæ sit, iudicium fiat Ro-

Cat. cap. 146.

Cat. cap. 147.

Cat. cap. 149.

Cat. ibid.

Cat. ibid.

mæ,non in municipio,nec in præfectura. Nam ciuis Romanus mauult in ſuo litigare foro,quàm in alieno & municipali.

Aluus ſuperior,in ſereno,arteriæ,lienes,pulmones,vncta braſſica, ſal Romanenſis. CAPVT XIX.

Est vt longa iam maturitate vietorum fructuum, ac conditaneorum ipſa temporis diuturnitate rugoſorum iucundiſſimus ſuccus: ita vetuſtiſſimorum ſcriptorum ſuauiſſimus guſtus, habetq;, vt vinum vetus gratam palato ſaliuam,ſic antiquitas ſaporem quendam intelligentibus ſuauem. Itaque inter legendum Catonem, libuit quædam annotare, quæ non arbitror inſuauia fore his, quorum non eſt Abderitanum pectus, aut auris Bataua,aut fatuum palatum.In eo igitur obſeruaui ſuperiorem aluum eſſe ventriculum,cùm ita ſcribit: *Aluum ſi voles deijcere ſuperiorem.*Idem exugere pro ſuccum exprimere vſurpat, quod verbum alijs ſcriptoribus hac in re non perinde vſitatum tritumque eſt, quo tamen in loco non deſunt, qui exurgeto ſcribãt Quid quod apud eum in ſereno valet ſub dio? quod genus dicendi lingua frequentat gallica: ſed teſtato agendum,verbisque non,vt Iuriſconſulti loquuntur,præſcriptis,ſed ſubſcriptis. *Poſtea,* inquit, *ponito pocillum in ſereno noctu,*id eſt, niſi me fallit augurium animi, ſub dio. Idem laborantes dyſuria dicit,quibus ægrè lotium it: & ſtranguriam peleganter ſubſtillum appellat,quod ſtillatim cadat vrina in eo genere valetudinis. *nunc de illis,* inquit, *quibus ægrè lotium it, quibúſque ſubſtillum eſt.* ſolent & Latini quædam efferre interdum non inſcito ruſticoque ſermone numero multitudinis, quæ frequentius ſingularia ſunt, vt arterias pro arteria aſpera dicunt,lienes pro liene,pulmones pro pulmone. Cato, *& ſi lienes turgent, & ſi cor dolet, & ſi iecur, aut pulmones.* Tranquillus in Nerone, *niſi aſtante Phonaſco, qui moneret, parceret arterijs.* Cornificius ad Herennium,*ictus enim fit, & vulnerantur arteriæ acuta atque attenuata nimis acclamatione.* vncta braſſica ab eo dicitur oleo cõdita,cùm ſcribit, *verùm aſſam braſſicam & vnctam caldam,ſalis paulum,dato homini ieiuno:* & Perſius,*vnge puer caules.*ſed & vnctum obſonium eſt conditũ,vt,*cœnare ſine vncto,* id eſt obſonio condimentis perfuſo, &, *Si verò eſt vnctum rectè qui ponere poſſit*: opinor,quòd pinguia ferè condimenta ſunt. Iam idem articulos experiri,pro articulos mouere,& his vti,eleganter poſuit: *ſi veteris,omnes articulos poteris experiri*: dicit enim morbum articularium, vſu braſſicæ purgari & perſanari, quod tum denique fit,cùm membris noſtris vti poſſumus. nec tantùm è re fuerit in eo quædam explicare, emendare etiam interfuerit ſententiæ. ergo in excantando luxu,vbi legitur, *incipe cantare in alio S.F.*ſcribo,*incipe cantare L.Manlio Sexti filio.* infra quoque, *cantato L. Manlio*

Cato de re ruſt. cap. 156.

Cato ibid.

Cato cap.157.

Suet.in Nerone cap 25.

Cornific ad Heren.lib. 3.

Cato cap.157.

Perſ.ſat.6.

Horat. de art. poëtic.

Cato cap.557.

Cat.cap.160.

*Manlio Sexti filio.*id enim ſignificant notæ illæ duæ. M. autem Cato ſæpe antè in exemplis poſuit nomen Manlij,quo adductus ſum, vt audacius ita corrigerem. ſed & pro, *diſſunapiter vſque dum coeant*, legendum, vel, *dic vna pariter,*vel potius,*dic vna partes vſque dum coeant.* Quod autem addit, *ferrum inſuper iactato*, ridiculum eſt: ſed minaciter tamen fit ad territandum calamum: quaſi verò minas ſentiat res ſurda. Sal autem Romanenſis,eſt in Catone,qui è ſalinis quas Romani,vt apud Liuium eſt, iuxta Hoſtiam habebant, Romam afferebatur, Romaque in alia loca exportabatur.*Salis,* inquit,*Romanenſis moliti in ſingulas ſemodius.*

Cat.ibid.

Cat.cap.162.

Liuius lib. 1. ab vrb. cond.

Quædam emendata in Plinio,camillus,pneumatica organa,camela. CAPVT XX.

Vt inter nitentia culta ſæpenumero infelix lolium dominatur & ſteriles auenæ: ſic & in cultiſſimis ſcriptorum noualibus ſerpunt velut herbæ quædam nocentes, verba aliena, ſenſum corrumpentia. Plinius in lino enarrando ſcribit, *Similiter in Italia ratione alia inter Padum Ticinumque amnes*. ego illud *ratione alia* tollendum cenſeo, elidendumque eius omnes fibras: in eiusque locum pangendum *regione Aliana.* Nam Aliano lino tertiam palmam tribuit,ſecundã Retouino, quod in vicino Alianis linis naſcebatur.Ita quæ ſubſcribit Plinius,emendationem approbant meam,atteſtante & codice ſcripto,in quo *regione aliena* ſcribitur. Eodem in libro,vbi de ſparto differitur,ſic ſcribitur, *vulſum faſcibus in aceruo aduenatum biduo, triduo reſolutum ſpargitur in ſole*. Ego illud *adunatum* Plinianũ verbum haudquaquam crediderim eſſe, etſi eo Iuſtinus vtitur: in veteribus libris *vmmatum* ſcribitur: ſed ſi c præſcribatur, & è poſteriore m, v & l fiat, cumulatum prodibit: qui autem libros manu ſcriptos verſant, quàm ſæpe iſtæ commutationes à librarijs ſcribis committantur, intelligunt. Iam fungos quoſdam pezicas in eodem libro legimus adulterina voce: pezitas enim exiſtimo vocandos eſſe.Illud verò, *ſi minus è puteo pertica organiſue neumaticis, vel tollenonum hauſtu rigandos,* mendoſum ſonat: ſcribo, *ſi minus è puteo rota organiſue pneumaticis*: pneumatica enim organa quadam machinatione & molitione conſtructa aquam ſurſum eructant, cuiuſmodi & apud Vitruuium & Heronem viſuntur. Quod autem in eo ſcribũt in cucumerum generibus ſcytalicum,equidẽ auctoritatem Theophraſti,ex quo exſcribit pleraq; Plinius, ſequutus, ſcytaliam malim. Inquit Plinius,*cùm priores eam minimè ob religionem commanducarent*: his diſcrepat quod in puluerulẽtis librorũ conditorijs reperi,quę pro ſanctuarijs multi habent:*cùm priores cameli religionum die omni mãducarent.* Camillos autem ſcimus equidem fuiſſe ſacerdotum miniſtros,quibus lactucę eſus fortaſſe

Plin.li.19.c.3.

Plin.lib.19. cap.4.

Plin.li.19.c.5.

Theoph.li. 7. hiſt.plant.c.4. Plin.lib.19. cap.8.

præſcribebatur: ſed & apud Ouidium in Faſtis, camela quoddam vas eſt, quo in quibuſdam ſacris ſolebant vti,

Ouid. 4. Faſt. *Dum licet appoſita, veluti cratere Camela,*
Lac mundum potes purpureamque ſapam.

Vnctus cruore non expiato, nullus argento color eſt, oculus irretortus, decipi, ceſpes fortuitus in Flacco.

CAPVT XXI.

ASINIVS Pollio hiſtorias de bello ciuili ſcripſit, vt & ex Horatio facile coniectu eſt ſcribente, *Motum ex Metello conſule ciuicum*: Et rurſum, *—mox vt publicas Res ordinaris*, id eſt vbi bellorũ ciuilium hiſtoriã pertexueris: & è Trãquillo, qui ita ſcribit, *Quod probabilius facit Aſinius Pollio, Pharſalica acie cæſos profligatóſque aduerſarios proſpicientem hæc eum ad verbum dixiſſe referens.* Idem Pollio poëta erat: Maro, *Pollio & ipſe facit noua carmina*: & tragœdias ſcribebat, Flaccus, *Paulum ſeueræ muſa tragœdiæ Deſit theatris.* vult enim aliquandiu ab eo tragœdiarum confectionem omitti, & bella fideliter referri ciuilia. Iterum Flaccus, *—Pollio regum Facta canit pede ter percuſſo*: quòd Iambicis ſenarijs tres habentibus menſiones, regum calamitates tragicè caneret. hæc eò ſcribo, quò totus ille locus libri 2. Horatij illuſtretur. Illud autem,

Horat. lib. 2. od. 1. Horat. ibid. Suet. in Iulio cap. 30. Virg. eclog. 3. Horat. lib. 2. od. 1. Horat. lib. 1. ſat. 10. Horat. lib. 2. od. 1.

Nondum expiatis vncta cruoribus,

è priſca conſuetudine ductum, qua qui cędem perpetrarant, non antè eius cruorem eluebant, quàm ab aliquo expiati eſſent. Itaque & manibus non puris inde dicebantur: Herodotus, ἀπικνέεται εἰς τὰς σάρδις ἀνὴρ συμφορῇ ἐχόμενος χειρὸς καθαρὸς χεῖρας ἐών. Et Oreſtes apud Æſchylum, manibus ſanguine manantibus Pythiam territat. Sed enim color in eo,

Herodot. li. 1. Aeſchylus Eumenid. Horat. lib. 2. od. 2.

Nullus argento color eſt auaris
Abdito terris, inimice lamnæ
Criſpe Salluſti, niſi temperato
Splendeat vſu:

videtur eſſe quædam ſpecies & pulchritudo, vt, *—quid habet pulchri conſtructus aceruus?* vel potius ſpecioſa quædam cauſa & prętextus. quid enim cauſæ afferre, quid prętexere poſſunt qui ſuam pecuniam humi defodiũt? Inimicum autem Salluſtium dicit pecuniæ illi, quæ non temperato ſplendet vſu. Nam hoc extremum, ad ſenſum eſt accõmodatius ad Salluſtium referri, quàm ad argentum. Non enim erat inimicus ſimpliciter laminæ: ſed ei demum, quæ vſui non ſeruiret. ait Flaccus,

Horat. lib. 1. ſat. 1. Horat. lib. 2. ſat. 2.

Redditum Cyri ſolio Phraatem.

Phraates

Phraates ſæuiſſimus & crudeliſſimus Parthorũ rex à ſuis in exiliũ pulſus, Scytharum tandem opibus regnum recuperauit, vt Iuſtinus eſt auctor.

Iuſtin. lib. 42.

Quiſquis ingentes oculo irretorto
Spectat aceruos,

Horat. lib. 2. od. 2.

id eſt, quiſquis non eſt auarus, nec aſpectu pecunię magnopere mouetur: nam qui pecuniæ eſt auidus & ſtudioſus, ad eius aceruos ſubinde retorquet oculos ac penè ſtrabus efficitur, nec ſic ab ea auelli poteſt, quin oculos ſæpenumero reflectat, vt eam reſpiciat. eum igitur dicit, qui pecuniæ aſpectus oculos non deprauat, nec ſtrabos reddit, quod magnæ auiditatis eſt argumentum. Hinc & eos qui alicuius rei nimia cupiditate tenebantur, ſtrabones fieri dicebant. Varro, *multi enim, qui limina intrarunt integris oculis, ſtrabones facti ſunt: habet enim quiddam* ἐλλωπικὸν *prouincialis formoſula vxor.* Lucillius, *nulli me inuidere, non ſtrabonem fieri ſæpius delitijs me iſtorum.* At verò, *Dulci laborum decipitur ſono*, non credo accipiendum eſſe vt vulgò auditur. ſed decipitur dulci ſono laborum Alcęi: ac decipitur erit κλέπλεψ, non ſentit ærumnas, non ſentit pœnas. legi in duobus optimis libris, *dulci laborem decipitur ſono*, vt ſit Græcanica loquutio, decipitur laborem τὸν πόνον κλέπλεψ, atque ita Porphyrion videtur legiſſe.

Varro. Non. in Strab. Lucill. apud Non. ibid. Horat. lib. 2. od. 13. Porphyr. ibid.

Nec fortuitum ſpernere ceſpitem Leges ſinebant

Horat. lib. 2. od. 15.

cùm dicit, ſentit ex eius terræ ceſpite, quæ cuique fortè obtigerat, qui non ædificaſſet ductis lateribus, aut etiam crudo ipſo ceſpititio ſolo minimo ſumptu, legum pœnis obnoxium fuiſſe, cùm ſumptuoſam ædificationem publicorum in oppidis operum, & ſolidam è ſaxo quadrato ſtructuram templorum non priuatorum ædificiorum eſſe vellent.

Splendet in menſa ſalinum apud Flaccum, Parca non mendax dedit, trabes hymettiæ, cygnus Dircæus.

CAPVT XXII.

NECESSE eſt de gratia poëtarum multum pereat antiquitatis rudibus, cuius intelligentia & facem præfert eorum notitiæ, nec latere ſinit elegantiam: vt in illo Horatiano, *Splendet in menſa tenui ſalinum*, ſenſus inſulſus penè videatur, niſi quis intelligat ſalis fuiſſe quandam in menſa religionem, vnde ἱερὸς ἅλας, Græci dicunt, & appoſitus ſal menſam conſecrare videbatur: vnde & Arnobius ſcripſit, *ſacras facite menſas ſalinorum appoſitu, & ſimulachris deorum*. Sed tamen potiſſimum, tenuem & parcum pauperemque victum Horatius ſignificat hominum pro obſonio ſalem lingentium, quod pauperes olim faciebant, vt apud Perſium

Horat. lib. 2. od. 16. Arnob. lib. 2.

Varro reguſtatum digito terebrare ſalinum.
Contentus perages.

Perſ. ſat. 5.

Illud

Horat. lib. 2. od. 16. Illud eiusdem cantici, pendet etiam è vetere ritu, *Parca non mendax dedit.* Nam vltima hebdomadis die, qua quis in lucem editus erat, fata vocabãtur quæ scriberentur, quòd eo die viderentur Parcæ in totam statuere vitam, qua fortuna futurus quis esset. Tertullianus, *dum per totam hebdomadã Iunoni mensa proponitur, dum vltima die fata scribenda aduocantur.* hinc illud Maronianum,

Tertullian.

Talia fata suis dixerunt currite fusis.
Non trabes Hymettiæ Premunt columnas.

Virg. 4. Eclog. Horat. lib. 2. od. 18.

Trabes hîc non è materia, sed marmore sunt, imponebanturque columnis. Id eò dico, quòd mirum videri quibusdam intelligo è lapide trabes fieri: Plinij tamen id confirmabimus auctoritate, qui libro 36. ita scribit, *Circa Syenem verò Thebaidis Syenites, quem ante pyrrhopœcilon vocabãt. Trabes ex eo fecêre reges quodam certamine obeliscos vocantes.* Illud porrò,

Plin. lib. 36. ca. 8.

Pacis eras mediúsque belli,

Horat. lib. 2. od. 19.

valet, in media versabaris pace medioque bello, atque eras ad vtrunque tempus accõmodatus. Dicitur autem medius belli, vt in sanctissimo Euãgelio μέσος τις ὑμῶν ἔστι. Cæterùm cùm ῥοῖκος Græcè vocetur quidam è Gygantum numero, haud dubitanter affirmauerim esse in Horario Rœcum non Retum legẽdum. In alio autem cantico, cùm se in album alitem, id est in cygnum mutari dicit, id eo facit consilio, quòd olores in Apollinis tutela sint, & de illius canoræ auis modulis poëtæ olores vocari interdum soleant: vnde & de Pindaro cecinit,

Horat. ibid. Horat. lib. 2. od. 20.

Multa Dircæum leuat aura cygnum.

Horat. lib. 4. od. 2.

Respexit tamen potissimum ad mutationes Pythagoricas à Platone celebratas. Nam eos censent, qui numeris delectati poëticis sunt alterius exordio vitæ in olores mutari. Plato libro decimo de Repub. ἰδεῖν μὲν γὰρ ψυχὴν ἔφη τὴν ποτὲ ὀρφέως γενομένην κύκνου βίον αἱρομένην. Apud eũdem etiam Thamyræ animus lusciniæ vitam deligit. Denique persuasio erat Pythagoreorum aues canoras in cantores & poëtas renasci, & cantores & poëtas in aues musicas verti.

Plato lib. 10. de Repub.

Quædam in oratione pro Rabirio obseruata, posthumus, dare partes, populus seruatus, cataplus. CAPVT XXIII.

Cic. pro Rabirio Posthum.

C. RABIRIVS cognomento Posthumus natura C. Curtij (Curtius enim in Cicerone non Curius legendum) filius, adoptione Rabirij, repetundarum accusatus est, aduentitio quodam iudicio & subsidiario, quod dicebatur, quò ea pecunia peruenisset: hoc genus iudicij proditum erat in alios, cùm de alicuius rei repetundarum bonis summa litium æstimatarum

tarum non poterat redigi, ad quos ea peruenisse videbatur, vt ex ea oratione & epistolis ad Atticum apparet: maiestatis tamen crimen obiectum Rabirio dicit Tranquillus, quòd Ptolemæum sequutus esset. *Referens*, inquit, *maiorum temporibus Rabirio Postumo Ptolemæum Alexandriam rediti seruandi causa sequuto, maiestatis crimen apud Iudices motum.* sed illud maiestatis crimen accessiuncula quædam & appendicula iudicij potius est, quàm summa quæstio causæque cardo. Postumus autem vocatus est, quod post mortem patris Curtij natus sit. Quare scribit Cicero, *quamuis patrem suum nunquam viderit.* Solebant enim sic omnes appellari, qui post mortem patris nascebantur. testes sunt Iurisconsulti, testis Plautus,

Suet. in Iul. Cæsar. cap. 16. Cic. pro Rab. Post. Tit. de Lib. & Post. ff. Plaut. Aulul. Sc. Vt lum te arbitrari.

Post mediam ætatem mediam qui duxit vxorem domum,
Si eam fortè senex anum grauidam fecit,
Quid dubitas quin puero sit nomen Postumus?

Porrò in ea oratione dare partes, est munus aliquod & administrationem rei cuiuspiam cõmittere: *dare partes, augere, fide sustentare.* sic eripere partes in Vatinium dixit, *eripuerísne partes illo tempore carissimas partim à Cæsare, partim à publicanis?* habere etiam partes dicit: *magnas partes habuit publicanorum.* Dedit autem se regibus, est impertijt, permisit, vt in Oratore, *vt se Crasso daret:* genusque loquendi est & elegans & forense, & è populi sumptum sermone. Legendum autem in ea oratione suspicor, *quò ille, qui accipiebat, tum sumeret quærere*: sed & in veteri exemplari, cui quantum tribuendum sit, lector viderit, pro, *nec ex bonis quanta summa litium fuisset, populus recepit*: legi, *nec ex bonis populi seruati*: quasi populi, quibus condemdatus fuit Gabinius, ante eius furtis & peculatu perditi, recuperata litium æstimatione seruati sint. At verò pro Flacco Iudæi seruati dicuntur, quorum elocata sunt publicanis vectigalia, & populo Romano seruata. Itaque non sunt liberi dimissi Iudæi, sed serui facti, vt sint in ditione populi Romani, & vectigalibus. *Quod in Gabinium iudex esses nihil Gabinio datum, cùm in eum lites æstimarentur:* sententia est, si modò ista incorrupta sunt, eo capite tenetur Postumus, quòd in Gabinium iudex fueris. Nam ijdem iudices in repetundarum erant quæstione, & iudicij appendice. Iudicabas autem an Gabinio nihil esset datum, pecuniasque non conciliasset, vt ipse dicebat. Nam ex æstimatione litium, redundat reus Postumus, ad quem pecunia peruenit, quæ de bonis Gabinij non potuit redigi. Demetrium autem cùm dicit ex Repub. id ad Platonis & Calliphenis distinctionem facit, qui Rempub. non attigerant: non solum autem Rempub. Athenis gesserat Demetrius, sed etiam præclarè ordinauerat, & quosdam magistratus constituerat, vt Cicero de legibus scribit: idq; est quod hîc *optimè digessérat* Cicero ait: eleganter tamen in antiquo libro *gessérat* scribitur

Cic. pro Flacc. Cic. pro Rab. Post. Cic. ibid. Cic. pro Rab. Post. Cic. in Vatin. Cic. pro Rab. Post. Cic. in Orat. Cic. pro Rab. Post. Cic. ibid. Cic. pro Rab. Post. Cic. 2. de Leg.

non

non *digeſſerat*. Decumæ porrò Imperatorum,ſunt decumæ imperatæ pecuniæ.Lego,*qui laudauit, ijſdem teſtibus, & quidem non productis, ſed dictis teſtium recitatis, quaſi præiudicata res ad has cauſas afferri ſolet.* Iſta enim interpũctio turbidum ſenſum eliquabit.Lego etiam, *dicere audiebamus Alexandriam, nunc cognoſcimus* : hoc ſenſu, audiebamus eſſe loquaces & dicaces Alexandrinos & leues,id nunc re cognoſcimus:& pro,*nummorum argumenta*,mimorum è veteri libro lego.quam emendationem & vicinitas vocabuli, & ſignificatio argumenti propè ſine codice dictabat. Sed & pro,*vitro* libentius *nitro* quidam legunt: quòd hoc genus mercis,vt chartæ & lintea,afferri ex Ægypto ſolebat: ſed *vitro* cur retineam facit Martialis, qui ex Ægypto in lemmate calicum vitreorum oſtendit hanc mercem ſolitam afferri,

Cic.ibid.

Mart.lib.14. epig.115.

Aſpicis ingenium Nili: quibus addere plura
Dum cupit,ah quoties perdidit auctor opus.

ductæ, inquit, *naues Poſtumi,Puteolis ſunt auditæ viſæque merces,fallaces quidem & fucoſæ chartis,linteis,& vitro delatæ*: dicit ductas in Ægyptũ naues Poſtumi fuiſſe Puteolis,quod eratEmporium Romanorũ,viſas & auditas merces, ſed fucoſas merces vitro & linteis eſſe Puteolos delatas ad crimen pecuniæ diſſimulandum: *quibus cùm multæ naues refertæ fuiſſent, vna non patuerit parua arctata*,id eſt referta & plena pecunia. verùm in ſcripto libro extat, *potuerit*: quaſi non potuerit referciri charta & linteis, quòd onuſta eſſet multa pecunia eam deprimẽte.ſed in antiquitatis monumentis *dictæ naues Poſtumi Puteolis ſunt*,reperio perbono ſenſu.audiui qui pro *arctata* legeret *acatus*,audacter nimis:etiam qui *ærata*,quod nec mihi probatur. ſed aliquid fortaſſe non incommodè hîc comminiſcar: legendum enim puto, *vna non patuerit parua, cataplus ille puteolanus*, vt apud Martialem, *Cùm tibi Niliacus portet cryſtalla cataplus*, id eſt nauigatio & appulſus.

Cic.ibid.

Mart.lib.12. epig.75.

Quædam in Pœnulo emendata,bilingues,migdilibs,merulea.

CAPVT XXIIII.

MANVM admouebo quibuſdam Plauti vlceribus,ſalutarémne an cõtra,docti exiſtimabunt.Is in Pœnulo ſcribit,

Plaut. Pœnulo Sc.Si ego minam.

Deglupta mæna,ſarrapis ſementium,
Maſtruga,hals agoras hama,tum autem plenior
Alli vlpicique quam Romani remiges,

hos verſus,qui in exemplaribus ſic ſcribuntur,vt non intelligantur, excudendos ſic curaui vt reperi. mænam appellat, vt & allecem, ex viroſo & graui ſalſamentorum odore & gari vitio, ac liquaminis: Deglupta verbum

bum eſt turpiſſimum,vt φαλὸς Græcè,cuius ſcilicet renudata eſt pudendorum glans. hîc Sarrapis eſt, qui Serapis dicitur Ægyptiorum deus, cuius imagini ſenis formam comparat: vt autem ſuſpicor, per ſementes Serapis à ſuis ſacerdotibus per pagos ad ſtipem colligẽdam circunferebatur, vt meſſis vberrima proueniret eius numine. Nam agriculturæ præerat: congeminata porrò eſt litera r, ad productionem primæ ſyllabæ: eſt & ſarapis Perſica tunica,inquit Heſychius. Sed profectò diſſocianda eſſe puto elementa,quæ malè adiuncta ſunt non ſuis verbis,legendumque,

Heſychius.

Deglupta mænas,arra piſa ementium.

Mollem enim virum ſic contumeliosè appellabit bacchã, & obſcœnum intelliget, & qui pro arra dari poſſit vilis mercimonij. Maſtruga autem, quæ veſtis ſcortea eſt,peſſimè & grauiſſimè olet. maſtruga Sardi vtebantur, vt alio doceo loco: ſed & barbari Septentrionales qui pelliti erant: Prudentius,

Prudent. 2.li. contra Symm.

Tentauit Geticus nuper delere tyrannus
Italiam,patrio veniens iuratus ab Iſtro,
Has arces æquare ſolo,tecta aurea flammis
Soluere,maſtrucis proceres veſtire togatos.

Cæterùm vt ſalſamenta odore offendunt, ſic & in foro ſtrues ſalis. in ſequenti ſcena pro,*aduerſum quidem*,lego,*haud verbum quidem, merulea* porrò in ea comœdia, ea eſt quæ, vt merula, tota nigra eſt: etſi *morula* alij legunt, quod eſt maurula, à Maurorum colore. Quid quod in antegreſſa ſcena pro,*ſperate ſalue*,legendũ eſt mutata perſona *ſperata ſalue*? Nam ſperata dicebatur quam procus ſperabat ſponſam ſuam fore. ſed & vbi ſcribitur,*cocleæ ſunt è teſta, vt ſe ſuſtolli ſolent*, non dubitanter legerim, *Græcæ ſunt hæ columnæ, ſuſtolli ſolent*. erant enim Græcæ columnæ Romanis in pretio & ſtudio: ſolent autem columnæ,vt operi accommodentur, erigi & ſuſtolli,ad quam ſimilitudinem reſpexit.Sed & Græcæ in alta baſi collocabantur,& in loco aperto patenteque hominum oculis,ne tale domus ornamentum lateret.illud verò obſcurum eſt & corruptum,

Plaut. Pœnul. Sc. Decipitur nemo. Plaut. Pœnul. Sc. Si ego minam. Plaut. Pœnulo. Sc. Euit hodie. Plaut Pœnulo. Sc. Quis pultat.

Qui huc aduenisti nos captatum magdalia.

Ego in peruetuſtis membranis reperi,quod quàm proximè ad verum accedit,*micdilix*:puto enim ſcribendũ *migdilibs* pro migdilibys,vt Libs ventus eſt Africus.erit autem migdilibs,mixtus Libys,vt illum mixti generis ſignificet,& bilinguem,id eſt Λιγλωτίου & μιγάδα, quales erant Carthaginenſes: Maro, *Quippe domum timet ambiguam Tyrióſque bilingues*. Nam Carthaginenſes & lingua Tyriorum & Afrorum vtebantur. duplici autem lingua qui vtuntur,infideles & veteratores improbique habentur. Itaque Hanonem vt bilinguem dicit eſſe biſulca lingua quaſi proſerpentem beſtiam.

Plaut.Pœnulo. Sc.Ain' tu tibi dixiſſe.

Virg.1.æneid.

Facies quidem ædepol punica eſt, guggaſt homo:

Plaut.ibid. in ijſdem membranis exaratum erat: ab omnibus tamen editionibus expunctum. Gigantes autem, Stephano, populi ſunt Libyæ, Herodoto Zigantes vocantur: quanquam in Herodoto Stephanus Gigantes potius legiſſe quàm Zigantes videtur. *gugga eſt homo*: Plautus videtur ſcripſiſſe. hanc veluti mendarum decumam illius fabulæ, neque enim omnes perſequi conſilium fuit, huc conijcere non inſcitum credidi.

Stephan. de vrb. Herodot.

Summa ſummarum, neque cenſeat, iecit rete, poſtpartores, mutuamur, ar me, dum moliuntur apud Terentium.

CAPVT XXV.

Plaut. Trucul. in Prolog. IN Truculento Plauti auferre cum puluiſculo, eſt nihil quicquam reliqui facere, ſed omnia conuertere, ac minimam etiam ſcobem ac ramentum, puluereméque rapere. Summa ſummarum in eodem eſt, cùm in ratio-

Plaut. Trucul. Sc. Non omnis ætas. nibus multa nomina & capita in vnam ſummam rediguntur, ac ſic multis ſummis factis, omnia tandem in vnum conſummantur. Nam vt capita in ſummam, ſic ſummæ in ſummam ſummarum rediguntur: in Lucretio autem ſumma ſummarum immenſitatem ipſam vniuerſi ſignificat. *Sin iecit rete*, valet ſi piſces incluſit & cepit, quod eſt ἔβαλε: vnde & βόλος.

Lucret. lib. 5. Plaut ibid.

Vnde anteparta demus poſtpartoribus.

Plaut. ibid. id eſt noſtris ſucceſſoribus & hæredibus, qui poſt nos noſtra adepti bona poſſident.

Accipiat illico expenſa neque cenſeat,

Plaut. ibid. valet, ſi quid expenſi tulit, mox ferat, neque tandiu deſideat in argẽtarijs, quaſi cenſum agat, & accipiat, & cenſus tabulas cenſoris more cõficiendas curet. *Vt diu eſſem incolumis voijs.*

Plaut. Trucul. Sc. Ad fores auſculto. Videor non temerè nec confidẽter affirmaturus *vobis* legi debere: &, *vt in æſtu mutuamur*, quod eſt, vt in æſtu alternamur, reciprocamur, mutamur,

Plaut. ibid. quod eſt ἀλλατόμεθα, τρεπόμεθα. mutuum enim à mutatione nomen habet. Nam quod aiunt ex eo dici, quia ex meo tuum fiat, bellè magis & ſcitè, quàm verè dictum arbitror. Cluſinum pecus pro clurino fortaſſe legendum: in quo iocus ab vrbe Cluſio, vbi non admodum egregia erant

Plaut. Truc. Sc. Quis illhic. fortaſſe pecora, & ex ambiguitate à cludendo: clauduntur enim meretriculæ quæ clam habentur, & pecora morbida. non deſunt qui larinum legant: alij ælurinum, id eſt felinum pecus à felium turpitudine: etiam quidam lurinum id eſt coriaceum. Iam, *ar me aduenias*, antiquè dictum pro ad me aduenias videtur. legendum ſuſpicor,

Plaut. ibid. *Mancupium qui accipias geſta tecum penos annuos,*

quomodo

quomodo loquutum Plautum annotat Priſcianus. ſic quidem & modulo verſus, & ſententiæ lepori conſuli videtur. quid ſi tamen legamus, Priſcianus.

Mancipium qui accipias geſta tecum me, nos annulos.

vt illum ſeruum, & ſe ſeruam indicet: vel potius, *ahenos annulos*, vt fugitiuum perſtringat, qui retrahendus ſit catenis, cùm etiam ferrei annuli ſeruitiorum eſſent, & æris nomine veniat ferrum. ſanè cùm *Lauiniæ hic ſunt*, Plaut. ibid. ſcribit, ad Lauiniam Latini filiam reſpexiſſe videtur. hamaxari eſt plauſtrum trahere: bos patulus, qui patentibus eſt in diuerſum ſupra modum cornibus. tales enim & plauſtris & aratris apti.

Non enim ille meretriculis moliendis rem coëgit. Plaut. ibid.

valet mouendis, aut potius deliniendis: in Terentio,

Dum moliuntur, dum comuntur annus eſt, Terent. Heautont. Act. 2. Sc. 2.

valet dum ſurgunt, dum ſe mouent.

Vaſa, ſuperſtitio, oſcedo, lymphatici, telum, tolles, ſtrenæ.

CAPVT XXVI.

VASA etiam omne inſtrumentum ſignificant, vt venatorium quoque apud Gratium, *—nec ſibi turbam* Grat. de Ven.

Contraxit comitem, nec vaſa tenentia latè.

eo nomine ſupellex Liuio intelligitur cùm ſcribit, *vaſa comitesque meos.* Liu. lib. 1. ab vrb. cond. ſed nos hîc acu pingimus, & velut belluata conficimus Babylonica, varietatique ſtudemus. veteres ſignis interdum ſolebant imponere concham, eaque contegere. Ariſtophanes,

Καὶ τῇ κόγχῃ τῇ πάνυ σεμνῶς τοῖς σημείοισιν ἐπῴσῃ. Ariſtophan. Veſpis.

Priſcianus, *Claxendix quod ſignificat concham, qua ſignum tegitur: Plautus in Vidularia. Appoſita eſt claxendix, at ego ſigni dicam quid ſit.* Cùm Lucretius Priſcian. lib. 5. ſcribit ex Epicureorum impiorum ſententia de religione,

Horribili ſuper aſpectu mortalibus inſtans, Lucret. lib. 1.

ſignificare videtur ſuperſtitionem eſſe appellatam, quòd ſuperſtet & ſupernè impendeat nobis: quæ quidem eſt ſententia non mea, ſed Iſidori ſic hunc locũ intelligentis. Oſcedo Gellio vitium eſt quo ſæpe oſcitamus, Gell. lib. 4. ca. osq; diducimus: verùm Sereno ſignificat potius oris vlcuſcula, cùm ſcribit, 20.

Hinc oſcedo fugit, linguæ quoque vulnera cedunt. Seren. ca. 14.

Oſcedo, inquit Iſidorus, *eſt, qua infantium ora vlcerantur:* vt exiſtimo aphthas Iſid. lib. 4. medici vocant. Lymphatici ſunt plerunque homines mente commoti & Etym. cap. 8. laruati: eo etiam nomine intelliguntur hydropici, Serenus de hydrope loquens, *Helleboro quoque purgatur lymphaticus error.* Sed & lympha- Seren. ca. 27. tici etiam Iſidoro ſunt, qui à rabioſo cane morſi aquã metuunt: adſcribam

Isid.li.4.c.6. Isid.ibid. eius verba, *vnde & Latini hunc morbum ob aquæ metum lymphaticum vocant. Telum lateris dolor*, inquit idem Isidorus: *dictum autem ita est à medicis, quòd dolore corpus transuerberet, quasi gladius.* hæc lucem afferent Sereno scribenti,

Seren.cap.22. *Est ea vis morbi, quod telum commemoratur,*
Cùm subito dolor insanus furit incitus ictu.

Isid lib.11. cap.1. Scribit idem Isidorus, *tolles Gallica lingua dici, quæ vulgò per diminutionem tonsillæ dicantur, quæ in faucibus turgescere solent.* hæc verba falsi conuincunt hanc Sereni scripturam,

Seren.cap.16. *Quos autem vocitant colles, attingere dextra*
Debebis, qua gryllus erat pressante peremptus.

scribendum enim arbitror, *quos autem vocitant tolles*, vt hæc curatio tonsillarum sit. Strenarum origo, qua felicem ominamur annum ipsius auspicio & initio, à Tatio rege manasse dicitur, qui primum Romuli hostis, deinde collega in regno Romano fuit. hoc, quia & strenæ ne hoc quidem tempore exoleuerunt, literis mandare volui, vt & antiquitatem rei intelligamus, & quem auctorem eius moris habeamus, sciamus. Si quis autem quo auctore ista loquar quærit, laudare Symmachum possum, qui in quadam

Symmach. lib. 8. epist. 4. epistola sic scribit, *Ab exortu penè vrbis Martiæ strenarũ vsus adoleuit auctoritate Tatij regis, qui verbenas felicis arboris ex luco Streniæ anni noui auspices primus accepit*, DD. *Imperatores*: *nomen indicio viris strenuis hæc conuenire ob virtutem.* sed tapetum hoc Babylonicum satis distinctum variatumque est.

Si trulla inuerso apud Iuuenalem quid? municipalis arena, parapsis, in consilio esse, dij phecasiani, sportula, caligatus.

CAPVT XXVII.

Iuuen.sat.3. SVBSTITIT *ad veteres arcus*, quod apud satyricum legimus, de arcubus aquæductuum, qui illic erant, interpretandum putamus.

Hic vbi nocturnæ Numa constituebat amicæ

valet, vbi ad constitutum illi denuntiabat, vnde & venire ad constitutum dicimus.

Et præbere caput domina venale sub hasta

valet, qui se etiam vendi sub hasta in auctione pati possunt. Municipalem autem arenam dixit ad contemptum, quòd in muneribus gladiatorijs municipiorum non vrbis operam locarint.

Si trulla inuerso crepitum dedit aurea fundo:

id est, si trullam vini ebibit ita, vt & fundum inuerterit, & epoto toto vino labris fugens crepuerit & strepitum dederit.

Iuuen.ibid. *—quàm multa magnáque paropside cenat.*

Ferè

Ferè in veteribus exẽplaribus parapsis legitur, & Hesychius non tantùm paropsidem appellari, sed etiam parapsidem obseruat: quod ideo noto, vt intermortuum vocabulum, in libris repullulet. *Quando in consilio est ædilibus?* Magistratus de re aliqua cognituri aut consultaturi sibi aduocabant, quos in consilio haberent. Cicero de Amicitia, *Cùm ad me qui adcram Lenati & Rutilio coss. in consilio deprecatum venisset.*

Hesychius. Iuuen.sat.3. Cic.de Amicitia.

—tandemque redit ad pulpita notum Exodium.

Iuuen.sat.3.

Exodia in Attellanis fabulis diuerbia vocabantur, quòd tragœdis scena egressis ad recreandum spectatorem è pristina mœstitia subijciebantur.

Rusticus exodio risum mouet Attellanæ,

Iuuen. sat. 6.

inquit alio loco: Et Cicero ad Pætum, *quando tu secundum Oenomaum Accij, non, vt olim solebat Attellanum, sed, vt nunc fit, mimum introduxisti.* hoc liquidò monstrat secundũ tragœdias ioci, & risus causa Attellanarum exodia induci solita fuisse: quod quidem exodij vim & notionem declarat, & iam antè attigimus: hinc & exodiarius, qui etiam quadã similitudine dici quibusdã videtur in alijs spectaculis apud Marcellinum, *vt in omni spectaculo, exodiario, venatori, aurigæ, histrionum generi omni.* Phecasianorum vetera *ornamenta deorum*: vt minianus Iupiter pro miniato à M. Tullio dicitur in epistolis: itẽ hîc phecasianus pro phecasiato, id est phecasijs calciato. Phecasium interpretatur calceamentum rusticum Hesychius: apud Plutarchũ calceus est Græcanicus. Deorum igitur Græciæ & templorum ornamẽta Iuuenalis significat. Nam in tẽplis erant tabulæ pictæ atq; signa. *Si vocat officium*, significat si ad officium nuptiarum diues vocatus est, aut ad aliam celebritatem, pompam, deductionem: in his enim perfæpe nomen officij poni solet.

Marcel.lib. 28. Iuuen. sat. 3. Cic.9.fam. epist.16. Hesychius. Plutarchus. Iuuen.sat.3.

Nónne vides quanto celebretur sportula fumo?
Centum conuiuæ: sequitur sua quenque culina.

Hîc sportulam non intelligo centum quadrantes: sed cœnam, quæ, quòd initio in sportula dabatur, inde nomen meruit: vnde & à Græcis δεῖπνον ἐν ἀγυρίοις vocatur, id est cœna in calatho.

—& sonat vnctis
Striglibus, & pleno componit lintea gutto:

In archetypis reperio libris: in quibusdam, *strigilibus & pleno*, vt proceleusmaticus sit. *Vt sint contentæ patulas defundere pelues:* quod est deorsum fundere: in excusis effundere est, sed illud exẽplarium est antiquorum: vt &, *—flammarum & ahenea lampas*, in quibus per dissimulationem conniuendum non fuit.

Adiutor gelidos veniam caligatus in agros:

id est velut audax miles adiutor satyrarũ veniã, nisi illas mei pudet auxilij.

LIBRI DECIMI FINIS.

ADRIANI TVRNEBI ADVERSARIORVM LIBER VNDECIMVS.

Ductus, ſuccus orationis, aræ gramineæ, ceſpes, probatio hoſtiarum, Sila, Acca, ſalue & vale.

CAPVT I.

QVÆ Græci Rhetores ἐσχηματισμένα, id eſt figurata vocant, de quibus apud Quintilianum reperire licet, ſed & *cauſidicorum figuras* dicit Suetonius, in his etiam Latini poſuiſſe videntur ductus, quod & è Fortunatiano patet, & è Seruio ita ſcribente, *ductus eſt, vt diximus ſupra. Pollicetur enim ſe ſingulari certamine dimicare velle, cùm nolit.* Nominant & Grammatici ſuccum orationis, vt Donatus in Terentium, *bono*, inquit, *ornatu addidit in ſe, cùm & ſine hoc plenum videri poſſit, & hic eſt quem Cicero ſuccum orationis appellat.* Omnes, inquit Cicero, *retinebant illum Periclis ſuccum.* Aras gramineas (nos enim hîc ludibria ſomniorum varia narramus) Maro intelligit libro 12. ceſpititias, quales in caſtris excitabantur, & vt tribunalia: quanquam & è ceſpite ſubitas etiam ſibi alias aggerabant aras, & ceſpitem pro ara habebant. Horatius,

Poſitúſque carbo in ceſpite viuo. Iterum,

Hic viuum mihi ceſpitem, & Verbenas pueri ponite.

ſed & ceſpitem interdum Romano ritu aræ imponebant, vt Seruius notat. Prudentius, *Aut ara, thure & ceſpite Precanda iam nunc eſt tibi,*

Velati limo, multi in Virgilio legunt. Nam limus veſtis erat ab vmbilico ad pedes, ad pudenda poparum tegenda: Higenus limum cinctum ideo dicit vocatum, quòd purpurâ tranſuerſam habeat: habebat enim in extremo purpuram limam. Olim ante immolationem hoſtiæ probabantur farre & ſale & cultri notatione ducti à capite ad caudam: Plutarchus, δεῖ γὰρ τὸ θύσιμον τῷ τε σώματι καὶ τῇ ψυχῇ καθαρὸν εἶναι, καὶ ἀσινὲς καὶ ἀδιάφθορον. μήνυτρα μὲν οὖν περὶ τὸ σῶμα κατιδεῖν, ἃ πάνυ χαλεπόν ἐστι· τῷ δὲ ψυχρῷ δοκιμάζουσι τοῖς μὲν ταύροις ἄλφιτα, τοῖς δὲ κάπροις ἐρεθίνθους παραπθέντες. τὸ γὰρ μὴ γευσάμενον, ὑγιαίνειν δοκεῖ ὁσιοῦν. τῷ δὲ αὖγα διελέγχει τὸ ψυχρὸν ὕδωρ· ἃ γὰρ εἶναι ψυχῆς καὶ φύσιν ἔχόσης

Quint. lib. 9. cap. 1. Suet. in Veſp. cap. 13. Fortunatian. Seru. in 12. æneid. Donat. in Phorm. Terent. act. 2. Sc. 1. cic. 2. de Orat. Virg. 12. æneid. Horat. lib. 1. od. 19. Pruden. hymno 5. περὶ στεφάνων. Virg. 12. æneid. Higen. de limitib. agror. Plutarchus.

ἐχόσης τὸ πρὸς τὴν κατάπεισιν ἀπαθὲς καὶ ἀκίνητον. hæc de probatione corporis & animi hoſtiarũ Plutarchus: ſed & Pollux ait oportuiſſe hoſtias eſſe mẽbris omnibus & artubus integras, non mutilas, non læſas, non diſtortas. hęc eo ſcripſimus, quòd multis in locis ad explicationem poëtarum vtilia fore ſperamus. Cùm in dialogo Bruto apud Cic. ſcribitur: *Nã cùm in ſilua ſua, ita facta cædes eſſet, notique homines interfecti*, quod proculdubio inquinatum eſt: fortaſſe ſcribendum eſt, *cùm in ſilua Sila facta cædes eſſet*. Non me latet alios emendare, cùm in ſilua Scantia. mons autem Sila erat: in quo ſilua. Maro,

Ac veluti ingenti Sila ſummóue Taburno:

Vbi Seruius, *Sila*, inquit, *mons eſt ſiluæ Lucaniæ: Salluſtius de fugitiuis, in ſilua Sila fuerunt.* non temerarium eſt, quod Maro ſodalem attribuit Camillæ Accam, cùm ait,

Tum ſic expirans Accam ex æqualibus vnam
Alloquitur.

Nam & Acca Larentia Romanorum ſuperſtitione conſecrata erat: & Accæ nomen à poëtis alijs poſitum legimus, vt à Sueuio hoc verſu,

Admiſce tu Acca baſiliſcis, hæc nux partim, Partim perſica.

Apparet Amphitheatrum venationum cauſa ædificatũ fuiſſe, quod proinde Dio vocat venatorium theatrum: eius verba ſunt,

ὥστε κυνηγετικῷ τινὶ θεάτρῳ τὸ ὄρος σύμπαν ὡς μικρὰ μεγάλοις εἰκάσαι, ἐοικέναι.

—ſalue æternùm mihi maxime Palla,
Æternúmque vale.

Virg. 11. æneis. Seru. ibid. Virg. 11. æneis. Apud Macrob. lib. 3. Saturn. cap. 18. Dio. Virg. 11. æneis.

Salue dicimus in ſalutatione matutina, & cùm aliquem adimus: vale, cùm diſcedimus: vtrunque Virgilius poſuit. Suetonius in Galba, *vt liberti ſeruique bis die frequentes adeſſent: ac mane ſaluere, veſperi valere ſibi ſinguli dicerent*. hæc verè loquendi ſartago eſt & ſcribendi è multis confuſa, quæ nemini fortaſſe magis quàm auctori diſplicebit. Suet. in Galba cap. 4.

Hermodorus in Vitruuio legendum, Cherſiphron, varicus, Capitolium, ſcamillum, ſcotia, in Vitruuio.

CAPVT II.

VENIT in mentem locos aliquot è tertio Vitruuij his annotationibus intexere. ita igitur ſcribit, *quemadmodum eſt in porticu Metelli Iouis Statoris Hermodi*: ſuſpicor legendum eſſe *Hermodori*, qui non tantùm hanc porticum Romæ ſit architectatus ad finem circi Flaminij, verùm etiam in circo Flaminio ædem Martis. Nepos apud Priſcianum, *Ædes Martis eſt in circo Flaminio architectata ab Hermodoro Salaminio*. hunc crediderim Hermodorum

Vitru. lib. 3. cap. 1. Priſcian. lib. 8. de ſignific. vel gener. verb.

modorum esse, qui cum Philone architecto Athenis contendit de armamentario faciendo, qua in contentione, vt minus eloquens, victus fuit. Cicero libro primo de Oratore, *Nec si huic M. Antonio pro Hermodoro fuisset de naualium opere dicendum, non cùm ab illo causam didicisset, ipse ornatè de alieno artificio copioséque dixisset*. nisi si fortè de naualibus vrbis Romæ hic agitur, quæ fortasse ædificauit Hermodorus: idque verisimilius arbitror, fortasse autem eodem in libro pro *amnestæ*, scribendum est *à Mnesteo*, vt nomen sit architecti, de quo amplius quęrẽdum. iam qui nominatur *Ctesiphon* architectus templi Dianæ Ephesiæ, à Strabone *Chersiphron* appellatur, vt citra controuersiam mendum sit, vel in Vitruuio, vel in Strabone: & si verisimilius in Græco artifice minus vitiosos esse Græcos auctores. Itaque Chersiphron videtur appellari debere. In araeostylis dicit Vitruuius ipsam ædium speciem esse barycam, barycephalam, humilem, latam, hîc barycam vocem nullus Græcorum agnosceret, neque ea est assis vnius, vel verius nihili est. quid igitur si *varicæ* legamus? vt enim varicus dicitur, qui longè diuaricat crura, metiturque grandes passus. Ouidius,

Illa velut coniux Vmbri rubicunda mariti
Ambulat, ingentes varica fertque gradus.

sic laxitas illa columnarum efficiet, vt ædes varica videatur, nec verò secus sentio de voce barycephalæ, legendumque suspicor *varicæphalæ*. vt varicarum phalarum quædam species appareat. id eò verius puto, quòd nihil hic agitur de grauitate capituli columnarum. non desunt qui in Vitruuio alterum nomen deleant vt superuacaneum, scribantque, *species sunt barycephalæ* Pompeianum autem Capitolium quodnam esse suspicamur? opinor illud fuisse, quod erat Pompeijs in Campania. non enim tantùm Romę, sed etiam Capuę, Narbone, Pompeijs Capitolium erat & in multis municipijs & colonijs, imitatione Romanorum: de Narbonensi Sidonius, *delubris, Capitolijs, monetis*: & in vita sancti Apollinaris, *statuit ante pontifices Capitolij Rauennatis*. fuit & Tolosæ, Sidonius de sancto Saturnino, *gradu summo Capitoliorum præcipitatum*. vnde hodieq; quidam magistratus illic Capitolini vocantur. *Adiectionem per scamillos impares* cùm Vitruuius scribit, significat per paruula scamna. vt enim à mamma mamilla diminuitur, sic à scamnum scamillum, auctor Priscianus, qui &illud affert, *verum infirma scamillorum obice fultæ fores*: alij scabillorum legere malunt. Quod scotiam dicit à Græcis trochilon appellari, vide ne τρόχιλον potius scribendum sit, vnde & nunc gula vocatur: quanquam trochilos dici à similitudine orbiculi trocleæ potest: nec proinde mutandum. est autem scotia verbum Græcum, quod Hesychius triglyphum dicit significare: eius verba sunt, σκοτία μέρος τι ϖρὸς τοῖς ἀρχιτέκτοσι ϖεσσαγορεύομϑον τρίγλυφον.

Cic. i. de Orat.

Vitru. lib. 3. cap. 1.

Strab. lib. 14. Geogr.

Vitru. lib. 3. cap. 2.

Ouid. 3. de art. amand.

Vitru. ibid.

Sidon. Carm. 23.

Sidon. li. 9. epist. 16

Vitru. lib. 3. cap. 3.

Prisc. lib. 3. de diminut.

Vitru. lib. 3. cap. 3.

Hesychius.

φον. *Tunc ab summo*, inquit Vitruuius, *sub abaco inceptum in singulis tetrantum actionibus*, è veteribus libris hîc scribendum reor *tetrantum anconibus*. *Cauus autem intersectionis* excuditur. in scripto libro *camus* exaratum est. *Simæ quas* Ϭριγλυφίδας *dicunt*, legendum crediderim Ϭριγλυφίδας, veluti supermammillaria. hæc ego pauca perstrinxi, cùm doctissimi interpretis opera in eo auctore enucleando, nihil propè alijs reliqui fecerit.

Vitru. lib. 3. cap. 5.

Vitru. ibid.

Priscian. lib. 3.

Vitruuius emendatus, parapegma, betaceus, maluaceus, Lyde. CAPVT III.

LIBRO Vitruuij nono veterum astrologorum nomina commemorantur: sed ita nõnulla, vt cùm eorum inuentis lucem cœlum illustratum acceperit, vetustas eorum nomina penè obliterarit. sic igitur scribitur: *Eudoxus, Eudæmon, Callistus, Melo*. Æmarus Ranconetus, qui nuper magno literarum incommodo de crimine falsò suspectus in carceris pędore è vita excessit, legendum credebat, *Euchemon, Callippus, Meto*: quæ illustrium astrologorum nomina à mortuo Ranconeto nunc vitam posteritatisque memoriam accipiunt, æternis propè tenebris damnata quorundam inscitia omnia deprauantium. Callippi etiam & Metonis apud Ptolemæum mentio extat. hos autem astrologos scribit Vitruuius parapegmatorum disciplinas inuenisse: sed quæ sint parapegmata quæstionis est. ego eo nomine censeo significari instrumenta astronomica, vt astrolabum, & quæ eiusdem generis sunt, quibus ratio cœli cursusque siderum, & regiones sedesque eorum, cognoscũtur. Suidas, Ϭαράπηγμα, inquit, κανὼν, ἢ εἶδός τι ὀργάνϑ ἀστρονομικοῦ. sed & verbo Ϭαρᾴρτησϑαι in Axiocho quicunque eius auctor tandem est, etiam vsus est: ἢ τὰ τοῦ κόσμϑ παθήματα Ϭαρᾴρτᾶσϑαι εἰς τ' αὐτὰ ὦνα. Scribit in capite de diminutiuis Priscianus (nos enim aliò excurrimus) quædam esse diminutiua, quæ genere discrepant à sua origine, *vt beta*, inquit, *malua. hic betaceus, maluaceus*. mirum mihi videbatur esse, hæc in substantiuis numerari diminutionis, cùm adiectionis nomina videantur: sed betaceus absolutè dicitur, cùm pes intelligatur: ita tacito substantiuo in substantiuum migrat, cumque paruulas betas significet, in diminutionum nominibus censetur. pedum betaceorum mentio est apud Varronem de re rustica, & de lingua Latina: sed & apud Apicium de betaceis Varronis mentio est in cibis qui ex oleribus parantur. de maluaceis idem censendum arbitror. Centones mihi vel farcire vel consuere videor: ita panniculos omnium colorum assuo, & quandam Iri syntheſin texo. scribit Ouidius, *Nec tantum Clario Lyde dilecta poëtæ*. hic versus illustratione indiget, quam à Plutarcho mutuabitur ita in consolatione scribente, ἐξέϐησατο δὲ ἡ τοιαύτη ἀγωγὴ ἡ ἀντίμαχος ὁ ποιητὴς. Ἀποθάνϑσης

Varr. li. 1. de re rust. cap. 2.

Varr. de ling. Lat.

Apic. lib. 3. cap. 1.

Ouid. 1. Trist. eleg. 5.

Plutarchus in orat. consol. ad

Ptolemæus.

Vitru. lib. 9. cap. 7.

Suydas.

In Axiocho.

νόσης γὰρ τῆς γυναικὸς αὐτῦ λύδης, ᾠδὴς ἰῶ φιλοτόργως εἶχε, ᾧ καμύθιον ἡ λύπης αὐτῷ ἐποίησε τἰῶ ἐλέγειαν τἰῶ καλυμμένῳ λύδιῳ, ἐξαριθμησάμενος τὰς ἡρωϊκὰς συμφορὰς, τοῖς ἀλλοτρίοις κακοῖς ἐλάττω τἰῶ ἑαυτῦ πιῶν λύπιῳ. id est eadē vsus ratione est Antimachus poëta. Nam cùm mortua esset eius vxor Lyde, quam egregiè animo charam habebat, elegiam, qua mœrorem solaretur, sibi fecit nomine Lyden: ac enumeratis heroicis calamitatibus & infortunijs, malis alienis animi ægritudinem sibi minuit. hæc verba nisi erro aliquātum lucis Ouidio afferunt, vt adscripsisse me non pigeat. Atque hæc huius capitis sit coronis, quod vix emēdicatis hinc & inde hostiatim particulis absoluimus: ac quasi auctor vnus suppeditare ei nec instruere satis posset, circum multos cucurrimus: sed verecundi videlicet fuimus, qui maluimus è multis parcè sumere, quàm ex vno largiter.

Encarpa, embater, replum, Vitruuius emendatus. CAPVT IIII.

Vitru. lib. 4. cap. 1. QVÆNAM sunt apud Vitruuium libro 4. Encarpa cùm scribit? *& cymatijs & encarpis pro crinibus dispositis frontes ornauerunt*. ego existimo esse ornamenta capituli columnarum palmites aut ramos cùm suo fructu habentia: aut etiam arbusculas fructuosas, quæ vocātur δένδρα ἔγκαρπα à Græcis aut frondibus & ramis implexos innexosque fructus. sunt & ἔγκαρπα

Hesychius. Hesychio segetes triticeæ sectæ messæque. *ex his*, inquit, *pars vna erit modulus qui*

Vitru. lib. 4. cap. 3. Græcè ἐμβάτης *dicitur*. legendum est, ἐμβατὴρ, vt libro primo *aut etiam embatere*. Hesychius, ἐμβατὴρ ᾠδὴ τοῖς ἀρχιλέκτοσι τόπος. Pro

Vitru. lib. 1. c. 2. Hesychius. *strigium cauis* in veteribus libris, *striglium* reperio, quod est veluti strigilum, quòd imitentur strigilū cauos tubos. *Item replum*, inquit, *de impage dimidia & sexta parte*: legendum ferè crediderim *peplum*, vt tanquam ornamentū & vestimentum esse videatur: alioqui replum quid significet, critici consulendi sunt, quorum in tabularijs & monumentis nulla talis vox extat. Libro decimo explicatur operimentum, quod & cōiecturam exauget: *Chelonij*, inquit, *replum quod est operimentum*. nos autem ab hac voce manus abstinebimus. In Tuscanicis ædium sacrarum rationibus præcipit, vt stillicidium tecti absoluti tertiario respondeat, quod sic interpretādum censeo, eò vsque stillicidij proiecturam esse faciendam, vt in ea insit tertia pars tecti: vt si, verbi gratia, latus tecti totius duodecim pedum sit, quatuor tribuantur stillicidio, vt procul à structura & parietibus imber cadat. tertiarium enim tertiam partem significat, vt & quartarium quartam partem. *Nemori Dianæ* cùm ab eo scribitur, de Diana Aricina intelligo & Aricino nemore: vnde & rex Nemorensis apud Tranquillum. Ac Budęus hunc locum

Vitru. lib. 4. cap. 4. Vitru. lib. 4. cap. 6. Vitru. lib. 10. cap. 17. Vitru lib. 4. cap. 7. Vitru. ibid. Sueton.

cum sic legebat, *item Aricino nemori Dianæ*. Sed quid est? *vt vti reliqua exisona*. ego vocabulo hoc deformari puto ædificationem Vitruuij. Itaque demoliendum, aliudque substruendū in eius vicem puto. Igitur emēdatum fore credo: *sed & vti reliqua ex his omnia, quæ solent esse in frontibus ad latera sint translata*. nihil enim mihi nunc quidem venit in mētem, quod accommodatius ad hunc locum esse possit. quod autem à me nunc tanquam inædificatur in Vitruuio loco purgato suo rudere, sic stare velim, vt se pari ruinæ obnoxium censeat, si quis quid commodius inuenerit: quod cùm contigerit, libenter locum cedat, & se dolabra deijci ne molestè ferat. Nolim autem videri de cuiusquam laude quicquam voluisse decerpere, si per Vitruuium errans & vagans, vnum & alterum locum, qui humanitus summos viros latere potuerunt, eruerim: nec id mihi magnæ laudi attribui velim, vt ouationem aut triumphum mereri velle videar: procul à me abest hæc ambitio: sed in partem iuuare literas volui, & eodem animo, eademque voluntate, qua illi, etsi non pari conatu nec facultate, nec opera, ad benè merendum & de antiquis auctoribus & nostra iuuentute ingressus sum. faueant igitur illi studio meo, qui suo labori æqua hominum iudicia optant: neu in me acerbi sint, cùm in se acerbitatem nullius iudicis seuerioris ferre vellent: & patiātur à me dici quę non arbitror eos ignorasse, sed prætermisisse, & velut è segete fertili viatori & pauperi vnam & alteram stipulam reliquisse.

Vitru. ibid. Vitru. ibid.

Æquimanus, lunaticus, internecida, internecidium, præuarum, holophanta. CAPVT V.

QVIS *myrmilloni contenditur? æquimanus thrax*: versus est Ausonij in monosyllabis: in quo ambigitur, qui sit æquimanus. Atq; is videtur esse, qui ambidexter à nonnullis dicitur, qui scilicet vtraque manu æquè vtitur: nos enim sinistram immunem & propè mancam inutilemque gerimus: quibusdam vtraque est munifex & operosa. Isidorus, *æquimanus appellatur, qui vtraque manu gladio incunctanter vtitur*. Eodem auctore lunatici in Euangelio sunt, qui comitiali morbo laborāt. opinio enim veterum fuit, eam valetudinem ad lunæ curricula recrudescere & mitescere, velut illius syderis contagione quadam alumnam: eius verba sunt, *Caducus à cadendo dictus, id est lunaticus, eò quòd certo lunæ tempore patiatur*: Artemidorus quoque eum morbum lunæ acceptum ferri ait his verbis, ᾠδίσθησι δὲ τῷ σπολεσμαπ ᾗ νόσον ὡς ὅτι τὸ πλεῖστον ἡ ἱερὰν καλυμμένω. ἀνάκειται γὰρ τῇ σελλώνῃ. φασὶ δὲ ᾗ τ νόσον παύτω οἱ παλαιοὶ ἀνακεῖσθαι τῇ σελλώνῃ. Fornix est appellatus, vbi prostitutæ pudicitiæ mulieres erant, à locis arcuatis, inquit

Ausonius. Edyll. 16. Isid. lib. 10. Etym. cap. 8. Isid. lib. 10. cap. 3. Artemid.

idem

idem Isidorus: inde & fornicariæ mulieres in auctoribus Ecclesiasticis:
Isid.lib.10. cap.9. *Internecida*, inquit Isidorus, *est qui falsum testamentum fecit, & ob id hominem occidit.* Inde internecini actio in iure ciuili, quæ ab Isidoro internecidij vocatur, ab internecida: Isid.lib.5. cap.26. *Internecidij iudicium in eum* (inquit alio loco) *dabatur, qui falsum testamentum fecerat, & ob id hominem occiderat, accusatorem eius bonorum possessio sequebatur. Internecidij autem significatio, est quasi hominis quædam enecatio. Nam præpositionem inter, præponebant.* In decima quarta autem in Antonium, bellum internecinum dicitur non testamentum: sic enim scribitur, Cic.14.Philip. *quæ sunt vrbanarum maledicta litium, non iustæ belli internecini notæ: testamenta credo subijciunt.* Hostia cùm libamentis perfundebatur & cumulabatur, macta esse dicebatur. Isidorus, Isid.lib.10. cap.12. *quotics enim thus aut vinum super victimam fundebatur, dicebat mactus est taurus vino vel thure: hoc est cumulata est hostia & magis aucta.* etiam de Deo dicebatur, cui res diuina fiebat, vt apud Catonem, Cat.de re rust.cap.141. *macte hisce suouetaurilibus lactentibus esto.* sic & mactare vsurpatum inuenimus. hilum esse dicunt Grammatici Varro. atque etiam Varro nigrum illud pusillum, quod in summa faba adhæret: Var.apud Isid.lib.10. cap.13. idem tamen Varro hilum, referēte Isidoro, significare censuit medullam eius ferulæ, quæ asphodelus vocatur, ac sic apud Latinos nihilum dici putauit, Isid.lib.10. cap.15. quomodo Græcis familiare est dicere, οὐδὲ χύ. Annotat idem in præuaricatoris explicatione Ciceronem præuarum pro valdè varo posuisse, cuius sanè Ciceroniani loci nunc in mentem mihi non venit, neque dicere possum vbi locorum apud eum scriptorem extet: tātum suspicor si hodie extat vspiam, non pręuarum, sed prauum scriptum esse. ex Isidoro autem emendandum sic legente, *quid enim tam prævarum?* multa ab antiquis scriptoribus aliter prolata reperimus, quàm hodie excusa pateant. vt holoIsid.li.5.cō.24. graphum appellatur testamētum, quod totum manu testatoris scriptum & subsignatum est: ita quoque holophantam crediderim fuisse, non eum qui ob ficus duntaxat calumniam faceret, sed ob omnia homines deferret: sed cùm apud Latinos immutata sit sicophantæ significatio: nam sycophanta Græcis est calumniator, Latinis est impostor: sic & holophanFest.Pomp.lib. 8. ta omni in re impostor, vel (vt ait Festus) qui omnia mentitur. Suspicor igitur codices Latinos falsarios esse, qui halophantam pro holophanta exhibent: nonnulli etiam halopantam. ego tamen crediderim verbum imitatione sycophantæ factum & amplificatione, vt non vnius rei delatio in eo verbo notaretur, sed omnium insimulatio contineretur. qui autem halopanta scribunt, leui nituntur coniectura, quòd omnia mentientem Pompeius explicet: ego illud omnia inesse in holophanta dico, & cùm Plaut.Curg. Sc.Aedepol nugatorem. Plautus scribit, *holophantan an sycophantan hunc magis dicam nescio,* vicinitas nominum, & soni allusio, & sensus amplificatio ab ea quam scripsi literatura

tura stant sine controuersia. si quis tamen pertinacius repugnet, equidem ei potius morem geram, quàm contra tendendo hominem ad insaniam adigam. pleraque in hoc doctrinæ genere, quod tractamus, huiusmodi sunt, vt sine Reipub. detrimento secus sentire, & liberè dissentire liceat.

Agger, albatæ mulieres, vertere pollicem, ducere sacra in pilentis, sentus, panis gradilis. CAPVT VI.

QVALIS *sæpe viæ deprensus in aggere serpens,* inquit Maro. viæ autem Virg. 5. æneid. publicæ, vt quæ militari labore erant munitæ, exaggerabantur, vt imber deflueret, minusque lutulentæ redderentur: proinde agger etiam pro via vsurpatur: Sidonius,

Antiquus tibi nec teratur agger:
Cuius per spatium satis vetustum Sidon.Carm. 24.
Nomen Cæsareum viget columnis.

Iterum, *Vel certè peruij pontes, quos antiquitas à fundamentis adusque aggerem calcabili silice crustarum crypticis arcubus fornicauit.* id est adusque viam: & sæpe sic Sidon.lib.1. epist.5. in prosa etiam loquitur. versus est Horatij satyricæ obscœnitatis:

—mirator cunni Cuppennius albi, explicandus tamen: mihi videtur ex pudenda parte mulierem intelligere, ex albo ingenuam. in ingenuis au- Horat.lib.1. sat.2. tem stupra legibus vindicabantur, non item in libertinis. Ingenuæ autem mulieres albatę erāt, libertinę atratę, nobiliores purpuratę. Artemidorus, ἡ εἰμὴ ἡ χλαμὺς ἦιν λευκὴ, ἐλευθέραν ὁ ἰδὼν γαμήσει· εἰδὲ μέλαιναν, ἀπελευθέραν. εἰδὲ Artemid. πορφυρᾶν, εὐγενεστέραν ἑαυτῆς. sic enim conijcit sumnia ista & visa Artemidorus, quòd his essent solitæ vestibus vti ingenuæ, libertinæ, & nobiles. cùm scribit Prudentius,

Spectant æratam faciem, quam crebra tridente Pruden.lib.2. contra Symm.
Impacto quatiant hastilia, saucius & quam
Vulneribus patulis partem perfundat arenæ,
Cùm fugit, & quanto vestigia sanguine signet.

Intelligi arbitror pugnam retiarij, qui rete & fuscinam gerebat, & secutoris qui retiarum insequebatur. Vt premere polices est fauere, vt Plinius Plin.lib.28. cap.2. ait, & hoc versu, *Fautor vtróque tuum laudabit pollice ludum,* Horat.lib.1 epist.18. scripsit poëta nobilis: quò etiam pertinere videtur illud Glycerę ad Menandrum, τὰς δακτύλους ἐμαυτῆς πιέζουσα, ἢ ἂν προσκαλίζῃ τὸ θέατρον. ita polli- Glicerę. cem vertere damnantis erat, quod & à Politiano præclarè explicatum Politian.Miscellan.c.42. fuisse recordor, & in muneribus gladiatorijs, qui eum, qui succubuerat aduersario, occidi iugularique volebat, pollicem vertebat, vt munerarius: Iuuenalis, *—& verso pollice vulgi* Iuuen.sat.3.
Quemlibet occidunt populariter.

& Prudentius de Veſtalibus quæ gladiatores Romæ in eminenti podio ſpectabant, quod decus & honos pro perpetua eis virginitate tribueba-

Prudent. li. 2. contra Symm. tur.

—pectúſque iacentis
Virgo modeſta iubet conuerſo pollice rumpi:
Ne lateat pars vlla animæ vitalibus imis,
Altius impreſſò dum palpitat enſe ſecutor.

Virg. 8. æneï.

—caſtæ ducebant ſacra per vrbem
Pillentis matres in mollibus.

Matresfamilias intelligit, quæ ſacerdotijs præerant. Nam ſacerdotes & virgines etiam Veſtales pilentis ferebantur. Prudentius,

Prudent. ibid.

Fertur per medias vt publica pompa plateas
Pilento reſidens molli.

Artemid. Artemidorus, περὶ ἅρματος πεῤῥώγυ ita ſcribit, φημὶ δὲ ἀγαθὸν ἐλευθέραις γυναιξὶν ἅμα τῷ παρθένοις πλουσίαις, τὸ ἀφ' ἑστίας πόλεως ἅρμα ἐλάυνειν. ἀγαθὰς γὰρ ἱερωσύνας αὐτὰς ποιεῖται. Sentus apud Terẽtium dicitur horridus, à ſentium horrore & ſpinis. ſentus igitur eſt tanquam ſenticoſus & ſpinoſus & horrens. Prudentius,

Terent. Eunuc. act. 2. ſc. 2.

Prudent. ibid. Prud. ibid.

Extirpamus enim ſentos de pectore vepres. ſequitur enim mox,
Ne frugem ſegetémque animæ ſpinoſa malorum
Impediat ſentis.

Eſtque ſuperioris quædam declaratio. Gradilis panis, vt & alio loco doceo, quibuſdam in gradibus plebi Romanæ diuidi viritim quotidie ſolebat: ad huius rei confirmationem duo Prudentij teſtimonia addam luculenta: vnum hoc,

Prud. lib. 1. contra Symm. Prudent. li. 2. contra Symm.

Et quem panis alit gradibus diſpenſus ab altis. Alterum,
Quæ regio gradibus vacuis ieiunia dira
Suſtinet? aut quæ Ianiculo mola nota quieſcit?

de pane enim hic gradili loquitur, & molis piſtrinorum, vbi pinſebatur. hæc mea capita multi iocabuntur eſſe monſtra Horatiana, portentoſa varietate membris vndique collectis conflata: nec inficiabor me id de induſtria feciſſe. malui enim multa infercire & inculcare etſi male cohærentia, quàm ſtudioſorum ſpem vacuis eludere auenis. Nunc video pleroſque, qui idem genus ſcriptionis inſtituũt, magnifica ſingulis capitibus veſtibula excitare & præponere, quæ nullum ædificium ſequitur, ſed area nuda. Ego mihi potius copiæ inſeruiendum putaui, vt maiore beneficio demererer bonos iuuenes, quàm de ordine laborandũ, quẽ alioqui hoc genus librorum velit nolit, relinquere cogitur & negligere. aliorũ enim huius generis libros ſingulos, puta in vnum caput contractos & redactos: meis capitibus ſimiles reddes.

In

In Plauto quædam explicata, facere mutuum, nocturna ora, pollucti virgis, hira ſummano, vertere, Leucadia,

CAPVT VII.

FABVLAM Plauto docente ſpectator fui inter ſpectandũ Curculionem hæc annotaui: oſtium oculiſſimum, ab eo vocari chariſſimũ & gratiſſimum, quòd tanquam oculus, quo nihil iucundius nobis eſt, planè cenſeatur. Nam ex oculo finxit ſuperlationem, vt ex ipſo ipſiſſimum: non me tamen fallit in libris antiquis occluſiſſimum reperiri: ſed auctorem alterius lectionis laudare poſſum Feſtum. Sunt qui oculeiſſimum legãt verſu modulatiore, ſequunturque Priſcianum, cui etiam oculeus eſt ocellus per diminutionem. *Ego autem cum illa facere nolo mutuum.* PA. *Quid ita?* PH. *Quia proprium facio.* Parum illi videtur mutuum facere, quod in mutuo ius noſtrum remanet: proprium facit, vt iam alieni iuris id ſit, & totum ad alium tranſeat dominium. *Quid antepones Venerio ientaculo?* non iniuria crediderim eſſe legẽdum, vt infra, Venerius libellus dicitur. Nam *Veneri à ientaculo* inſcitum eſt, & iniquè per vimque huc importatum.

Plaut. curcul. Sc. Quo te hoc. Feſt. lib. 13. Priſcian. lib. 3. Plaut. ibid. Plaut. ibid.

Quaſi tu lagenam dicas, vbi vinum ſolet
Chium eſſe.

Plaut. ibid.

Iocatur ex eo quòd cum vino Græco ferè aqua maris admixta eſſet, Chio tamen non addebatur, ſed meracum erat: Horatius,

Alcon Chium maris expers.
De paulo paululum hoc tibi dabo haud lubenter.

Horat. lib. 2. ſat 8.

De poculo pleno quod erat potatura, paulum Veneri libat, id eſt in honorem Veneris effundit. ſic enim libare ſolebant, quod vel in aram faciebant, vel in menſam quæ loco aræ erat, vel in focum qui ſacer habebatur, vel in mare in honorem deorum marinorum: Ouidius,

Plaut. Curc. Sc. Flos veteris vini.

Iſque deos pelagi vino ſuper æquora fuſo,
Et pecoris fibris & fumo thuris adorat. & apud Maronem,

Ouid. 11. Met.

—extáque ſalſos
Porriciam in fluctus & vina liquentia fundam.

Virg. 5. æneï.

vel alium etiam in locum. Nocturni oculi ſunt deformes, noctuque non interdiu oſtendendi. Nam deformitas minus apparet noctu: ſic dixit nocturna ora Plautus in Pœnulo,

Plaut. Curcul. Sc. Placidè egredere.

Quæ habent nocturna ora noctu ſacrificatum ire occupant.

Plaut. Pœnulo. Sc. Negotij qui ſibi.

Mihi autem etiam deformes ſignificare videtur velut mali ominis, ſimileſq nocturnis auibus, quæ & ipſæ tantum noctu viſuntur. *Perſolæ nugæ* non ſunt vt quidam primi in literis ordinis cenſent, perſicæ, ſed ſolæ & meræ, vt,

Plaut. Curc. Sc. Placidè egredere.

—oculum effodito perſolum mihi.

Plaut. Menæc. Sc. Ni mala ni ſtulta.

alio loco Plautus idem ſcribit: erat enim qui loquitur luſcus. *Pollu&tus virgis*, eſt virgis expoſitus, vt in pollucto Herculis omnia exponebantur obuijs. Ita in Plauti Rudente ſcribitur, *Non ego ſum pollucta pago*: id eſt communis & publica pago. *auro contra cedo modeſtum amatorem*, valet dato mihi pari & æquo auri pondere repenſum. ego enim tantundē auri derim: vt in Epidico, *non carus eſt auro contra. Radices cordu pereũt, chiræ omnes dolent*: hiræ lego (vnde diminutio hilla) id eſt inteſtina: & ſi eo nomine ieiunum inteſtinum intelligit propriè Feſtus. *Namque incubare te ſatius fuerat Ioui*: hunc locum lib. 7. Æneid. ſic explanat Seruius, *Incubare propriè dicuntur, qui dormiunt ad accipienda reſponſa: vnde eſt, ille incubat Ioui, id eſt dormit in capitolio, vt reſponſa poſſit accipere.* Sic in Æſculapij templo dormire ad remedia per ſomnum accipienda ſolebant. *Quin cadat, quin capite ſiſtat in via de ſemita.* de via nobis iſti ſemitam faciunt: ita viam anguſtam nobis reddunt, ſed in caput cadent à me proſtrati: & via aperietur & laxabitur illis deiectis. Plautus Milite,

Plaut. Curcul. Sc. Placidè egredere. Plaut. Rudēt. Sc. Quis eſt qui tam proteruè. Plaut. Curcul. Sc. Placide egredere. Plaut. Epidico. Sc. Honoris cauſa. Plaut. Curc. Sc. Migrare certum. Feſt. lib. 8. Plaut. Curcul. Sc. Palinure quid. Seru in 7. æneid. Pellib. incubuit ſtratis. Plaut. Curcul. Sc. Date viam mihi. Plaut. Milit. Sc. Quantas res turbo.

Huic illecebroſo capite ſiſtebas cadum.

legitur in quibuſdam veteribus exemplaribus, *de via in ſemita. Obſecro hercle facite ventū, vt gaudeam*: ambiguè dictum eſt, vel facite vētum, vel facite vt gaudeam ventū, id eſt me veniſſe. Plautus Ciſtellaria, *Ventum gaudeo ad te ecaſtor.* Itaque mox ſubijcit, vt ventum gaudeam. *iacit volturios quatuor*: & mox, *Herculem iacto baſilicum*. quædam erat talorum ſpecies in quibus effigies quædam ſculptæ vel pictæ erant, vt vulturis, Herculis, & aliarum rerum. Vulturis autem iactus infelix erat: Herculis baſilici, id eſt regij, fauſtus & felix. Ergo qui eum iecit, vicit. Herculem autem baſilicū accipio, non qui vt in laboribus exantlandis leonis exuuijs eſſet veſtitus, ſed qui omnibus perfunctus ærumnis, cultu regio eſſet ornatus. *quia veſtimenta, vbi obdormiuit ebrius, Summano*: Summanus deus eſt manium ſummus, id eſt Pluto, qui omnes auariſſimè rapit in ſuum theſaurum: inde ſummanare, pro auidè rapere & furari Summani more, finxit lepidus poëta. *vel qui ipſi vertant, vel qui alijs ſubuerſandos præbeant.* id eſt qui fallant, vel fallendos prębeant: à piſcibus qui dum aſſantur vertuntur. Plautus Aſinaria.

Plaut. Curcul. Sc. Date viam mihi. Plaut. Ciſtel. Sc. Tum antehac amaui. Plaut. Curcul. Sc. Date viam mihi. Plaut. Curcul. Sc. Beatus videor. Plaut. Curcul. Sc. Aedepol nugatorem. Plaut. Aſinar. Sc. Vnum iſtorum quodcunc. Plaut. Curcul. Sc. Aedepol nugatorem.

Vorſes quo pacto lubet. Apud Leucadiam Oppiam.

ſuſpicatus ſum diu Leucadiam Oppiam mulierem fuiſſe libertinæ conditionis, eandemque meretricem ad quam plerunque damnoſi & nequam mariti diuertebāt. eandem opinabar Oppiorum libertam. Sed in antiquis voluminibus *operiam* ſcribitur, vt non dubitem ptonunciare Leucadiam Leucadiorum fuiſſe in foro Romano ſtationem. Verùm hęc nimis multa fortaſſe videri queant, & huic capiti iam finis ſit.

Fluuius

Fluuius proles Iouis apud Valerium Flaccum, pater, omnituens ſol, Mars vigila, obuertunt pelago proras, Apollo interficit.

CAPVT VIII.

ATTRIBVTIONEM quādam Homerus fluuijs & perennibus & torrentibus addit plerunque, διϊπετέας vocans: ac in iugibus quidem Grammatici & torrentibus, aquis cœleſtibus increſcentes interpretantur, præterquam in Nilo, quà neque ningit neque pluit, vt cenſent. tum igitur valere putant lympidum & clarum. Valerius Flaccus libro quinto Argonauticôn in Phaſi prolem Iouis eleganter interpretatus eſt his verſibus:

Tunc tibi fœcundi proles Iouis, orte niuali
Arcados axe deæ.

Valer. Flac. lib. 5. Argon.

Magnos fluuios poëtæ patres, velut aliorum parentes honorisque cauſa vocare ſolent, vt quidam cenſent: ego vt deos ſic vocari arbitror: Valerius Flaccus libro quinto,

Et pater aurato quantus iacet Inachus antro.

Valer. ibid.

Euripides in Hecuba ἔνθα τ' καλλίστων ὑδάτων πατέρα φασὶν ἀπίδανον πεδία λιπαίνειν: quanquam hîc potius patrem Euripides aquarum generatorem pulchrarum dicit. Cùm ab Homero ἠέλιος ὃς πάντ' ἐφορᾷς ſcribatur, eius veſtigijs inſiſtens Valerius de eo ſcripſit,

Eurip. Hecub. Homerus.

Hæc tibi fatorum genitor tutela meorum
Omnituens.

Val. ibid.

Cùm ſibi opem alicuius dei precabantur, interdum ſic loquebantur, vigila. itaque in bellum exituri duces dicebant Marti, Mars vigila: & apud Plautum ſeruus qui vapulat, fidem Veneris implorans dicit, *tuam fidem Venus: noctu vigila*: & Valerius Flaccus ſcribit, *Excubias Gradiue tene.* Nautæ ad littus appulſam nauim in proram conuertebant, non ſolùm vt ad reditum & aliam nauigationem parati eſſent, verumetiam id ſibi ominantes: Valerius Flaccus,

Plaut. Curcul. Sc. Placidè egredere. Valer. ibid.

—atque illi dextra ſine verſa magiſtri
Protinus in proram redijt ratis omine certo. Maro,
Obuertunt pelago proras.

Valer. ibid. Virg. lib. 6. Aeneid.

nam longius erant progreſſuri ad agrum Laurentem. Homerus, vt aliam linguam verbaque tribuit dijs quàm hominibus, vt Chalcidem à dijs, ab hominibus Cymindin vocari ſcribit, & Xanthum à dijs, ab hominibus Scamandrum. Quod & imitatus eſt Ouidius in Metamorphoſi,

Homer. Iliad. ξ. Hom. Iliad. υ. Ouid. 14. Metam. Ouid. 11. Met.

—& priſcum pariter cum corpore nomen
Mutat, Oramque vocat. Iterum,
Hunc Icelon ſuperi, mortale Phobetora vulgus *Nominat.*

Ita & alium inceſſum, vt in Neptuno,

Ἴχνια γὰρ μελόπιδε ποδῶν ὑπὸ κυμάων
Ρεῖ᾽ ἔϊγων ἀπόνῶς, ἀρίϛνωλοι δὲ θεόϊϛοι.

Virg. 1. Æneid. Et eius imitatione Maro, *Et vera inceſſu patuit dea.*

Homerus occidi facit ab Apolline & Diana qui morbo moriuntur, præ-
Herac. Pontic. ſertim vehementi & acuto, vt ab Haraclide Pontico ſcriptum eſt: hinc
Homer. illud eius, Ἐλθὼν ἀργυρότοξος Ἀπόλλων ἀρτέμιδι ξυὼ
Οἳ ἀγανοῖς βελέεσσιν ἐποιχόμενος καλέπεφνεν.

Idem æmulatus ſtudioſè Valerius Flaccus ſcripſit,

Val. Flac. lib. 3. Argonau. —*Triuiæque potentis*
Occidit arcana genitrix abſumpta ſagitta.

à dijs enim illis immitti mortem exiſtimabant, præſertim velocem, & mortis eos auctores putabant.

Proximus lictor, primus lictor, libertus verna, Seuir, libertus primus, collegium magnum, allectus.

CAPVT IX.

IN officio magiſtratuum lictores quidã dicebantur proximi, qui quàm alij chariores magiſtratui erant, eiſque ſemper præſto erant, & apparebant ante alios ſui ordinis: vt in inſcriptione peruetuſta, L. VALERIVS ACHILLEVS LICTOR PROXIMVS LAVRENS: Cicero etiam li-
Cic. ad Q. Fr. epiſt. 1. ctorem primum ad Q. Fratrem ſcribẽs vocauit de Octauio loquens: *apud quem*, inquit, *primus lictor quieuit, tacuit accenſus.* niſi ſi quis proximum primo adiunctum putet & ſecundũ, quod verum non putem. Salluſtius quo-
Salluſt. in bell. Iugurth. que eodem loquutus modo eſt in bello Iugurthino: *Sed Hiempſal in oppido Thumida fortè eius domo vtebatur, qui proximus lictor Iugurthæ, charus acceptusque ei ſemper fuerat.* Non ſolùm ſerui domi nati vernæ dicebantur: ſed & liberti, qui ſerui vernę fuerant, etiam vernæ liberti dicebãtur: quod vt nouum, etſi ab antiquitate repetitum, perſcribere volui. ſic enim in veteri inſcriptione reperi, FORTVNATVS AVGVSTI LIBERTVS VERNA: ille ſcilicet Fortunatus adſcripſit laudi ſuæ, quòd in ædibus Auguſti natus eſſet. Sex erant Romanorum equitum decuriæ, Rhamnenſes, Tatienſes, Luceres, primi ſecundiq;: erant enim primi Luceres, & ſecũdi, ac ſic quoque Tatienſes & Rhamnenſes geminati erant. his qui præerant Seuiri vocabantur: ac in inſcriptionibus antiquis Seuirum equitum Romanorum reperimus: vt in hac, TRIB. MIL. LEG. VII. GEM. FELIC. VI. VIRO. EQVIT. ROMAN. & in illa. X. VIRO STLITIB. IVDIC. VI. VIRO EQVIT. ROMAN. TVRM. Recordor annotare me nudis verbis ordinem quendam libertorum fuiſſe, vt quidam primi, quidam ſecundi & tertij dicerentur: nunc id cautionibus & teſtationibus confirmemus

mus veterum inſcriptionum, quarum in vna reperio, SOFRONIA CL. TERTIA SIBI ET P. SEXTILIO PRIMO ARVSPICI. & in illa, SE VIVO FECIT SIBI ET PETIÆ CL. PRIMÆ VXORI. Erat & ordo quidam & dignitas etiam collegiorum, ac quoddam magnum dicebatur, vt alijs dignius & amplius: vt in inſcriptione, VIATORI COLLEGII MAGNI. ſolebant Imperatores quibuſdam hoc deferre honoris, vt quamuis vel quæſturam vel tribunatum non geſſiſſent, tamen eos inter illos qui quęſtores & tribuni eſſent adlegerent, eiusque ordinis eſſent, cuius qui honoribus illis erãt functi: id quoq; ex inſcriptionibus cognoſcimus, vt ex hac, ADLECT. INTER TRIBVN. AB IMPER. ADRIANO: & in illa, ADLECT. INTER QVÆSTOR. ADLECT. INTER PRÆTOR. Quaſdã cognitionis cauſas ex Suetonij Nerone intelligimus, quæ ad Cæſarem pertinerent: Cæſar autem plerunque vice ſua alios qui de his cauſis cognoſcerẽt eligebat, vt ex inſcriptionibus eſt notum, vt hac, ELECTVS AD COGNOSCENDAS VICE CÆSARIS COGNITIONES: & ex illa, ELECTVS AD COGNOSCENDAS VICE CÆSARIS COGNITIONES, PROCOS. PROVINCIAE AFRICAE. nos inter legendum iſta obiter ex inſcriptionibus antiquis notabamus, & in medium conferebamus.

Flamen diuorum omnium, II vir quinquennalis, ædilis quinquennalis, ſcriba quæſtorius.

CAPVT X.

TRITVM & vulgatum eſt ſuos pleriſque dijs fuiſſe flamines, vt Ioui, Quirino, Marti: vnde flamen Dialis, Quirinalis, Martialis, ſed illud rarius, quoſdam omnium deorum fuiſſe: quod cùm in auctoribus non ferè legamus, tamen in antiquis inſcriptionibus municipiorum, quorum auctoritas calcanda non eſt, reperimus: vt in hac, PATRON. COL. FLAMINI DIVOR. OMNIVM: & in iſta, II VIR. QVINQ. FLAM. DIVOR. OMNIVM. & in illa, II VIRO. QVINQ. FLAMINI DIVOR. OMNIVM. illud quoque cognoſcere è re fuerit, duumviros fuiſſe municipales magiſtratus, qui ius dicebant. Itaque cùm duumviros dicebãt, illi intelligebantur. Interdum iuri dicundo addebatur: vt in tit. illo, II VIR. I. D. erant, & in municipijs alij duumviri quinquennales cognominati, in integrum creati quinquẽnium, cenſus tributique cauſa, vel potius quibus iuris dicendi cauſa in quinquennium ob ſpectatam virtutem is honos mandabatur, cùm alijs annuus eſſet, quod verius puto: aut in quinquennium continuabatur prorogabaturque: vt in hoc tit. II VIR. QVINQ. BIS OB MERITA, aut etiam legibus & inſtitutis in quinquennium is magiſtratus creari ſolebat. erant & quatuor viri in quibuſdam municipijs credo maioribus, qui & ius dicebant pręerantque decurionibus, vt duum-

uiri in alijs. proinde & quatuor viri erant etiam quinquēnales, quibus ob virtutē & merita magiſtratus ille in quinquenniū municipijs mādabatur: vt in illo tit. IIII. VIR I. D. QVINQ. Nam interdum tantùm quatuor viri iuri dicundo dicebantur: vt in illo tit. IIII. VIR. I. D. & in illo, IIII. VIR. I. D. IIII. VIR. QVINQ. Diuinaculi capillum promittebant, vnde & Plautus ſcripſit, *promittam capillum optimum eſt*: quod & religionis cauſa facere ſolebant. indicio eſt vetus titulus iſte: RELIGIOSO A MATRE MAGNA CAPILLATO. vt duumviri, ſic & ędiles fuiſſe videntur quinquennales quidam in municipijs interdum, quibus luſtralis honos is eſſet. Nam vt colonis agros ſuos in luſtrum locabant: ſic & interdum in luſtrum continuabant magiſtratū. Id indicat inſcriptio, ÆDIL. Q. IIII. VIR. I. D. ſed & alimentarij fuiſſe videntur ædiles in municipijs, qui alimenta prouidebant, vt ſuſpicor, alimentarijs pueris: vt in hoc titulo, ÆDIL. Q. ALIM. decuriæ erant ſcribarum, ſed pro dignitate magiſtratuum, quibus ſcriptum faciebant, ipſis honos accreſcebat. quæſtorius enim ſcriba inferior ordine, quàm ædilitius aut prętorius cenſebatur: atque ea ſibi elogia adſcribere ſolebant, quibus magiſtratibus ſcribę fuiſſent. Indicio ſunt veteres tituli: vt hîc, SVLPICIANO SCRIBÆ QVÆSTORIO. & ille, CAPITONI SCRIBÆ ÆDILIC. reperimus & lictores quoſdam curiatos cognomento fuiſſe, qui, vt ſuſpicor, triginta erant, curiarum triginta illarum lictores, in quibus ſacra fiebant. Indicio eſt titulus iſte, LICTOR CVRIATVS QVI SACRIS PVBLICIS POP. ROM. QVIRITIVM, & ille, LICTOR CVRIAT. VIAT.

Plaut Rudent. sc. Intelligo hanc.

Tentores, viatores, ſucconditor, procurator dromi, morator, factionarius.

CAPVT XI.

IN priſcis titulis, quæ ad factiones circi & ludos circenſes nomina pertineant, multa reperimus, auctoribus tamen quod ſciam non frequentata. Nam cùm tanto ſumptu & ſtudio ludi illi committerentur, dubium non eſt quin in miniſterio & inſtrumento multæ fuerint nomenclaturæ, quæ ætatem ferre non potuerunt. quaſdam igitur ſemiſepultas reliquias effodiam, & in lucem apertumque proferam. illic ergo fuêre tentores, qui vt ſuſpicor, equos & currus tenebant, antequam vices ſortesque eorum curſus veniſſent; & viatores, qui miniſtri curſitabant huc illuc vltro citro iuſſu agitatorum, ſi qua fortè re egerent, ac illis præſto ſemper erant: fuêre ſucconditores, illi, vt ſuſpicor, ſub currum & iugum ſeſe condebant, ſi fortè malè iuncti eſſent equi, aut loris ſe impedirent. horum mentio eſt in Epigrammate iſto, M. VISPANIO FVLLONI TENTORI. quid ſi tinctori?

ctori? M. VISPANIO MIGNIONI VIATORI. M. VISPANIO QVARTINO SVCCONDITORI. M. VISPANIO EROTI AVRIGATORI. M. VISPANIVS RVFINVS MEDICVS FACT. VENETÆ OLL. IIII. DD. erat & procurator dromi, quem ego credo eius loci procurationem geſſiſſe, vbi equos ſuos Veneti aut alia factio exercere ſolebant. dromus enim locum hîc ſignificat, vt in hippodromo: eſtque planè hippodromus: vt in illa epigrapha, PROCVRATORI DROMI FACTIONIS VENETAE. eſt & dromus ambulatio frequēter Græcis auctoribus. erant & moratores, qui, quantum coniectura conſequi poſſum, quadrigarios & bigarios morabantur, ne ante tempus, aut non ſuo ordine currerent: & vt inter miſſus interualla eſſent. eorum eſt mentio in illo titulo, Q. RAPIDIO Q. F. LEM. MVLIONI MORATORI LVDI CIRCENSIS. factionarij vocabantur qui ex factione erant, puta vel Veneta, vel Ruſſata, vel Albata, vel Praſina: vt in illo epigrammate, PRIMO ET SOLO FACTIONARIO. erant & primi factionum agitatores, qui erant videlicet in illo panno præſtantiſſimi: vt in hac epigrapha, DIOCLI AGITATORI PRIMO FACT. RVSSAT. erant & domini factionum & magiſtri: quod ex illa conſtat inſcriptione, MAGISTRO ET SOCIO DOMINO ET AGITATORI FACTIONIS PAASINÆ: & in illa, POLYPHEMO DOMINO ET AGITATORI FACTIONIS RVSSATÆ.

Cadaueroſa facies, fodere latus, tecum oro, crepuerunt fores, capiti atque ætati illorum. CAPVT XII.

CADAVEROSA facies in Terentio declaratur variè, vt vndique ſolemus aliquam aucupari veriſimilitudinis auram, cùm liquidò nobis non conſtat quid vel in re vel in verbo inſit. Alijs igitur ſubliuida eſt, & perſonata rubore & liuore: alijs pulpoſa & craſſa, quaſi carnoſa, cùm caro prior ſit quæ anima caret. his & tertia accedet noſtra: ac meritò tertia. non enim eam illis pręponere auſim. Ego cadaueroſam faciem, fœdam & turpem interpretor. dixerat enim hominem eſſe magnum, criſpum, craſſum, cæſium: cæſios autem oculos oderant, vt fœdos, quos in Catilina Salluſt. notat. & rubicundus hîc vt cruentus odio eſt. Cadauer autem quòd polluceret & funeſtaret, etiam auerſabantur. hinc cadaueroſa facies fœda, inuiſa, auerſanda. nihilo ſecius & illud è communi ſermone ſumptum, in eodem non vulgò intelligitur. *dic iußiſſe te.* PH. *noli fodere: iußi.* quo in loco fodere eſt latus alicuius manu vel pungere, vel tundere, quod facimus monendi gratia & ſuggerendi & impellendi: vt apud Horatium,

Terent. Hecyra, act. 3. sc. 4.

Salluſt. in Cat.

Terent. Hecyra, act. 3. sc. 5.

Mercemur

Horat.lib.1. epist.6. *Mercemur seruum, qui dictet nomina, læuum*
Qui fodiat latus. Quid quod leui interpunctiuncula orationis antiquitas in eo corrupta est in versu?

Terent Hecyra act.4.sc.4. *Ego atque oraui tecum, vxorem vt duceres.*
Archaismus enim est, tecum oraui, pro te oraui: in quo genere dicendi non infrequens est comicus Plautus. cùm quis exit foras, plerunque comici scribunt, crepuerunt fores, vt in Hecyra, *sed ostium concrepuit.* Id verò est quod Attici ψοφεῖν dicunt, quod Græci grammatici à κόπτειν differre tradunt: quòd illud exeuntium sit, hoc ingredientium. Posterius etiam istud Latini comici pulsare fores dicunt aut pultare. quòd autem Athenis fores aperirentur foras in viam, ideo eas aperire parantes, ne quem foris eis pellerent, crepitu digitorum se velle exire significabant. Æquè illud explicationem desiderat.

Terent. Hecyra. act.3. Sc.1. *Aliquid tulisse comminiscentur mali,*
Capiti atque ætati illorum, morbus qui auctus siet.
In quo illud, capiti atque ætati illorum, male precantis arbitror, & diras malasque preces interponẽtis, vt sit, quod illorum capiti eueniat, vt apud Aristophanem εἰς κεφαλήν σοι, & apud Maronem,

Aristophan. Acharn. Virg.8.æneid. *—diῖ capiti illorum generique reseruent.*

Quibusdam etiam se implicant atque induunt tricis Grammatici optimi in illo fabulæ eiusdem loco, *Hanc Bacchidem amabat, vt cùm maximè tum Pamphilus:* sed in eo mihi videtur dum nimiũ intelligunt, nihil intelligere. ego enim in oratione defectũ esse arbitror, cuius supplementũ sit, verbum amabat iteratum. Sẽsus enim est, hanc Bacchidem tum amabat Pãphilus, vt cùm maximè amabat. quod est, nunquam magis quàm tum amauerat.

Terent. Hecyr. act.2.sc.2.

Herba macta apud Catonem, fortax, luna silens, sitiens, artire, digiti primores & crassi, glutus, mateola.

CAPVT XIII.

Cat.cap. 37. E x *segete vellito ebulum, cicutam, & circum salicta herbã actam vluamque.* conuentus egêre Grammatici, vt quæ sit herba acta decernerent, & ad conuentum illorum vadimonium medici adfuêre. sed nondum constitui quid esset potuit: atque non in perẽdinium, sed in laxiorem diem id dilatum est. Ego herbam mactam legendũ crediderim, vt adulta grandisque herba, quæ inter salicta prouenit, nec fenisecem metuit, intelligatur. huic

Cat.cap.38. scripturæ adstipulantur vetera Plinij exemplaria. *facito*, inquit Cato, *fortax totam fornacem infimam complectatur.* vt à fornice fornax: ita à fortitudine fortax dici videtur: quo verbo censetur totus imus camini gyrus & soli

soli tegumentum pauimentatum & saxeum. θαρρὸς à Græcis vocari videtur: Hesychius, θαρρὸς λίθος ὁ κάτω πηλόμβυος ἐν τῷ ἱπνῷ ἐν τοῖς μετάλλοις. Hesychius
Lego autem non multò post, *Latere summam statuito*, non, vt editum est, *lateres. Vel materia quernea viri sicca alligato*, scribit Cato, quę verba de mẽdo suspecta mihi sunt: ac si diuinare licet (quod equidem iam pro meo iure videor facere posse, præsertim qui iam toties diuinationem vsurparim, vt vsu meam fecerim) legẽdum crediderim, *vere sicca alligato*, vel *viridi sicca*, vt sicca dolia viridi materia alligentur: quidam sic legunt, *non sicca*, sed omnino melius sit legere, *viridi calligato, vites inseri oportet luna silenti:* Luna silet cùm in coitu est. Plinius, *Inter omnes verò conuenit vtilissimè in coitu eius sterni, quem diem alij interlunium, alij silentis lunæ appellant.* Lunam etiam sitientem dicit his verbis, *Fimum inijcere terræ plurimum refert fauonio flante ac luna sitiente.* ait Cato, *furculum aridum præacutum inter librum & stirpem artito primores digitos duos.* hîc primores digiti tenues intelligunt, quòd digiti primore sui parte minus crassi sint: vt quodam in loco etiam exponere me memini. Itaque Cato his crassos opponit, ita scribens, *stirpem oblinito digitos crassos tres*. artire autem apud Catonem est demittere, adigere, inserere, immittere: vt, *furculum aridum quem artiueras eximito: eò artito furculum, quem inserere voles.* Iterum, *eò furculos præacutos artito.* Vitis interdum Catoni est palmes vel flagellum vitis: vt cùm de insitione sic loquitur, *Si vitis vitem continget, vtriusque vitem teneram præacuito, obliquo inter sese medullam cum medulla libro colligato*. ait Cato, *Locus bipalio subactus sit, beneque terra tenera sit, beneque glutus siet:* Festo glitus locus dicitur tener & subactus: vt vel ita in Catone legendum sit, vel vtroque modo dicatur, vt maxumus & maximus. *maleolo*, inquit, *aut mateola adigito*: aut mateola fustis est: aut legendum, vt ferè crediderim, materiola: id est ligneo fuste. moueor tamen constantia exemplarium Plinij & Catonis, in quibus mateola disertè planeque legitur, vt contra si sentiam, velut tabulis refelli facilè possim: tamen quasi materiola intelligatur.

Cat.ibid. Cat.cap.3. Cat.cap.40. Plin.lib.16. cap.39. Plin.lib.17. cap.9. Cat.cap.40. Cat.ibid. Cat.ibid. Cato cap.41. Cat.ibid. Cat.cap.45. Festus.lib.7. Cat.cap.45.

Impilia, mison, ceraunium apud Plinium.

CAPVT XIIII.

PRVDENTIS esset nihil nisi firmum & perspectum, modisque omnibus exploratum in medium afferre potius, quàm leues coniecturas sectando magnam hominibus calumniæ cupidis occasionem reprehẽdendi præbere: sed me iuuat ex periculo coniecturas captare & scribere, potiusque periclitando aliorum sententiam elicere, quàm taciturnitatem filendo fouere: locus est in Plinio vlcerosus & mala non tangendus manu, sed quem vel sanabo vel irritabo. sic autem scribitur, *Theophrastus auctor*

Plin.lib. 19. cap. 2. *Elor est esse bulbi genus circa ripas amnium nascens, cuius inter summum corticem eamque partem qua vescantur, esse laneam naturam, ex qua mapalia vestesque quædam conficiantur.* Quis vnquam obsecro audiuit ad mapalia opus esse lanea natura potius, quàm cementis aut materia? hoc autem cùm è Theophrasto sumptum sit, videamus ecquid mapalia eius sententiam attingant. sic ergo scribit, ὑφαίνεται δὲ ἐξ αὐτῶν καὶ πόδια, καὶ ἄλλα ἱμάτια. Theodorus togas & vestimenta ex ea texi vertit: ego in Theophrasto legendum credo ποδέα, eoque nomine pedum tegumenta intelligo, quę ex coacta lana fiebant. Pollux, ποδέα τὰ περὶ τοῖς ποσὶ πίλος. Cùm autem quod vnicum in rebus desperatis remedium reliquum esse videbatur libros Plinij veteres consuluissem, partim reperi mapilia, partim impilia: vnde consarcinata mapalia. Igitur scribendum conijcio impilia: impilia autem significabunt coactilia, qualia pedibus inuoluendis calceandisque adhibebantur. Hæc vox apud Vlpianum extat, qui impilia vestis loco esse dicit: & apud Hesychium qui ναῦλα esse refert ναῦλα, inquit, τὰς πίλους καὶ τὰ ἐμπίλια. Hęc sic inuoluunt pedes, vt vesti cedant. Nam tegendis obuoluendisque pedibus è coacta lana fiebant. Latius tamen patere videntur posse Hesychio auctore, quàm vt tantum pedum operimenta complectantur. Hæc cùm scripsissem, animaduerti in eadem sententia esse Iurisconsultorum facilè principem Iacobum Cuiacium, & vt verum fatear, amare me cœpi, quòd quæ tam acutus ingeniosusque interpres viderat (quid enim ille in literis non videt?) ea me hominem tam stupidum & hebetem non fefellissent. Sed vt hoc caput non sine corollario abeat, eodem in libro lego è bonæ fidei libris, *Inula ne minus quàm ternorum pedum*: non vt in exẽplaribus propagato errore celebratur *nulláne*, quod Plinij sententiæ non videtur conuenire. Eodem in libro, quod Plinius in Cyrenaica prouincia tradit vocari misy, misón appellari scribit Athenæus his verbis, ἡ τῶν ἐγγειοτόκων τάττων γένησις ἅμα καὶ φύσις. οἷον τάττε ὕδνα καὶ τὰ φυόμενα περὶ κυρήνιλω, ὁ καλοῦσι μῖσον. sed & quod mox Plinius ceraunium in Thracia dicit vocari, ίσθον Athenæus appellat his verbis, δοκεῖ δὲ ἡδὺ σφόδρα τοῦτο εἶναι, καὶ τὸν ὀσμὸν ἔχειν κρεώδη, καὶ τὸ ἐν τῇ θράκῃ γινόμενον ἴσον. Cùm autem Plinius misy carnosius esse dicat quàm tubera, Athenæus odorem carnium habere non tubere carnosius esse scribit. Cæterùm vtra lectio melior sit, eáne quæ publica est in Plinij exemplaribus, an quam Athenæi codices proferunt, illi statuant quos in amplissimo gradu doctrinæ Minerua collocauit.

Theophrast. li. 7. hist. Plãt. cap. 13. Theod. Gazæ. Pollux lib. 2. Onomast. Vlp. l. argum. ff. de aur. & arg. legat. Hesychius. Plin. li. 19. c. 5. Plin. cap. 3. eiusd. lib. Athen. li. 2. Plin. ibid. Athen. lib. 2. Plin. ibid.

Quædam libro primo Propertij explicata & emendata, Ascanius, Pege.

CAPVT XV.

TANTA versuum Propertij iucũditas & amœnitas est, vt eos dictantibus

tibus Gratijs à poëta exceptos censeas: Tantùm optarem ad aliam potius quàm amatoriam materiam beatam illam & candidam ingenij venam contulisset, vt iuuentuti tutius legi posset. Locos paucos ex eius libro primo in numerum malè perituraram chartarum referre, & versus immortalitate dignos nostra ex parte mortalitate damnare decreui. *Pollucem*, inquit, *cultu non Elaira soror*: sic editiones plæræque habent: Ilaira tamen, vt à Beroaldo diligentissimo ad anxietatem Grammatico legi animaduerto, defendo, cùm ita ab interprete Lycophronis appelletur.

Propert. lib. 1. eleg. 2.

Vt te felici vectam per cerula remo.

Propert. lib. 1. eleg. 8.

Librum manu scriptum vidisse me recordor, in quo scriptum disertè planeque erat, *Vt te felici prævecta Ceraunia remo*: quam videtur Beroaldus scripturam sequutus esse, nec contemnenda est: nec tamen hoc à me in eam partem dicitur, quòd alteram summouendam putem.

Propert. lib. 2. eleg. 11.

Et modo Thesproti mirantem subdita regno
Proxima Misenis æquora nobilibus.

Haud scio an vlli sint in Propertio versus qui lucem interpretationis magis quàm hi desiderent. eorum istam esse sententiam crediderim: nobiles quidam Romani magnificas habebant ad Misenum villas, molesque nonnulli in mare iecerant: æquor certè proximum villis suum fecerant: ijdem illi etiam Thesprotiam totam suis possessionibus occupabant & tenebant, Thesprotique regna sua fecerant: ita cùm ipsi Thesprotiæ reges essent, & mare ad Misenum occupassent, illud suo regno subiecerãt: vt si Gallus imperaret Insubriæ, eam Galli regno subditam diceremus. Thesprotiam autem totam in paucorum Romanorum ditione fuisse, atque adeo Epirum, cuius pars Thesprotia est, ex hoc Strabonis loco intelligimus, ἀλλ' ὑπεραλοπεδεύσειν αὐτοῖς ῥωμαῖοι τοῖς ὄικοις καθεστάσι ὑπ' αὐτῶν δωρεαῖς. quod & è libro secundo de re rustica Varronis etiam coniectu perfacile est. In Surrentina etiam plaga Papinius Ambraciæ, quæ Thesprotiæ attribuitur, mentionem facere quibusdam videtur his versibus,

Strabo. lib. 7. Geogr. Varr. lib. 2.

Statius lib. 2. silua 2.

—patrij lætum quinquennia lustri
Cum stadio iam pigra quies, canúsque sederet
Puluis, ad Ambracias conuersa Gymnade frondes,
Trans gentile fretum, placidi facundia Polli *Detulit.*

sed potius tamen videtur de ludis Ambraciæ & fortasse Actiacis dicere, qui trieterici erant: sed eo anno ita fortè accidit, vt sequerẽtur quinquennales ludos Neapolitanorum. fortasse etiam Propertius ait proximas numerari Thesprotiæ prædijs & æquori, & subijci tamen, maritimas ad Misenum possessiones, & proximi maris amœnitatem, Cinthia admirãte & vix putãte quicquam pulchrius & amœnius vsquam terrarum esse posse.

atque hanc in ſententiam ſum propenſior. In Epiro autem ad Thyamin pulcherrimam & amœniſſimam villam Atticus habebat: & Cicero de illorum locorum amœnitate ait, *hoc ſcito Antium Buthrotum eſſe Romæ.*

Cic. ad Attic. lib. 4. epiſt.

Propert. lib. 1. eleg. 18.

Crudelis Minyis dux erit Aſcanius,

pari obſcuritate caliginoſum eſt: ſed è Strabone facem præferre lectori prælucereq; poſſumus, qui Aſcanium lacum & regionem duplicem eſſe ſcribit, in Phrygia & in Myſia, quibus ab Aſcanio duce nomen inditũ eſt. Aſcanius igitur à quo & lacui in Myſia & regioni nomẽ eſt, talis calamitatis dux & auctor Minyis rapto Hyla & adẽpto Hercule erit, id eſt Aſcania regio.

Strabo lib. 12.

Hic erat Arganthi Phlegræ ſub vertice montis.

Propert. lib. 1. eleg. 19.

Strabo. lib. 12.

Orph. in Argonaut.

Ad Pruſam mons erat Arganthonius, vt Strabo inquit, & Apollonius: eum Orpheus Argãthum nominat, vt & Propertius: in Phlegra, quæ nuſquam illis in locis fando audita eſt, hæretur. ego Pege legendum cenſeo. hoc enim nomine fons erat in quem Hylas cecidit. Apollonius lib. 1.

Apollonius li. 1. Argonaut.

Ἄψαδ' ὄγε κρήνην μετεκίαθεν, ἣν καλέουσι
Πηγὰς ἀσχίγυοι Θεναγέται.

Thyamis, Brimo, Cicero & Propertius emendantur.

CAPVT XVI.

Cic. ad Attic. lib. 7. epiſt. Brunduſium venimus.

TITVS Pomponius Atticus in agro Buthrotio prædia habuit, vt notum eſſe cõſido ex epiſtolis Ciceronis. Buthrotum autem coloniam amnis Thyamis alluebat, vt omnes vno ore geographi deſcribunt. ne eorum teſtimonijs citandis tempus fruſtra teram. hę me rationes non leuiter permouent, vt cùm à Cicerone libro ſecundo de Legibus ſcribitur, *ſed tamen huic amœnitati, quam ex Quinto ſæpe audio, Thebanus Epirotes ille tuus nihil opinor conceſſerit*: labeculam ineſſe aliquam putem: cùm enim videatur de fluuio loqui, quem cum Fibreno comparet, nomenque Thebani, fundi potius quàm fluminis ſit, nec illis in locis vllus fluuius Thebanus memoretur: luxatam fuiſſe ſcripturam crediderim, & in Thebanum pro Thyami degeneraſſe. legendum igitur crediderim Thyamis Epirotes ille tuus. Ita Amaltheum fundus erit Attici, quem alluebat fluuius Thyamis, vel vt alij libri habent Æmathium. Cicero libro ſeptimo epiſtolarum ad Atticum, *Q. Ciceroni obſiſti non potuit, quo minus Thyamin videret.* videtur & in Propertio (miſcellam enim ſcribimus, & cinnum è diuerſis tanquam liquoribus & aromatis miſcemus & tẽperamus) vnius elementi mutatione conclamatus & propè deſperatus eſſe,

Cic. 2. de Leg.

Cic. 7. ad Attic. epiſt Brũduſium venimus.

Propert. lib. 2. eleg. 2.

Mercurióque Sais fertur Bœbeidos vndis
Virgineum primo compoſuiſſe latus.

Antonius

Antonius Muretus vir diſertus & diligens mendum horum verſuum primus animaduertit, hominesque ad emendandum excitauit, & impulit. Is monuit in veteribus libris non Sais, ſed Sanctis legi: ſed cùm in iſtis tenebris lucem nullam diſpicerent interpretes, ex eo verbo Sais fecerant, quæ Minerua eſt, eamque & caſtiſſimam & innubam, Mercurio tamen proſtituerant & ſubſtrauerant. ſed iſtam interpretationem mores Mineruæ aſpernantur, & priſcorum religio damnat. Ego ex primo Brimo faciendum exiſtimarim, legendumque,

Mercurio & ſanctis fertur Bœbeidos vndis
Virgineum Brimo compoſuiſſe latus.

βειμὼ, inquiunt grammatici Græci, ἢ τὴν περσεφόνην φασὶ δὲ ἑρμῆν ἐρασθέντα, ὅτι κυνηγεσίαν ἐξιοῦσαν θελῆσαι βιάσασθαι μυθῶσι· ἢ δὲ ἐνεβεμήσατο αὐτῷ. διὰ δὲ φοβηθεὶς ἀπεχάπη. iſta grammatici Græci ſcribunt, qui & negant Mercurio cum ea ſtupri conſuetudinem fuiſſe: quod nec planè dicit Propertius, etſi id fortaſſe ſignificat. in quo vt puto alios auctores ſequutus eſt. nam Grammatici Græci ab ea perterritum fuiſſe narrãt Mercurium, cùm vim ei inferre vellet. audiui qui diceret Propertij ſentẽtiam quatuor verſibus abſoluendam eſſe, & Iſchomachę ſuſpicarentur, de qua Lapithis & Cẽtauris cruenta pugna fuit, primùm à Mercurio pudicitiam imminutam fuiſſe. Illi autem *Mercurio ſanctis*, ſine coniunctione legendum contendebant. quorum ſentẽtiam magis adeo ne prætermitteremus, quam quòd magnopere probaremus, in medio proponendam eſſe cenſuimus: pro ſuo tamen quiſque ſenſu alterutram velit ſententiam vel approbet vel improbet.

Haſta ſanguinea, ſoli fidei ſolenne, ille dies piter, & quædam alia in Liuio expenſa. CAPVT XVII.

HASTÆ ſanguineæ ſunt quæ factæ ſunt è ſanguineo frutice vel è ſanguinea arbore vt multi cenſent, quæ quòd coloris erant cruenti, ideo & ijs ad bellum inducendum fetiales vtebantur. nollem hùc ſagmineam homines mutandorum verborum magis cupidi quàm polypi colorum induxiſſent. Liuius, *vt fetialis haſtam ferratam, aut ſanguineam præuſtam ad fines eorum ferret*. Nam etſi pura & ſine ferro ea haſta erat, tamen quòd ſanguinei erat coloris etſi non ferro præpilata, belli cruenti ſignificationem habebat. Sed crediderim eam haſtam, cuiuſcunque ligni haſtile haberet, ſanguine cruentatam fuiſſe, vt cruentum atroxque bellum minaretur. Id alio etiam loco me recordor iam attigiſſe. Sed quia Liuij facta mentio eſt, in eo *Numicum* & *Numicium* legi poſſe crediderim, cùm vtrunque dicatur: hoc Dionyſio, Zonara, Ouidio auctoribus: illud Marone, Silio:

Liuius lib. 1. ab vrb. cond.

Lib. 8. aduerſ. cap. 23. Liuius lib. 8.

Seruius in AEneid. 7. etsi in eis quodammodo ambiguum est, Seruio, & Vibio afferentibus. Ti-
Ouid. 14. Metamorph. berinum autem Ouidius, qui, —*regnum Tiberinus ab illis Cepit*,
Zonaras scribit, sine controuersia defendit: & *Tiberinum* non *Tiberium* in Diony-
Liuius lib. 1. sio legit Zonara. *dextra autem Hercules data* constanter defendendum est.
Nam dextra Euandro data Hercules se omen diuinitatis accipere dixit,
& se fata, id est ea quæ Nicostrata cecinerat, impleturum, aramque maxi-
mam conditurum, & dicaturum. Nam ei omen diuinitatis Euander fece-
Liuius lib. 1. rat, ea memorans quæ de matre Carmenta fatidica muliere audierat. *Qui*
creari patres possent etiam aduersus doctissimos criticos meritò defendi-
mus. etsi enim patricij erant, qui ciere patrem poterant: tamen non ex eo
efficitur vt ciere patrem hîc legamus, cùm patres à patricijs distinguat: &
patres ab honore dicat vocatos, patricios autem eorum progeniem. Sed
Liuius ibid. & *Talassius* melius gemino sigma scribitur, quam vnico, vt Talassionem
Mart. lib. epi. 92. geminato sibilo apud Martialem legimus: nec Græcorum hîc plus au-
Liuius lib. 1. ctoritati ad veriloquia linguæ suæ & originem ista referentibus defero:
Liuius ibid. quàm Latinis hominibus & versibus credo. nihilo secius & *in vado statuit*
retinẽdum censeo: sed & *locis circa densa obsita virgulta obscuris*. Nam den-
Virg. 2. Geo. sa valet densè, vt apud Maronem, *densa sere*: qui autem ob sita duobus vo-
cabulis legunt, & præposterè collocatam præpositionem putant, fidem
Liuius lib. 1. mihi nõdum faciunt, cur ita legẽdum censeam. Iam *soli fidei solemne*, quid-
ni probemus, vt ei non cum alio deo commune sacrum institutum fuisse
communemque rem diuinam, sed soli seorsum intelligamus? sed & cùm
Liuius ibid. in antiquis monumentis legat ", *Tum ille dies Iupiter*, crediderim legendũ
tum ille diespiter. Ille enim ad amplificationem dicebant, & simul ocu-
Plaut. Amphitrione sc. Quime alter est audacior. los in cœlum attollebant, vt apud Plautum, *quod ille faciat Iupiter*. quod à
me alio etiam loco docetur. Quod scribit Liuius, *si patres auctores fierent:*
Liuius lib. 1. *hodie quoque in legibus magistratibúsque rogandis vsurpatur idem ius vi adem-*
pta, priusquam populus suffragium ineat in incertum comitiorum euentum patres
auctores fiunt: hanc habet, opinor, sententiam, olim solitũ fuisse patres au-
Cic. pro Plancio. ctores fieri post populi comitia, vt & Cicero scribit pro Plancio. tũ enim
magistratum non gerebat is, qui suffragio populi ceperat, si patres aucto-
res non erant facti: at verò postea vsurpatio quædam retenta est huius
rei, non vt comitijs factis patres probarent vel improbarent: sed vt ante
comitia in incertum tamen euentum auctores fierent. neque enim ple-
runque quod censuerant, populus decernebat: interdum etiam vi facta
ne auctores quidem fiebant.

Socij nauales, coniurati, Eleusis, Hercyna, & quædam in Liuio emendata.

CAPVT XVIII.

VENIANT

VENIANT in partes & quædam è 45. Liuij, quæ solita nostra per- *Liuius lib. 45.*
stringamus breuitate & excutiamus. Principio quòd summi Grammatici
pugnant, *incertæ rei gaudium*, non vt perscribitur in codicibus, *certæ rei*,
equidem probare non possum: quia animo populus Romanus lætitiam
conceperat velut è re certa & indubitata. res enim incerta gaudium non
faceret, sed spem quandam metu suspensam & anxiam. gaudium igitur
tanquam certæ rei euanuit. Nam rem certam & exploratam populus cre-
diderat, & magno gaudio incesserat: resedit tamen omen, & augurium re-
mansit in animis victoriæ, è præcepta lætitia, quæ iam euanuerat. Vt con-
iurationem vocare solebant genus quoddam militiæ à sacramento di-
uersum: ita à militibus coniuratos seiunxit Liuius, vt milites sint qui sa-
cramento dixerunt, cõiurati qui vnà iurarunt simul, non singuli sacramen-
to dixerunt. quibus quia iustum militię sacramentum deerat, proinde nec
iusti milites censebãtur. sic autẽ scribit, *vt cõsul quos præter milites sociósque* *Liuius lib. 45*
nauales coniuratos haberet, dimitteret. ac socij nauales erãt, qui propter cen-
sus exiguitatem non ad terrestria bella legionesque centuriabantur, sed
in classe belloque nauali militabant. Polybius, πλὼ τῶν κατὰ τὰς πεντα- *Polybius.*
κοσίας δραχμὰς τελιμηδύων. τούτους δὲ παρείασι πάντας εἰς τὼ ναυτικὼ χρείαν. *Liuius lib. 45.*
conferta tota vrbe deorum immortalium templa, sine supplemento verbi *adie-*
runt sententiam absoluere animaduerto. pro, *pullo amictus illo Perseus in-* *Liuius ibid.*
gressus est castra, legendum suspicor, pullo amictus villo, vel pullo amictus
filo Perseus, id est pulla veste amictus. & pro, *ad Leusinem trangresso*, *ad* *Liuius ibid.*
Eleusinem: sic enim vicus in Ægypto vocabatur, vbi Grãmaticam etiã do-
cuit Callimachus. Suidas in eius vita, πρὶν δὲ συμβιῶσαι τῷ βασιλεῖ, γράμματα *Suidas in Cal-*
ἐδίδασκεν ἐν ἐλευσῖνι κωμιδρίῳ τῆς Αλεξανδρείας. Eodem porrò libro crediderim *limachi vita.*
legendum, *gratularique senatui iuberent, & indicare.* quid? an non pro, *ad-* *Liuius lib. 45.*
uertæque gladijs regnum in dubium adductum esse, legendum est *aperte*? Nam *Liuius ibid.*
non possum adduci vt aduertam proprium nomen esse credam. Quod au-
tem Hercynæ meminit Liuius, ne quis insolentia nominis hominibus La-
tinis vix fando vnquam auditi moueatur, ea virgo fuit Proserpinę comes,
à qua & fluuius Hercyna nomen consecutus est. in templo consecratum
virginis illius simulachrum anserem manibus gerebat. atque vt nonnulla
prætermittam non enim omnia purgare decreui, & erroribus Liuij ex-
hauriendis bonam fidelemque nauauit operam vir eruditissimus Carolus
Sigonius, quem ego & antiquitatis peritissimum, & bonorum scripto-
rum intelligentissimum, & eruditissimum nominare meritissimò possum,
vt si quid reliquum sit in Liuio, perexiguum videri debeat, in quo leui
paruaque opera alij defungantur: ego tamen magna, qui & ingenio &
eruditione destitutus, in procliui laboro & facili: sed tamen vt nonnulla

Liuius lib. 45. prætermittam, pro, *victimas quas traducendas in triumpho vindicauit*, libenter legerim, & prope ambitiosè, *in triumphum dicauit*: & pro, *igitur vium*, *Iguuium*. Sed quid plura commemoro, ac non ea potius relinquo alijs, quæ restant? strictim enim & per transennam omnia aspicimus: & innatantia eminentiaque & de industria ab alijs omissa, quod neminem fallere possent, nobis minorũ tãquam gẽtium interpretibus relicta sunt.

Liuius ibid.

Tibi nomina mille apud Maronem, inanitas, aëris campi, quædam alia in Marone explicata. CAPVT XIX.

Virg. 7. AEneid. TIBI *nomina mille*, *Mille nocendi artes*, non sine causa & ratione à Marone dictum est. nam in precationibus cuius numinis potentia magna erat, eius vires commemorabãt, & pro officijs nomina attribuebant, quorum enumeratione dignitas Dei crescere videbatur: sed & in quadam inscriptione legimus, ISIDI MYRIONYMÆ SACRVM: & in Timæo: *mundus igitur & cœlum, siue quo alio nomine gaudet, hoc vocatus esto.* & in euocatione deorum apud Macrobium, *Dis pater, siue Iouis manes, siue quo alio nomine fas est vocare.* Nos verò & alia in Marone explicare conabimur.

Inscriptio vetus.

Cic. in Timæo.

Macrob. lib. 3. Satur. cap. 9.

—sic tota passim regione vagantur Aëris in campis,

Virg. 6. AEneid. sic Maro scribit libro sexto, an quòd inanis tota illa plaga sit corporibus carens, animasque & vmbras aërias eorum vice habeat, & aëre vacuo diffusa sit & obsessa? aërem enim inane appellari non est inusitatum. Quin

Plinius lib. 6. cap. 1. inanitas de mari etiam dicitur: Plinius, *Non fuerat satis Oceano ambisse terras, & partem earum aucta inanitate absluisse*. Nam malè *immanitate* scribitur. an verò quòd in ditione sunt ditis regiones atrę & caliginosæ, id est aëriæ? poëtæ autẽ Græci ἠερόεντα quoque κελευθα, id est vias aërias appellant, quæ ad Orcum ferunt.

Virg. 3. AEneid.

Terra procul vastis colitur Mauortia campis,
Thraces arant, acri quondam regnata Lycurgo,
Hospitium antiquum Troiæ.

Maro hic imitatus est Euripidem, qui in Hecuba scribit de Polymestore,

Euripides Hecuba.

Ὃς τὸν ἀρίστων χερρονησίαν πλάκα
Σπείρει, φίλιππον λαὸν εὐθύναν δορί.

Maro enim, vt & Euripides, gentem Martiam dicit, & campos frumentarios. vasti enim campi, sunt magni campi, qui quòd arabantur & serebantur, frugiferi intelligi debent. eo autem in libro Maro ab Euripide dissentit. scribit enim Polydorum iaculis confossum multis fuisse, quæ & in sepulchri aggere viridanti silua fruticata sint: contrà Euripides eum ab hospite & educatore Polymestore cæsum clàm, & in mare proiectum fuisse,

fuisse nihilo secius & ab eo discrepat in Polixenæ cæde. nam Maroni cæsa ad bustum Achillis fuit, & in Troade. scribit enim,

Virg. 3. AEneid. *O felix una ante alias Priameia virgo,*
Hostilem ad tumulum Troiæ sub mœnibus altis
Iussa mori.

Euripides eam in Cherroneso scribit ad inanem & honorarium Achillis tumulum immolatam fuisse. Philostratus in Heroicis eam dicit vltro ad sepulchrum Achillis sponsi sui gladio incubuisse.

Euripides Hecuba. Philostratus in Heroicis.

Nam quia nec fato, merita nec morte peribat,

quod dicit Maro, sic declarandum arbitror. mors est quædam naturalis, Virg. 4. AEn. cùm fatalem annorum summam confecimus, vt cùm morimur in senectute profunda: mors est etiam merita, vt quam bellorum casus, & morbi intemperantia & cruditate quæsiti, aut scelera & crimina afferunt. meruit enim mori, qui in aciem prodijt: hinc illud Æneæ,

—& si fata fuissent
Vt caderem, meruisse manu. Virg. 2. AEn.

Is quoque mortem lacessit, qui luxuriosè intemperanterque viuendo valetudinem labefactat. at nec fato nec merita morte Dido occidebat, sed morte immerita, vt subito furore correpta. Itaque fatali morti & naturali, quæ contingit cùm quis non moritur ante diem:

Sed misera ante diem subitóque accensa furore, Virg. 4. AEn.

Virgilius opponit, idque nos alio loco etiam declaramus.

Dicis causa, Perfica, Pecunia dea, maletractatio, postulationes, Sermones & epistolæ Horatij. CAPVT XX.

DICIS causa quod vsurpatur, est ὅλον ἀφοσιώσασθαι, id est leuiter & defunctoriè & vtcunque agere: tractum ab his, quæ vt religione defungamur, vtcunque facimus, cùm simulata olim in ea pro veris haberentur, & qualiacunque ferè pro optimis dicarentur. Deducitur autem nomen istud non à verbo dico dicis, sed à verbo dico dicas: estque tanquam dicationis causa. Perfica dea erat à perficiendo appellata, quæ obscœnæ libidini patrandæ præerat. Perfica etiam natura à Lucretio libro secundo vocatur, quæ procreationi & perfectioni rerum præest,

Lucret. 2.

—ad extremum crescendi Perfica finem.

Etsi aliter scio hunc locum antea excusum fuisse in exemplaribus: quod tamen in exemplari perueteri & propè carioso reperi, ex quo quę descripseram eruditissimo viro Dionysio Lambino impertiueram, testatum relinquo, & verum sincerumque puto. Sed & hîc vt antè ferè semper, varietati studemus, & quicquid in buccam venit, garrimus.

—etsi funesta pecunia templo
Nondum habitas, nullas nummorum ereximus aras,

scribit Iuuenalis: constat tamen pecuniam in deorum numero repositam fuisse, vel Arnobio auctore: scribit enim, *quis ad extremum deam Pecuniam esse credat, quam, velut maximum numen vestræ indicant literæ donare aureos annulos, loca in ludis, atque in spectaculis priora, honorum suggestus summos?* Quæ mala tractatio à multis dicitur: ea maletractatio vno vocabulo ab Arnobio dicitur, vt cùm apud Rhetores actionem malæ tractationis legimus, vno verbo intellexisse videatur: locos proferam, *Et tolerari forsitam hæc maletractatio posset.* Iterum,

Arnob. lib. 4. aduersus Gētes.

Arnob. ibid.

Arnob. ibid.

Immunes tamen à deorum maletractatione nec sic estis.

Status capitis est apud eundem libertas. nam soli liberi caput habere, serui sine capite esse in ciuitate cēsentur: eius verba sunt, *Vbi status capitis, & conditio seruitutis, vbi vulnera, cædes, cruor?* Postulationes vocantur cùm ob monstrum, ostentum, prodigium, errorem in ceremonia, sacrificium vel expiationem postulare dij videntur: hoc verbo vtitur M. Tullius: sed & Arnobius ita scribens, *in ceremonijs vestris rebúsque diuinis postulationibus locus est, & piaculi dicitur esse contracta commissio.* Epistolas Horatij in satyris numerat Sidonius cùm canit,

Arnob. ibid.

Cic. de Aruspic. responsis. Arnob. lib. 4.

Sidonius carm. 9.

Non quod per satyras epistolarum
Sermonúmque sales.

Quod annotare visum est: quia etsi licenter, vt à poëta nouitatis aucupe, dictum videri potest: tamen etiam est in eis satyricum quiddam, vt satyræ Horatij in epistolas & sermones non incommodè diuidi queant. Scribit idem Ciceronis verbum esse essentiam, & indoloriam: essentiam tamen alijs Grāmatici & Rhetores attribuunt, & in Ciceronis libris indolentiam non indoloriam reperimus. Sed verba Sidonij subsignemus, *Lecturus es hic nouum verbum, id est essentiam: necnon indoloriam nominauit, addens: licet enim nouis rebus noua nomina imponere: & rectè dixit. Nam sicut ab eo quod est, verbi gratia, sapere & intelligere, sapientiam & intelligentiam nominamus, & ab eo quod est esse, essentiam non taceamus.*

Sidonius in epist. ante carm. 14.

Cic. 3. Tusc. 2. de offic. & 2. de finib.

Spice in Plauto, & à via educier, manstutor, manubiarius amicus, tintinaculi, quædam in Plauto emendata.

CAPVT XXI.

PLAVTI Truculentus, vt Virbius, Æsculapij medicina & manu, vt saluti restituatur postliminio & vitæ, indiget. perisse enim puto, in quo ferè nihil integrum & sanum restat. Ego manes illius comœdiæ quibusdam velut inferijs lenire & placare enitar: in eaque aliquid è cineribus, &

& reliquijs velut in vrna componam. in ea igitur scribitur,

Plaut. Truculento Sc. Eo mihi amare.

Supplicium ad te hanc minam fero auri, si mihi rides, spice.

vbi legendum suspicor, *si mihi rides, spice*, id est cerne. id enim erat antiquis spicere, eoque verbo alibi Plautus vtitur, ne quis hic insolens putet: non longe abieris, sequitur

Plaut. Milite Sc. Cohibete intra limen.

Non enim possunt militares pueri & à vio educier:

vbi scribendum conijcio, *& à via.* Canes enim, verbi gratia, non tantùm de domini culina, sed & à via pascuntur: errantes enim quicquid reperiũt vorant per vias, non item, inquit, pueri militares. Perscribendum quoque suspicor, *nisi tuo ego aliqui gaudeo*. nam *tu* quod per exemplaria peruasit, sententiam non explanat, sed perturbat. Est autem non immodestum, vt reor, nec audax, vnius elementi adscriptione supplementum orationi & sententiæ idoneum comparare. *esse* mox è versu quodam abest, cuius adminiculo, & integritati versus, & sententiæ bonitati consulitur, si legas, *mortuum hercle me esse satius*, vt & mox, *nisi si te mea manu vis in machæra & hunc mori.* quid quòd pro *fiat vt rem gratam intelligo*, restituendum videtur, *vt rem gnatam*, id est natam? quod genus loquendi tam frequens est, vt testimonio confirmandum minimè sit. scribit Plautus,

Plaut. Tru. ib. Plaut. ibid.

Plaut. Truc. Sc. Ego tibi maledicam.

Plaut. Truc. Sc. Ego mihi amare.

Plaut. ibid.

Video eccum qui manstutorem med adoptauit bonis.

Med enim ibi pro me scribēdum est, vt hiatus obstruatur, qui versum violaret. Ibi, vt manceps est qui manu capit: ita manstutor, qui manu tuetur & tenet, quique possidet. amicus autem ibi est manubiarius, qui manubias & exuuias affert & spolia. Sed qui tintinaculi sunt viri? nempe carnifices, qui tintinabula habent, ad sumendum de aliquo supplicium. Nam qui ad supplicium ducebantur tintinabula gerebant: Zonaras, τὸς γάρ ὅτι πνα ἀποτίμαπι καταδικασθέντας θανεῖν νενόμιφο κωδωνοφορεῖν, ἵνα μηδεὶς βαδίζοσιν αὐτοῖς ἐλεημόσυνος μάσμαλος ἀναπίμπλῃ posset & nō ineptè sic eos quispiam appellatos existimare, propter crepitum plagarum sonitumq; verberum. *Per tua obsecro genua* scribit, quòd in genibus sit misericordiæ sedes, atque ea qui suppliciter precabantur, amplecti solebant: exempla apud Homerum multa sunt. An non etiam,

Plaut. Truc. Sc. Ego tibi maledicam. Zonaras.

Plaut. Truc. Sc. Ego tibi maledicam.

—restitrix his præsidebo,

excudendum videtur? vt sit, hic resistam & manebo custos. Nam illud quidem *restitricis* lectu est facilius, quàm intellellectu procliuius. quid? non illud, *Nam ea refert non musset intus bolos quos dat*: qui sagaci nare est odoratur, sic esse redintegrandum?

Plaut. Tru. Sc. Lepidè essiciã.

Plaut. ibid.

Nam ea refert nummos, & intus bolos quos dat.

Ita sensus existet non illepidus, qui nunc nullus est. sed interpositis personis illud lucem accipiet,

Vole

Plaut. Truc. ead. sc. *Volt interim illa itidem commentari.* D. *Quid?*

AST. *Rem accipere identidem.*

sed ista tam parua, quid iuuare possunt depositam & perditam & propè demortuam & cõclamatam comœdiam? rediuiuam certè vitæ non reddent, cuius rei vel in codicibus antiquis, quos desidero, spes aliqua est, vel nulla reliqua.

Minerua apud Maronem quid? pugna Cannensis, Tarentinus versus, Sybaritana præda, vis Lucillij, pinus matris deûm.

CAPVT XXII.

Virg. 8. AEn. CVI *tolerare colo vitam tenuique Minerua,*

Maro scribit libro octauo Æneidos Homeri imitatione: vbi Mineruam pretium Seruius explicat, quod à Varrone minerual appellatur: ego putem potius lanificium significari, quod tenue est, nec valdè quæstuosum: vt & alio apud Maronem loco de lanificio intelligitur,

Varr. lib. 3 de re rust. cap. 2.

Virg. 7. AEn. *—non illa colo calathisque Mineruæ*
Fœmineas assueta manus.

Arnob. 5. lib. aduers. Gentes. Interdum tamen etiam filum est. Arnobius, *pro aquis Neptunum, Liberum patrẽ pro vino, Cererem pro pane, Mineruam pro stamine.* nos, vt soliti sumus euagamur, & huc & illuc rapimur. *Te pugna Cannensis sat bonum accusatorem fecit*, inquit pro Roscio M. Tullius: in quo vel eodem Arnobio interprete significatur figuratè Syllana proscriptio: ita enim scribit ad hũc locum respiciens, *potest quidem proscriptio (quẽadmodum Tullius ludit) pugna dici appellariq; Cannensis*: quod equidem Arnobio credo & assentior, itaq; locum explicandũ arbitror: qui aliud sentit suum complectatur cõmentũ; Nos & nescio quid eiusdẽ generis antè explicauimus. Sed aliò ferimur.

Cic. pro Rosc.

Arnob. lib. 5.

Virg. 2. AEn. *Tum pater ipse deûm fœcundis imbribus æther*
Coniugis in gremium lætæ descendit, & omnes
Magnus alit magno commixtus corpore fœtus.

quod ait Maro, & idem à Lucretio luculentis versibus scriptum est, ex Euripide sumptum est sic scribente,

Euripides. Ερᾶ δ' ὁ σεμνὸς ὐρανὸς πλησθμφος
Ομβρῳ, πεσεῖν εἰς γαῖαν Αφροδίτης ὕπο·
Οταν δὲ συμμιχθῆτον εἰς ταυτὸν δύο,
Φύσιν ἡμῖν πάντα κ τρέφσ' ἅμα.

Arnob. lib. 5. Arnobius, *Itaque qui dicit, cum sua concubuit Iupiter matre, non incestas significat aut propudiosas Veneris complexiones, sed Iouem pro pluuia, pro tellure Cererem nominat.* Striculus ab Arnobio vsurpari videtur pro duriusculo, & tanquam strigoso: vt cùm scribit, *facit sumere habitum puriorem & in speciem*

ciem leuigari nondum duri & striculi pusionis. quod, vt coniicio, vocabulum etiam vsurparat Tertullianus in libro de pallio, sed in vstriculũ vel vstriculam est immutatum: sic enim eum scripsisse ariolor, *Patiens certè iam striculus, certè iam virum alicuius clanculum functus, adhuc sustinet stolam fundere.* ídque nos quoque sic antè legendum esse monuimus. Tarentinum versum pro molli & lasciuo posuisse Arnobius videtur, vbi de sabaziis agit, cùm scribit: *tum illum citabimus Tarentinum notúmque senarium, quem antiquitas canit dicens,*

Arnob. lib. 5. Tertull. lib. de pallio. Arnob. lib. 5.

Taurus draconem genuit, & taurum draco.

Sic & Sybaritana præda Varroni apud Nonium est lauta & elegans, quã conuenire Tarentinis dicit. sic enim scribit, *Ad Sybaritanam prædam, in qua sunt tripodes, crateræ, anancea, populo nobilium Tarentinarum. Tunc sancta & feruentia numina vim vomuisse Lucillij*, cùm Arnobius scribit, fœdum humorem, qui libidine profunditur intelligit, quem in satyris ita Lucilius appellarat. Sed & extat apud Varronem hoc Lucillij carmen,

Apud Non. Arnob. lib. 5. Varr. lib. 4. de ling. Lat.

Vis est vita, vides, vis nos facere omnia cogit.

etsi in aliam hoc sententiam, quàm Arnobianum illud dictum est.

Pinea silua mihi multos dilecta per annos.

Virg. 9. AE.

Apud Maronem dicit mater deûm. in Ida autem monte, vbi sanctissimè colebatur, pinus abundabat, & ei pineus ibi lucus sacer erat: Claudianus,

Claudianus li. 1. de rapt. Proserp.

—densis quam pinus obumbrat
Frondibus, & nulla lucos agitante procella.

ac pinus erat Cybelæ sacra, quòd, vt ait Ouidius,

Ouid. lib. 10. Metamorph.

—Cybeleïus Attis
Exiit hac hominem, truncóque induruit illo.

sed & Arnobius scribit, *pinus illa solenniter, quæ in matris infertur sanctum deæ, nónne illius imago est arboris, sub qua sibi Attis virum demessis genitalibus abstulit?* Iterum, *Quid enim sibi vult illa pinus, quam semper statis diebus in deûm matris intermittitis sanctuario?*

Arnob. lib. 5. Arnob. ibid.

Ambubaiæ, balathro, tirones, vestis demissa, discinctus, cauda salax, cantat & apponit, apud Horatium, & quædam in eo emendata.

CAPVT XXIII.

QVAS Horatius Ambubaias appellat, eas equidẽ esse nomen adeptas existimo, quòd circum Baias, quarum lauacra calida delicatis hominibus studio & voluptati erant, versarentur, fuisséque mulieres lasciuas & impudicas arbitror, quæ Romam vsque tandem permanarint, ibíque cœtus habuerint. *Inter scortorũ vrbis ambubaiarúmque ministeria* in Nerone Tranquillus

Horat. lib. 1. Satyr. 2. Sueton. in Nerone cap. 27.

quillus dixit. Ambu autem pro an, quod est circum, dixisse veteres, vt indu, pro in, existimo. Inde fortasse ambarualis & ambedo. Videtur etiam, vt ab ἄμφω ambo, sic ab ἀμφὶ ambu deduci posse. non assentior iis qui è Syria vsque hanc vocem repetunt. At balathrones, vel à barathro nomẽ habent: nam r illud virile & streperum in lambda balbum sæpe effœminatur & emollescit: vel à blatheis, vt Verrio videtur. Nam sunt balathrones & blatheæ bullæ luti ex itineribus, aut quod de calciamentorum soleis deraditur. Nos integrum propè hoc vocabulum nostra retinemus vernacula lingua. belithrones enim appellamus homines non bonæ frugi, & nihili nequámque. Varro de re rustica, *Videbo vos iam*, inquit, *balathrones: & huc afferam meum corium & flagella.* Cùm autem ait Horatius,

Sub patribus duris tironum, eum significat fœnus exercere contra leges, quæ vetabant filiisfamilias, & minoribus xxv. annis fœnerare: Plautus,

Tum me perdit lex vicena quinaria. & alio loco,

Omnes tenerent mutuitanti credere.

Tirones autem appellabantur, qui sumpserant togam virilem, ídque tirocinium vocabatur: Tranquillus in Gaio, *vno atque eodem die togam sumpsit barbámque posuit, sine vllo honore, qualis contigerat tirocinio fratrum eius.* Meliusculè autem ex antiquis codicibus,

— maxime quis non Iupiter exclamat, legitur: cum *exclamet* hodie excudi semper soleat. In primo quoque sermone, quod animi esset nimium dissoluti & negligentis prætermittere, hanc in antiquo libro scripturam reperi: *Plenior vt si quos delectat copia cornu.*

cùm hodie *iusto*, & quidem perbellè edatur: sed illud alterum extra numerum iacere, aut pro reiiculo esse, fortasse non debuit, cùm sententiæ non malè conueniat. Nam copia cornu plenior, erit copia quæ cornu abundatiore & bonis opulentiore refertioréque est. Quin quod in prima scribitur, *—neque se maiori pauperiorum Turbæ comparet*, in eo, *meliori pauperiorum*, scriptum comperi, quomodo meliorem partẽ pro maiore dicere vsus obtinuit. Sed ad secundam reuertor: Malthini nomẽ pro molli finxit Horatius à maltha, vnde & μάλθων græcè dicitur mollis & effœminatus. demissæ autem tunicæ, sunt tunicæ talares, quæ non viriles, sed ceu fœmineæ censebantur: vt infra,

Ad talos stola demissa & circundata palla. Iterum,

Cætera ni Catia est demissa veste tegentis.

Attamen elegantiæ cultúsque studiosi tales gerebant: Propertius,

Mundus demissis institor in tunicis.

Cúmque tunicam cinctura colligeret & suspenderet, discinctũ fuisse probro dabatur, vt Męcenati. Itaque in eius epicedio id excusatur his verbis

Quòd

Varr. de re Rust. lib. 2. cap. 5.

Horat. lib. 1. saty. 2.

Plaut. Pseudolo. Sc. Pseudole non audis.

Plaut. Mercatore Sc. Duas res.

Sueton. in Caligula cap. 10.

Horat. lib. 1. saty. 2.

Horat. lib. 1. saty. 1.

Propertius lib. 4. eleg. 2.

Quòd discinctus eras animo quoque, carpitur vnum: Virgil. opusc. In obitum Mæcenatis.
Diluitur nimia simplicitate tua.
Sic illi vixêre, quibus fuit aurea virgo:
Quæ bene præcinctos postmodo pulsa fugit.
Inuide quid tandem tunicæ nocuêre solutæ?
Aut tibi ventosi quid nocuêre sinus? Iterum, Ibid.
Et tibi securo tunicæ fluxêre solutæ. Rursum. Ibid.
Lydia te tunicas iussit lasciua fluentes
Inter lanificas ducere sæpe suas.

Laxius quoque cingi, neque satis sinum tunicæ adstringi, vitio dabatur, vt Iulio Cæsari. Caudam autem salacem venustè dixit, & expressius quàm Græci, quos imitatus est. Nam illi virile pudendum κέρκον, id est caudam interdum vocãt, & ὄρχιν. *Hunc*, autem, *perminxerunt calones*, valet huic pudicitiam eripuerunt: vt & in eclogæ clausula, *Ne nummi pereant, aut pyga*, id est, ne stupretur. Sed & quod in quodam reperi perbono exemplari contemnendum non duxi, cùm aliquantò sit apertius & clarius quàm edititia scriptura, Horat. lib. 1. saty. 2. Horat. ibid. Horat. ibid. Horat. ibid.

Nec magis huic inter niueos viridésque lapillos
Sit licet, hoc Cherinthe tuo tenerum est femur aut crus
Rectius.

vt dicat, gemmato quàm inornato non esse delicatius femur. puto tamen non adulteratum esse & verum, *nec magis hinc*: &, *hoc Cherinthe tuum*, vt dicat, non hinc femur hoc tuum est tenerius, quòd sit gemmatum & vnionibus distinctum. Reperi etiam, *—Chlorin tibi penè videre est* Horat. ibid.
Vt nudam: sed nescio quomodo velut centuriatis magnisque comitiis omnium ordinum suffragia *Cois* meretur: in his etiam meum, si fortè hac accessiuncula lætetur. Chlorin tamen si quis tueatur, nomen erit meretriculæ. Sic & ista distinguo *—leporem venator vt alta* Horat. ibid.
In niue sectetur, positum sic tangere nolit,
Cantat: & apponit, meus est amor huic similis.

Amator, inquit, cantat vt venator sectetur in niue libenter leporem, sic appositum in ferculo nolit tangere: & mox addit (hoc enim est, apponit) suum amorem esse similem. sectetur autem non sectatur legendum est, quod & veteribus credimus libris, & grammaticorum rationi ita flagitanti assentimur. Mox reperio, *hiscine versiculis*: & cum versiculos dicat, satis indicat versus superiores pro cantico accipi debere, vt explicaui. Lego etiam ex antiquis libris, Horat. lib. 1. saty. 2.

Si interdicta petes, vallo circundata: nam te Horat. ibid.
Hoc facit insanum, multæ tibi dum officiunt res.

Id est, si interdictam & vetitam petas matronarum venerem, ea veluti castra quædam, vallo circundata est, & magna difficultate expugnanda: quę res tamen ad insaniam te adigit & furorem. placet etiam vt editur,

Horat. ibid.

—vallo circundata (nam te
Hoc facit insanum) multæ tibi tum officient res.

si venerem matronarum appetas, ita vndique obuallatam atque munitam, quæ tamen res te ad amorem vehementer impellit & incendit, multa tibi obiicientur incommoda & impedimenta.

Plutei, vineæ, tigna, trabes, testudines, musculi, quædam in Cæsare explicata. CAPVT XXIIII.

Si operam sumpsero in explicanda quadam apud Cæsarem fabrica in obsidione Massiliæ, vt opinor de iuuentute non malè merebor, quæ in legendis auctoribus nihil molestius reperire solet, quàm architecturæ descriptiones. Nos igitur turrim lateritiam, quæ secundo belli ciuilis commentario extruitur, explicemus. Milites Romani in obsidionibus opera facere solebant tecti pluteis aut vineis: inter quos intererat, quòd plutei, vt quidam volunt, erant similes illis appendicibus quas ædificiis applicamus, & tectum in vnam partem deuexum habebant, vt & plutei, in quibus scribimus: vineæ in vtranque partem deuexitatem tecti habebant. Appollodorus in Poliorceticis vineas, minores & leues appellat testudines. sic enim scribit, σκέπεσθαι δὲ αὐλὸς δεῖ χελώναις ἐλαφραῖς, αἱ καλοῦνται ἄμπελοι διά τε τὰς τοξείας καὶ τὰς σφενδονήσεις. εἰσὶ δὲ τοιαῦται κάμακας ἔχουσιν ὁπλῖται ὀρθὰς πρὸς τὸ πέντε, δι' ἀλλήλων κάλα δέτῃ ἐξευγμένους, ἵνα τηρῶσι τὸ τῶν πέντε διάστημα, σχοινία ἔχοντας, ἵνα ἐμπήσσεσθαι δυνῶνται, καὶ ἀναπαύειν τὰς φέροντας. τούτοις δέρρεις περικρεμῶνται καὶ τὰ μέτωπα, καὶ τὰ ἔξωθεν μέρη. ἐκ δὲ ἴων ἄνω πρὸς τοῖς ὀρθοῖς κάμαξιν ἐπίκεινται ῥεγυωμένα, μὴ πρόσειμα δὲ πλατύ, καὶ χαλάσματα ἔχουσα ἵνα ἐκλύηται τὸ πεμπόμενα· γίνονται δὲ ἀνίσου ψῆς οἱ κάμακες παρ' ἕνα, ἵνα τὸ ὑπ' αὐτῶν σχῆμα ᾖ χελώνη. Vegetio plutei è vimine cõtexũtur, cratibusq; & ciliciis protegũntur, formámq; apsidis habent: vineæ machinæ sunt è lignis leuioribus longæ magis quàm altæ, quarũ tectum munitione duplici tabulatis cratibusque contexebatur. His igitur pluteis & vineis tecti milites aduersus missilia & tormenta oppidanorum, parietem ducebant lateritium, quem vbi ad contabulationem perduxerunt, transuersa tabulationem sustinentia sic imposuerunt tigna, vt eorum capita foris non apparerent: super hanc contignationem & cõtabulationem parietem laterculis porrò adstruxerunt, eousque dum pluteis & vineis per tectum, quod non erat admodum altum, ad struendum vti poterant. vbi iam altior assurgebat

Appollodorus in Poliorceticis.

bat structura, quàm vt è vineis attingere eam possent, pluteos & vineas remouerunt: sed supra parietem, quem vltra primam contignationem erexerant, tigna transuersa iniecerunt, quibus suspenderent & sustinerent eam contignationem, quæ turri integumento futura esset: tignis trabes transuersas iniecerunt vltra parietem procurrentes (tigna pullitras nostra lingua vocamus, trabes soleas) vnde præpenderent demissæ storiæ & tegumenta, quæ milites à telis defenderent, parietem sub contignatione secunda erigentes. vbi autem vsque ad tegumentum turris opus perduxerant, tegumenti contabulationem subleuabãt altiusque tollebant: quod Cæsar sic scribit, *turris tectum per se ipsum prehensionibus ex prima contignatione suspendere ac tollere cœperunt: tantum autẽ eleuabant, quantum storiarum patiebatur demissio.* quæ verba hanc sententiam continent: milites ipsum per se tectum sine vineis & pluteis prehendisse, & leuasse quanta prolixitas erat pendentium storiarum, ne si altius erigerent, interlucente spatio storiis non operto, nudi paterent telis oppidanorum. sic deinceps facta contignatione eleuato tecto storiisque præpendentibus muniti tectique opus expediebant. ei adiunxerunt musculum, qui à testudine differt paruitate. Hæ enim machinæ ab animalibus per similitudinẽ nomen traxerunt, minoresque musculi, maiores testudines vocatæ sunt. collocat in musculo duo longa tigna in solo crassitudinis bipedalis, in eis columellas defigit vtrinque, quas capreolis fastigatis coniungit, nostra lingua nomen capreoli retinet: capreolis imponuntur tigna perpetua tecti longitudine, quibus inuehuntur trabes transuersæ à fastigio ad extremum musculi tectum. his infiguntur regulæ, quas lingua nostra latas appellare consueuimus. Ita firmissimum ad omnem iniuriam & pondus tectum comparabatur.

Cæsar commẽt. li. 2. bell. ciuil.

Ascaulæ, pythaulæ, neurobatæ, cancellarij, cellæ suppositoriæ, plumarij, in plumam. CAPVT XXV.

QVÆRVNT, nec profectò iniuria, grammaticorum tribus, qui sint apud Vopiscum in Carino camptaulæ. vox enim ipsa minus vsitata, & à Græcis oriunda, imo verò planè Græca, ne à Græcis quidem ipsis agnoscitur. mihi quidem falsa videtur esse, & irreptitia, legendumque ascaulæ, vt sint vtricularij: sed & mox in eadem vita pythaulas legimus, quorum armamentum musicum imitatur, vt quidam censent, dolium, vt illorum vtriculum. Ita aliorum erat rotundius & tumidius, minus tamen: aliorum oblongius & teretius, maiusque instrumentum. ego verò pythaulas esse legendum contenderim, vt sint tibicines, qui Pythia canebant: Hi-

Vopiscus in Carino.

Vopisc. in Carino.

Higinus lib. fabularum capite 273. ginus, *his quoque ludis pythaulæ, qui Pythia cantauerunt.*
Horatius, *—qui Pythia cantat*
Tibicen, didicit prius, extimuitque magistrum.
Horat. de arte poëtic. quid quòd non minus grammaticorum decurias angit, quod ab eodem
Vopisc. in Carino. scribitur? *Nam & neurobaten, qui velut in ventis cothurnatus ferretur, exhibuit.* hic quoniam ventorum mentio est, sæpenumero existimaui anemobaten legendum: nunc in alia omnia discedo, ac legendum suspicor, sed tamen suspicor tantùm, *qui velut in neruis.* Nam magni miraculi est, velut neruis, non iustis funibus cothurnatum ferri. Cùm enim velut neruis dixit, minutos intellexit funiculos. Quòd si quis est qui ventorum vocabulum retinendum putet, atque immutandum neget, is fateatur necesse est
Vopisc. ibid. anemobaten scribendum, qui velut ventos scandat. Illic etiam cancellarij sunt, qui preces suppliceſque libellos, omniáque scripta, quibus princeps subscribere nolebat, cancellabant, id est ductis cancellatim lineis vitiabant & inducebant, fortasse è notariorum numero: tandem tamen in maximum togatorum fastigium euecti cancellarij sunt, & apud reges hodie secundas ferè tenent: cancellarij autem non erant Carino imperante eius ordinis & dignitatis, vt ad præfecturam vrbis vocari solerent: quam tamen vni mandauit frementibus omnibus ob indignitatem rei.
Vopiscus ibid. Nam senatori alicui aut illustri suo comiti tantum mandare honorem debuerat. *Balneis*, inquit, *ita frigidis vsus est, vt solent esse cellæ suppositoriæ, frigidariis semper niualibus.* hîc, nisi me fallit animi coniectura, cellæ suppositoriæ vocatæ sunt, quæ suppositæ sunt, id est subiectæ: sunt enim fridissimæ, quæ subiectæ sunt niuali frigidario: id ita loquitur, non tamen eleganter eloquitur, vt diceret studiosus quispiam stomachi Ciceroniani.
Vopisc. ibid. Latina tamen ista credo, & non dedignanda. Lego autem in eadem vita, *vt reti flauo & pallio aurato*, non vt euulgatum est, *rete flauia pallio*, nullo
Vopisc. ibid. quem quidem ipse elicere possim, sensu. Quòd autem scribit *plumandi difficultate pernobiles*, exponitur texendi à quibusdam, ab aliis acu pingendi exponitur: & sanè videri potest pro acu pingere interdum accipi, vt à Diuo Hieronymo: species tamen quædam propriè est acu pingendi, cùm claui, aut patagia, aut segmenta, aut scutulæ, aut tessellæ sic aliæ aliis in veste superassuuntur, vt plumam auium referant: vnde & plumariorum & plumandi nomen ortum est per similitudinem traductum: aut cùm sine assumento acu pingendo, plumæ auium referuntur: id indicat Prudentius his versibus,
Prudentius Hamartigenia. *—hunc videas lasciuas præpete cursu*
Venantem tunicas, auium quoque versicolorum
Indumenta nouis texentem plumea telis.
& Maro lib. 11. per similitudinem, etsi de arte plumariorum non scribens

bens ait, *—quem pellis ahenis*
In plumam squammis auro conserta tegebat.
Virg. lib. 11. AEn.
Et Sallustius, *equis paria operimenta erant, quæ lintea ferreis laminis in modum plumæ adnexuerant*: Et Papinius Theba. 11.
Sallust. apud Seruiū in 11. AEn.
Quà malè iam plumis imus tegit inguina thorax.
Statius lib. 10 Thebaid. in eadem vita conciliator turpe verbum est, qui conditiones scilicet alteri conciliat, quique interpres amorum & internuntius est & conciliator: & amoris fœdera sancit & percutit. Hoc caput prodigij simile est, cùm è tantilla vita mihi integrum prodierit, qui interdum vix vndique hostiatim mendicatis frustillis capita expediam.
Vopisc. in Carino.

Medi, fronti præponere oliuam, Albunea, populea corona, acutum gelu, Tibullus explicatur. CAPVT XXVI.

SOLENT Græci, præsertim Attici, Persas appellare Medos, quòd à Medis ad Persas imperium translatum sit: sed cùm Orientis & Persarum opes in Parthorum tandem concesserint ditionem, Atticorum imitatione Flaccus, vt equidem existimo, Parthos appellauit Medos, cùm ait,
Horat. lib. 1. od. 2. *Neu sinas Medos equitare inultos Te duce Cæsar.*
Et alio loco, *Roma ferox dare iura Medis.*
Horat. lib. 3. od. 3. Atque id etiã antè, vt recordamur, perstrinximus. Nos & ex eodem poëta hãc coronã nectemus, nec ex alterius horto flores libabimus: ait ergo.
Horat. lib. 1. od. 7. *Vndique decerptam fronti præponere oliuam:*
qui versus multos sollicitos habuit, vsque adeo vt bono desperato sensu creditum sit esse, *decerptæ frondi* legendum. Itaque hæc iam scriptura obtinet, & velut à prætore contra tabulas in possessionem missa est. vetus tamen ex edicto restituetur, si bono sensu ius suum approbarit. Puto igitur dici aliquos esse, qui in quocunque argumento & materia aliquid loquuntur in laudem Athenarum, eásque semper in ore habent, & commemorant editionem oliuæ à Minerua productæ, vt vrbi nomen imponeret: & in poëmate ita canunt, vt eblandiente loco excurrentes victores Panathenæorum dicant è pacali, vt ita dicam, Mineruæ oliua, aut ex eis quæ ab illa propagatæ sunt, & moriæ appellatæ, publicè coronari: vel denique ipsi se dicant in cantico libenter oliua redimitum caput habere. est igitur, *vndique decerptam fronti præponere oliuam*, ex omni loco & materia & argumento veluti colligere oleagineum termitem, & ex eo coronam nectere: quod est, vbique & in omni argumento de Athenis & olea Mineruæ narrare, cuius felici festaque fronde coronantur homines. Similis est ferè ratio & figura in illo primæ Odæ loco:
Horat. lib. 1. od. 1.

—me gelidum nemus, Nympharúmque leues cum ſatyris chori
Secernunt populo.

ſignificat enim è locis nemoroſis & ſolis, quibus delectantur poëtæ, ſe delectari poëtices ſtudio. Nam vt ad Florum ſcribit,

Horat. lib. 2. Epiſt. 2.

Scriptorum chorus omnis amat nemus, & fugit vrbes
Rite cliens Bacchi ſomno gaudentis & vmbra.
Quàm domus Albuneæ reſonantis.

Horat. lib. 1. od. 7.

Albunea Nympha fuit, cui ſacer erat fons altiſsimus, & nemus pulcherrimum iuxta Tibur: ea Nympha fuit Sibylla Italica. Lactantius de Sibyllis, *Decimam*, inquit, *Tiburtem dicunt, nomine Albuneam, quæ Tiburi colitur vt dea, iuxta ripas Anienis, in cuius gurgite ſimulachum eius inuentum eſſe dicitur, tenens in manu librum, cuius ſacra ſenatus in Capitolium tranſtulerit.* Eam videtur Albanam appellare Tibullus,

Lactant. lib. 1. cap. 6.

Tibull. lib. 2. eleg. 6.

Quæáſque Albana ſacras Tiberis per flumina ſortes
Portarit, ſicco perluerítque ſinu.

Librum autem quem portauit puto ſortes fuiſſe, quas etſi aqua perluebat, ſiccas & ſicco pectore geſſerat. Tiburti autem lucus non minus emendatè quàm Tiburni legi poſſe ſuſpicor, quòd vrbis illius Tiburtinæ conditor Tiburtus & Tiburnus diceretur. Solinus, *à nomine Tiburti fratris natu maximi vrbem vocarũt.* vnde verò quæſo Tiburtinus niſi à Tiburto? Maro

Solinus cap. 8. Virg. 7. AEn.

Tum gemini fratres Tiburtia mœnia linquunt,
Fratris Tiburti dictam cognomine gentem.

Seruius in 7. AEn.

Seruius, *de Græcia tres fratres venerunt in Italiam, Catillus, Coras, Tiburtus vel Tiburnus.*

Horat. lib. 1. od. 7.

Tempora populea fertur vinxiſſe corona,

cùm Horat. canit, quæritur, cur populo Teucer ſe potius coronarit, quàm alia fronde: an quòd ea arbor ſit Herculi ſacra, magnis ærumnis laboribuſque perfuncto? nec id ſanè eſt improbandum: an potius quòd ad bacchantium coronas & genio indulgentium reſpexit? & probabilius eſt, vt lætitiam præ ſe ferret, & oſtenderet, aliósque bene ſperare iuberet. Demoſthenes pro Cteſiphonte, τοὺς ἐστεφανωμένους τῷ μαράθρῳ καὶ τῇ λεύκῃ, vbi grammatici anotant, ἐστέφοντο δι τὰ βακχικὰ τελούμενοι τῇ λεύκῃ, ἅμα τὸ χθόνιον μὲν εἶναι τὸ φυτὸν, χθόνιον δὲ καὶ τὴν περσεφόνης δύνυσον· τιμῶσι δὲ λεύκῃ πεφυκέναι φασὶ τοὺς τῷ ἀχέροντι, ὅθεν καὶ ἀχερωΐδα καλεῖσθαι αὐτὴν παρ' ὁμήρῳ. Cur autem obſecro Horatius gelu acutum vocauit in nono carmine?

Demoſth. pro Cteſiphonte.

Horat. lib. 1. od. 9.

—gelúque Flumina conſtiterint acuto.

equidem acutum dici reor Græco more pro acri & vehementi. grammatici enim Græci obſeruant ὀξὺ ſignificare plerunque magnum & vehemens: eodem modo dixit Horatius,

Horat. lib. 4. od. 4.

Expediunt peracuta belli:

vt Græci

vt Græci ὀξὺ ἄρμα dicũt. Dionyſius autem Lambinus vir omnibus literis egregiè doctus, & Græcè & Latinè imprimis eruditus, & nunc linguæ Græcæ profeſsione Pariſienſe gymnaſium ornans, elegãter & ſagaciter obſeruauit gelu acutum eſſe ab Horatio dictum, vt à Pindaro χιὼν ὀξεῖα dicitur. Pindarus.

Clypeus, ſcutum, antepilani, pilani, pars familiaris, pars hoſtilis, ordo, vexillum, Liuius explicatur.

CAPVT XXVII.

In Liuio ſunt animaduertenda hæc verba quæ ſcripta ſunt lib. 8. *Clypeis antea Romani vſi ſunt, deinde poſtquam facti ſunt ſtipendiarij, ſcuta pro clypeis fecere*: hîc niſi clypeum à ſcuto diſtinguamus, neceſſe eſt à ſenſu aberremus: ſed & Liuius lib. 1. primæ claſſi imperatum dicit eſſe clypeum cum galea, ocreis, lorica: ſecundæ pro clypeo ſcutum, & præter loricam eadem omnia. vbi Dionyſius Halicarnaſſeus pro clypeo ἀσπίδα græcè ſcribit, pro ſcuto θυρεόν. Igitur clypeus rotundus erat, vt Virgilio auctore intelligi poteſt, qui prægrandem Cyclopis oculum comparat clypeo Argolico: oculi autem figura rotunda eſt,

Liuius lib. 8. Liuius lib. 1. Dionyſius Halicarnaſſ. lib. 4. ant. Rom.

Argolici, inquit, *clypei, aut Phœbææ lampadis inſtar.*

Virg. 3. AEn.

ſcutum formæ oblongæ maiuſque clypeo. Itaque pro clypeo ſecundæ claſſi datum ſcutum eſt, quòd ſine lorica eſſent, vt ſcutum & clypei & loricæ loco eſſet, & totum corpus protegeret. Maro,

—ſcutis protecti corpora longis.

Virg. 8. AEn.

hinc & θυρεὸν Græci vocant, quòd referat ſimilitudinem forium, quæ longiores quàm latiores ſolent eſſe. Stipendiarij hic in Liuio ſunt, qui ſtipendia merent. dicit enim Romanos ſcutis vſos eſſe, ex quo ſtipendium militibus conſtitutum fuit. antea enim ſine ſtipendio militabant. Mox idem appellat quoſdam milites antepilanos: *hoc*, inquit, *manipulorum agmen antepilanos appellabant.* ſic autem vocabant haſtatos & principes in legione, quòd eſſent ante triarios, qui pilani vocabantur, vt & M. Varro de lingua Latina docet: Sic enim ſcribit, *haſtati dicti qui primi haſtis pugnabant: pilani, qui pilis: principes, qui à principio gladiis, & poſt commutata re militari, minus illuſtres ſumuntur. pilani triarij quoque dicti, quòd in acie tertio ordine extremis ſubſidio deponebantur.* & Ouid. 3. Faſtorum,

Liuius lib. 8. Liuius ibid. Varr. 4. de ling. Latina. Ouid. 3. Faſtorum.

—haſtatos inſtituitque decem:
Et totidem princeps, totidem pilanus habebat
Corpora, legitimo quique merebat equo.

Non multò poſt eſt in Liuio, *Decio caput iecinoris à familiari parte cæſum aruſpex dicitur oſtendiſſe.* hîc & caput & pars familiaris verba ſunt aruſpicinæ:

Liuius lib. 8.

cinæ: quæ quidem ars cùm ob vanitatẽ & superstitionem meritò desueta sit & improbata, nobis obscura sunt & ignota. Sed coniicere licet caput, fibrarum in iecore initium fuisse: cumque iecur in duas partes diuiderent familiarem & hostilem, & è familiari sua euenta augurarentur, ex hostili hostium fata, duo capita erant, vnum hostile, alterum familiare: de familiari hîc Liuius loquitur, de hostis parte Lucanus,

Lucanus lib. 1.

Cernit tabe iecur madidum, venásque minaces
Hostili de parte videt.

Cicero, *fissum familiare tractant.* de vtroque capite familiari & hostili idem Lucanus,

cic. 2 de diuinat.
Luc. 1.

Ecce videt capiti fibrarum increscere molem,
Alterius capitis pars ægra & marcida pendet.

Liuius 8.

Cùm autem scribit Liuius, *quia sub signis iam alij quindecim ordines locabantur, ex quibus ordo vnusquisque tres partes habebat, earum vnamquanque primum pilum vocabant. tribus ex vexillis constabat. vexillum 186 homines erant.* aut pro quindecim scribendum nouem aut in vexilli numero error sit necesse est. Nam cùm in vexillo dicat esse centum octoginta sex homines, hi tres efficiunt ordines sexagenûm hominum cum suis centurionibus. Nam in ordine duo erant. sic tria vexilla efficient nouem ordines, non quindecim, ex quibus acies postrema constabit, qua ordinem vnum ex illis effici dicit, cuius pars vna primum pilum dicebatur, id est vexillum triariorum: vt proinde legendum esse suspicer, *nouem ordines locabantur: ex quibus ordo vnus, qui tres partes habebat, earum vnam, quam primum pilum vocabant, tribus ex vexillis constabat.* Nam nisi ita legatur, vix est vt ordinum numerus cum vexillis conuenire posse videatur. hæc tamen admonitioni ita sunt, vt non sine cautione lector amplectatur.

Lupata, lupi, Thaliarchus, vt melius pati, vina liques.

CAPVT XXVIII.

Horat. lib. 1. od. 8.

Et iuuat & melli est Horatij quosdam locos excutere: quod iam sæpe fecimus, & sæpe etiam posthac libris sequentibus fortasse faciemus. In libro 1 carminum scribit,

—Gallica nec lupatis Temperet ora frænis.

Hic Gallica ora pro equis dicit gallicis, vt nominat Plautus Gallicos canterios.

Plaut. Aulul. Sc. Narraui amicis multis.

Faxim, inquit, *muli precio qui superant equos,*
Sient viliores Gallicis canteriis.

Fræna autem lupata, quæ & lupata etiam sine additamento dicuntur, frænа

na sunt lupos habentia, & duriora asperioraque: vt currus falcati dicuntur, qui falces habent, secures dolabratæ, quæ habent dolabram, falces vericulatæ, quę vericulum. est autem lupus ferreum instrumẽtum vncum, simile dentium lupinorum: Liuius, *in alios lupi supernè ferrei iniecti, vt in periculo essent ne suspensi in murum extraherentur.* λύκος eodem modo Græcè dicitur ferrum quoddam fræni, vnde lupatum: atque hinc λυκοπάδες equi à nonnullis explicantur. Ouidius ex parte totum frænum significauit cùm dixit,

Liuius lib. 28.

Ouid. 4. Tristium eleg. 6.

—duros accipit ore lupos.

Est & lupus, serrula manubriata apud Palladium: fræni autem lupati ad os equi quantumuis ferocis temperandum domandumque aptissimi sunt.

Palladius.

Thaliarchum in Horatio aspiratè & anhelatè prima syllaba scribendum censeo, vt nomen proprium sit, in quo insit significatio magistri & domini conuiuij, qui & symposiarchus vocabatur. Nam thalia conuiuium etiam Græcis significat. At verò diota (scribi enim iota debet non ypsilo) est amphora, ex eo nominata, quòd vtrinque ferri posset, cùm vtrinque sit ansata: vnde ἀμφορεὺς & ἀμφιφορεὺς à Græcis appellatur, & explicatur ἀγγεῖον κεχαμεῦν ἀμφοτέρωθεν φερόμενον, ὁ δίωτον. ait Horatius,

Horat. lib. 1. od. 9.

Horat. ibid.

Voce formasti catus, & decoræ More palæstræ,

Horat. lib. 1. od. 10.

De Mercurio, ad eius officia id referens: vnde & cognomina apud Græcos inuenit, vnum vt λόγιος ab eloquentia dicatur, quia orationi præest: alterum ἀγώνιος à certaminibus, quòd palæstræ præsit & gymnasiis. Idem erat & nuntius deorum, vnde κήρυξ & διάκτωρ vocatur: etiam ab aurea virga χρυσόῤῥαπις, quæ quidem prætermittere nolui. Leuconoes nomen Grecum est à mentis candore: quanquam candidam mentem Græci pro mala etiam interdum dicunt. Nam Hesychius λευκῶν φραπίδων explicat, κακῶν φρενῶν: nisi sit potius κακῶν φρενῶν legendum, vt reor. Illud autem

Horat. lib. 1. od. 11.

Hesychius.

—vt melius, quicquid erit, pati

est, ὡς κρεῖττον ὂν τῶν τὸ ἐσόμενον φέρειν. Illud enim participium ὄν nequeunt exprimere Latini, & plerunque in eorum oratione desideratur: vt,

Horat. ibid.

—& spatio breui Spem longam reseces,

id est, cùm vitæ spatium sit breue, βραχέως ὄντος τοῦ δρόμου τῆς διαπαίλου, id est cùm breue sit curriculum vitæ. Est igitur, *vt melius* absolutè dictum, pro vt meliore, vt ita dicam, existente. *Vina,* inquit, *liques,* id ex antecedente consequens significat, id est vinum bibas, & tibi indulgeas: ex antiquorum consuetudine, qui vinum vt defecarent, & liquidius redderent, minusque nocens fractis velut viribus, antequam biberent, colo transmittebant: Tertullianus, *conquirito altilium enormem saginam, defecato senectutem vini.* Erant & niuaria cola, quibus & niues attenuabantur, vt Martialis scribit. Verùm cur acrem tibiam dixit Horatius? nempe quòd

Horat. ibid.

Horat. ibid.

Tertullianus.

Martialis lib. 14. epig. 103.

Horat. lib. 1. od. 12. quòd cùm lyræ ſonus dulciſſimus ſit, tibiæ vehementior eſt & acutior & vlulantior, magíſque tinnulus. Idcirco acris tibia dicta eſt, cuius epitheti proprietatem & Fabius in Flacco obſeruauit.

Quintil. lib. 8. cap. 2.

Vnde vocalem temere inſecutæ Orphea ſiluæ.

Horat. lib. 1. od. 12. temerè, valet vulgò, paſſim: alio loco, fortuitò, negligenter,

Horat. lib. 2. od. 11. *Cur non ſub alta vel platano, vel hac Pinu iacentes ſic temerè.*

Liuius lib. 21. temerè eſt ſine arte, Liuius, *itaque ingens vis coacta nauium eſt lintriúmque temerè ad vicinalem vſum paratarum.* è montibus autem illis ſiluoſis arbores Zonen vſque Orpheum erant ſecutæ: illic autem in amphitheatri orbem Orpheum canentem audientes cinxerant. vnde & loco nomen.

ADRIANI TVRNEBI ADVERSARIORVM LIBER DVODECIMVS.

In Catullo quædam animaduerſa, laneum latus, anſeris medulla, Aquinius. CAPVT I.

Catull. epigr. 30. DVLCISSIMVS omnium poëtarum & politiſſimus ait Catullus, *Amabo mea dulcis Ipſithilla,* in quo quidem verſiculorum ſuauiſſimo, nomen Ipſithillæ iucundum illud quidem ſonat, ſed tamen neque merè Romanum, neque verè Græcum ingenua ſua ſibi indole videtur. ego ſi quis ignoſcere in animum inducat audaciæ meæ, quæ facinoroſo graſſatur per auctores impetu, hoſpitilla lubentiſſimè legerim: & cur, afferre poſſim. primùm ferè Romanis vtitur nominibus propriis, quæ ad blandimentum lepidè ſcitéque

Catull. epigr. 42. diminuere interdum ſolet, vt *Septimillum* alio vocat loco, qui Septimius eſt. ſic hîc hoſpitillam: quæ eſt hoſpita. Deinde facilis & lubrica fuit literarum traductio & elementi vnius immutatio. Poſtremò hoſpitam Romæ habuiſſe veriſimile eſt Veronenſem poëtã vrbis incolam. In eodem epigrammate vereor vt illud ſatis emendatum ſit,

Catull. epigr. 30. *Quod ſi iuſſeris, illud adiuuato.*

quodam enim animi ſtudio efferor ad legendum, *illud & iubeto*: aut, ſi quis

quis fortè tale verbum patientibus feret auribus, *illud adiubeto*, quod erit illud præterea iubeto. nam adiuuato, quod erit in illo adiuuato, etſi Latinè eleganterque dicitur, non tamen ita procliui natiuoque verſiculorum & elocutionis curſu incitatur. Legendum in eo etiam poëta puto, *Paterna prima lancinata ſunt bona*, non *primùm*: tum quòd ex iambis ſolis contexitur verſus, tum quòd ſubiicitur.

Catull. epigr. 30. Catull. epigr. 27.

Secunda præda Pontica, inde tertia Ibera.

Catull. ibid.

Nulla vt cauſa ſit, cur non eodem tenore & habitu tota oratio pergere & formari fingique debeat. ſed & cùm Britannia ab antiquiſſimis ſcriptoribus niſi ſingulari numero efferri non ſoleret, niſi in certo quodam loquendi genere, vt,

Mauult quàm Syrias Britanniáſque.

Catull. epigr. 42.

Nam ne Syriam quidem multitudinis numero ſolemus eloqui. Britãnias enim dici poſteriorum imperatorum ætate ſolitum eſt. ſcribendum arbitror, *timet Britannia* non *timent Britanniæ*. & vt iambos cœptos epigrammati reddamus perpetuos, libenter *timéntque galliæ hunc*, pro *hunc galliæ timent*, legerim. Nam in hoc toto epigrammate hunc vnicum ſpondæum reperias pedem. Non eſt autem veriſimile Catullum perpetuare iambos ſtuduiſſe, & ſui tamen oblitum tandem in fine epigrammatis gradibus pernicibus & leuibus pedem tardum inſeruiſſe grauemque menſionem. Nam quòd tribrachyn vnum intexuit, id etiam incitat velocitatem verſus & procliuitatem: quanquam ſi *oplentiſſimæ*, quo modo fortaſſe ſcripſit, legas, conſeruabitur perpetua iamborum connexio & ſeries. Illud autem elegãs, quod latuſculum laneum appellat, quod eſt molle. ſic apud Macrobium dij dicuntur habere laneos pedes, quòd fœtus qui vtero continetur, decimoque menſe foras erumpit, mollibus naturæ vinculis colligatus tenetur. *Ne*, inquit Catullus, *laneum latuſculum manúſque mollicellas.* adiectio ſumpta eſt à mollicie lanæ. Quod autem ait, *vel anſeris medullula*, & in obſcæno quoque eſt carmine poſitum, *quidam mollior anſeris medullula*, id aliquando ſum ſuſpicatus de molliſſima anſerum pluma accipiendum, quæ interior eſt, & corpori proxima: ſed cùm intelligam anſeres in deliciis Romanis olim fuiſſe, quos altiles ſaginatoſque tenerioris ætatis apponere ſolebant, quorum tenerrimis pulpis etiam tenerior multis partibus eſſet medulla: inducor vt credam anſeris medullam, pro molliſſima & tenerrima re vſurpari ſolitam eſſe, cùm Romanorum iudicio teneritatem carnis longè ſuperaret mollitudo medullæ. Iam *Cæſios*, *Aquinos*, malè ſcriptum arbitror, pro *Cæſios*, *Aquinios*: etſi in modulando verſu vocales coniungendæ ſunt, vt earum cœtu vna comprehẽdatur ſyllaba. Aquinium enim malum poëtam fuiſſe è Cicerone conſtat. Nam quinta tuſcu-

Catull. ibid. Macrob. Saturn. cap. 8. Catull. epigr. 22. Catull. ibid. Catull. epigr. 14. Cic. 5. Tuſcul.

lana

lana sic scribit, *adhuc neminem cognoui poëtam, & mihi fuit cum Aquinio amicitia, qui sibi non optimus videretur.*

Fœnicularius campus, ego fructum puto, Cicero emendatus. CAPVT II.

Cic. ad Attic. li. 12. epist. 9.

LIB. Epistolarum ad Atticum 12 obscuritatem quandam & nubem ænigmatis continet quod ita scribitur, *Scribe quæso quid referat Celer egisse Cæsarem de candidatis: vtrum ipse in fœnicularium, an in campum Martium cogitet.* puto autem venustè & ioculariter significari, vtrum ipse à Cæsare impetrauerit cum candidatis vt comitia fiant, vt in Campum Martium candidatus ad petendum veniat, & magistratum petat: an verò hoc ab eo non obtinuerit, nec comitia futura sint, vt ad fœnicularium se recipere cogatur, quod est ad fœnus exercendum desperato magistratu. Nam fœnicularij eadem quæ fœnoris origo, iidem natales: resque tota eo venustior est & iucūdior, quòd & campus erat fortasse aliquis nomine Fœnicularius, & vt non fuerit, tamen prata eo nomine vocari possunt, eoque vocem illam retulit. est & breuitate nimia illud non minus nodosum, *Verum si quæris, homini non recta sed voluptuaria quærenti nonne ἐθέλοι: tu interea dormis. Iam explicandum est πρόβλημα, si quid acturus es. Si quæris quid putem, ego fructum puto.* hîc quidem perbellè ludit, voluptuarios homines sibique indulgentes viuere dicens, quæ est Epicuri sententia, cuius cùm esset æmulus Atticus, tamen dum pecuniam congerit, & negotia gerit, seque studiis rei familiaris implicat, eum voluptates prætermittere nec viuere iocatur. tu, inquit, interim dum illi beatè viuunt, dormis & stertis, cessásque, nec iucunditatem vitæ sectaris vllam. Est autem iam tempestiuum, si hoc acturus es, incipere. Est enim tibi tandem aliquando statuendum quid de finibus bonorum sentias: virtutísne an lætitiæ causa omnia facienda sint? hoc problema explicandum tibi est. Iocatur autem perlepidè, cùm præsertim sciat, quid hac de re Atticus sentiat: qui tamen voluptatis sectam opinione magis, quàm vita & factis sequebatur. quòd si, inquit ludens, ego quid sentiam scire vis, ego fructum puto, & commodis vitæ fruendis beatitudinem metior. βεβίωται autem de iis qui genio indulgebant, dici solebat. Seneca in epistolis, *Pacuuius, qui Syriam vsu suam fecit, cùm vino & illis funebribus epulis sibi parentauerat, sic in cubiculum ferebatur à cœna, vt inter plausus exoletorum hoc ad symphoniam caneretur,* βεβίωται. est & quiddam intempesta nocte eodem libro atrius, sed meridiano sole splendidius & lucidius erit, si falsum scripti corrigatur.

Seneca lib. 1. epist. 12.

Cic. ad Attic. 21. lib. epist. 5.

sic autem editum est, *quod autem osim hanc rem,* ἔχειον *à te.* ego legendum puto,

puto, *quod autem os in hanc rem?* hoc sensu, qua fronte & quo ore audebit à te petere pecuniam mutuam? huic emendationi eo magis confido, quòd Petrus Victorius nunquam sine laude nominandus, in antiquis libris *osin* extare affirmat, vt tantùm distrahenda fuerint, quæ temerè cohæserant. Illud etiam clarum non est nec liquidum, *insula Arpinas habere potest germanam ἀποθέωσιν: habere videatur:* ἐκγόνιμος *est.* loquitur de Tulliæ consecratione, cui fortasse accommodatam putasset Atticus insulam Arpinatem in Fibreno sitam, sibi tamen eam placere negat Cicero, loci solitudinem causatus. sese enim ait in celebri frequentíque loco eam consecrare velle, vt in ortis suburbanis. puto igitur Græcè scribendum ἀγόνομος est hoc sensu, locus est solus & desertus, & caprarum pastioni, quàm hominum celebritati aptior. regio autem illa tota erat asperior & montosa, cuiusmodi capris in deliciis esse solet, & αἰγίβοτος vocatur.

Cic. ad Attic. li. 12. epist. 6.

Sed, veruntamen, copo, quatenus id facit, inuersus annus. CAPVT III.

ETSI qui iocantur plerunque mentiuntur, & mendacio gratiam quærunt, tamen iocantem Horatius nihil putat vetare verum proloqui, cùm lepos & venustas ioci pro inuitamento & illecebra plerunque sit, & sermonem verum condiat, & perfundat iucunditate sui, vt dulciario opere pueri & crustulis ad literas discendas quodam blandimento inducuntur, idque est quod Horatius scribit,

—vt pueris olim dant crustula blandi
Doctores, elementa velint vt discere prima.

Horat. lib. 1. saty. 1.

Est igitur plerunque iocus poëtis pro crustulo & bellario verique condimento. Cùm autem ibi ait Flaccus,

Sed tamen amoto quæramus seria ludo:

Horat. ibid.

sed tamen vacat: sed eo solent interdum vti Latini, cùm inchoatum sensum & longo tractu productum, aut interpellatum interiectione & distractum reuocare & continuare volunt. Cic. 2. Tusc. *Etenim si orationes quas nos multitudinis iudicio probari volebamus: popularis est enim illa facultas, & effectus eloquentiæ audientium approbatio. Sed si reperiebantur nonnulli, qui nihil laudarent, nisi quod se imitari posse confiderent, quémque sperandi sibi, eundem & bene dicendi finem proponerent, quid futurum putamus, cùm adiutore populo, quo vtebamur antea, nunc minimè nos vti posse videamus?* Sic & veruntamen solet ad reuocationem & continuationem sententiæ, non aduersantis iure vsurpari: Cicero in Verrem, *atque ego plus oneris habeo, quàm qui ceteros accusarunt (si onus id est appellandum, quod cum lætitia feras & voluptate) ve-*

Cic. 2. Tusc.

Cic. in Verr.

te) veruntamen hoc ego amplius ſuſcepi, quàm cæteri: Sic & igitur interdum eleganter ponitur, vt & apud Ariſtotelem ſæpenumero οὖν & δὴ in reddition. Quòd autem Flaccus ſcribit, *perfidus hic copo*, non de his tantùm quidam intelligunt, qui ſtatam habent in vrbibus cauponam, ſed de copiariis etiam, qui magiſtratibus præbenda & eorum familiæ præſtabant publicè conducta, qui peregrinantes principes & magiſtratus ſectabantur vinum cibariaque vendentes: in quinta vtique ſatyra apertiſſimum eſt de iis intelligi, qui certam ſtatámque vſpiam habent coponam,

Horat. lib. 1. ſaty. 1.

Horat. lib. 1. ſaty. 5.

Differtum nautis, cauponibus atque malignis,

malignitatem enim eorum accuſat, qui malignè, & illiberaliter victum ferè præbent: in Q. Cic. dubium magis videatur eſſe, & de copiariis intelligi etiam fortaſſe nomen coponis poſſit, niſi *omnes* vniuerſitatis partícula efficeret, cùm ita ſcribit in commentario de petitione conſulatus, *in petitione autem conſulatus copones omnes compilare per turpiſsimam legationem maluit, quàm adeſſe, & pop. Romano ſupplicare.* Erant & in eis parochi, qui lignum etiam ſalemque præbebant. Iam illud,

Q. Cic. de petit. conſul.

Horat. lib. 1. ſaty. 1.

—iubeas miſerum eſſe libenter, Quatenus id facit,

ita accipiendum arbitror, qui inſanabilis eſt, nec deduci de auiditate ſtudioque nummorum accumulandorum poteſt, eum cùm videas in maxima verſari miſeria, iubeas eam, quantamcunque auaritia affert, libenter iucundeque ferre. eſſe enim puto *quatenus id facit*, ad quam vſque ſtudiũ lucri miſeriam perducere ſolet. miſeria autem magna eſt in quærẽda omni labore pecunia, & diligenter cuſtodienda, furibus cauendis, ſaccis indormiendo, nummis vt ſacris parcendo, & abſtinendo, fame ſe enecando. Annus verò inuerſus, annus eſt brumalis, vt ſi ἀνατροπέων diceretur Nam τροπαὶ à Græcis reuerſiones ſolis vocantur, à Latinis bruma & ſolſtitium.

Horat. lib. 1. ſaty. 1.

Quædam lib. 12. ad Atticum explicata, ſol aſſus, ſol nitidus, lætaſter, formaſter. CAPVT IIII.

Cic. ad Attic. 12. epiſt. 4.

LIBRO epiſt. ad Atticum 12. *Nicaſionum archetypa* per ſcirpum ſignificant fœneratorum calendarium, vel quòd Nicaſio fœnerator fuerit, vel quòd in Nicaſione fabula à Cæcilio neſcio quid tale ſcriberetur, vel certè quòd proprium nomen, quod Græcum eſt origine, quadam laſciuia, ad interpretationem Romanam, ad quam alludit, reuocaretur: quaſi Nicaſio à nicando, id eſt necando dicatur: vt eneco & enico dicitur: fœneratorum aurem crudelitas homines trucidare enecareque videtur: vel quadam etiam alia ioci luxuria quaſi hominum ſint victores, ex etymo Græco. hic idem vſuenit mihi, quod Epicuro in Meteorologicis philoſophanti,

ſophanti, quorum non vnam cauſam, ſed omnes, quæ probabilitatem habeant aliquam, eſſe commemorandas putat. Aſſum autem ibidem ſolem intelligit aridum, torrentem, calidum, æſtuoſum, ſiccum, ſine vnctione, quam Græci ἡλιοκαΐαν appellant: *ſolem* verò *nitidum & vnctum*, cœnam opiparam & lautam poſt ambulationem in ſolario, aut ſub dio. ſolebant etiam vncti in ſole nudum corpus calefacere, & tanquam torrere, inquit Perſius,

Cic. ad Attic. 12. epiſt. 5.

Cic. ibid.

Perſ. ſaty. 4.

At ſi vnctus ceſſes & figas in cute ſolem.

Quod eodem libro ſcribitur, *Si quid habet collis ἐπιδήμιον*, intelligo, ſi collis Quirinalis, vbi tu habitas, inſalubrior eſt, & in eo ſolet hominum valetudo tentari. ἐπιδήμιον enim è notione ἐπιδημίας, id eſt morborum popularium hoc loco cenſeo explanandum eſſe. ſcribit & hunc in modum eodem libro, *Tantùm rogat de S. C. vt corrigas. hoc quidem feciſſet etiam ſi Rauio admonitus eſſet.* ita hunc locum hodie excudunt: ſed Petrus Victorius in capſariis vetuſtarum bibliothecarum libris, ſe reperiſſe prædicat Rario: cui ſi ſyllabæ vnius ſupplementum addas, fiet ærario. Notum eſt autem morem fuiſſe ſenatuſconſulta ad ærarium deferendi. ſi, inquit, ærario admonitus fuiſſet, hoc etiam feciſſet, & eum, ærarium vt hoc faceret admonere potuit, quo deferendum erat ſenatuſconſultum & antè corrigendum. Illud mox, *Si verò à Faberio recedit*: de pecunia intelligo, ſi à Faberio pecunia recedit, nummuſque mouetur, & mihi ſoluit quod debet: & vt coniecturas noſtras alias indicemus, vbi ſcribitur, *ſi qua etiam iactura facienda ſit in repræſentando, quod poſſum adducito*: legendum arbitror, *quoad poſſunt, adducito*: vt de ſuis nominibus & debitoribus loquatur, vt eos Atticus adducat eò, quoad poſſunt repræſentare. legi etiam poſſet, *quoad poſſum*, hoc ſenſu, quoad poſſum iacturam facere. eſt & locus ab interpunctionibus ſenſus perditi, &, vt ita dicam, inſani, qui tamen, vt ſpero, ſic ſanitati reſtituetur: *Quæris à me quod ſummum pretium conſtituam, & quantum anteire iſtos hortos Druſi: acceſſi nunquam. Coponianam villam & veterem & non magnam noui.* cùm autem quantum anteire dicit, audiendum eſt conſtituam, quod anteceſſit. negat autem ſe poſſe id conſtituere, cùm eò nunquam acceſſerit. Lego etiam, *Philotimus negat Cn. Pompeium teneri.* quod ſequitur, *eſt fuluiaſter*: id verò eſt, imitatur Fuluium Pompeianorum ſtudioſum, rumoreſque falſos, qui de ſecundis Cæſaris rebus ferunter, eſſe prædicantem. ſic ille antiquus apud Feſtum verſiculus,

Cic. ad Attic. 12. epiſt. 9.

Cic. eod. lib. epiſt. 14.

Cic. eod. lib. epiſt. 15.

Cic. ibid. epiſt. 24.

Aut hic formaſter aut lætaſter paruulus,

explicari videtur debere, de eo qui formoſum aut calentem hominem (nam formus eſt calidus lingua antiqua, vnde & formoſus) & lætum imitaretur, talemque oſtendere ſe vellet & fingeret.

Costa, desuper venire, antiqua patria, silentia lunæ, cauus, amplecti postes, salutare limen. CAPVT V.

COSTÆ Latinis interdum sunt ea statumina & firmamenta, quibus tabularum compages connectitur: vt in equo Troiano canit Maro,

Virg. 2. AEn. —*sectáque intexunt abiete costas:*

id est statumina tabulas connexura intus intexunt ei operi. sic *costa ratis laceræ*, à Persio appellatur. Quod autem de machina illa Troiani equi dicit Maro,

Pers. Saty. 6. Virg. 2. AEn. —*venturáque desuper vrbi,*

id est vrbi superuentura, & eam oppressura: vt quæ ex alto ingruunt, & suo casu grauitateque subiecta premunt & onerant, & ruina sua inuoluunt & obruunt: ea quoque tempestas impotentior & atrocior infertur, quæ tanquam à vertice deiecta incumbit:

Vir. 2. Georg. *Præsertim*, inquit Maro, *si tempestas à vertice siluis Incubuit.* At

Virg. 2. AEn. *Nec mihi iam patriam antiquam spes vlla videndi,*

non mihi videtur tãtum occultare mysteriorum, quantum nonnulli comminiscuntur. poëtam enim persuadere conantur id ob antiquitatẽ Argiuorum dixisse: ego verò existimo cùm transfugam simulet, qui iam solum mutarit, & patriam velut nouam nouasque sedes exilio quæsierit: eum appellare patriam antiquam, patriam pristinam, cuius solum verterit, & cuius amiserit ius, qui se in aliam velut dicarit priore deserta. Est enim antiqua patria à qua demigratum vel à colonis, vel exulibus, vel transfugis: sic Tyrum Didûs antiqua patria dicitur,

Virg. 4. AEn. *Nanque suam patria antiqua cinis ater habebat.*

Virg. 4. AEn. Iterum, —*& Troia antiqua maneret:*

erat enim euersa, & alias quærebat sedes Æneas. Aras autem illas solennes, ad quas taurum Neptuno immolat Laocoon, in litore fuisse suspicor. Nam & Neptuno apud Homerum in litore sacra facit Nestor, & deo marino litoralia sacra videntur conuenire, & prodigiosæ anguium narrationi, hoc quoque consentaneum erit. Etsi autem Luna silere dicitur, cùm intermenstrua est, neque lucet: tamen *tacitæ amica silentia lunæ* Maro dixit, nocturnum eius lumen intelligens, quòd noctem silere dicerent, vt Catullus,

Hom. Virg. 2. AEn. Catull. epig. 7. *Aut quàm sidera multa cùm tacet nox.*

Id est, cùm est nox. Dies enim inquietus, & clamosus est: nox tranquilla & tacita: & à Flacco eleganter scriptum est,

Horat. Epod. 5. od. *O rebus meis Non infideles arbitræ*
Nox & Diana, quæ silentium regis Nocturna cùm sunt sacra.

Nam & ad tacitæ lunæ silentium nocturnum respexit, & ad silentium sacrorum,

crorum, in quibus imperari solebat, vt linguis faueretur, ne quod ominosum verbum excideret, quod sacra vitiaret, atque id quod dixi de silentio lunæ apud Maronem eo verius puto, quòd sciam à Petronio Arbitro scribi captam Troiam fuisse plena luna, quæ pernox solet lucere: sic enim scribit,

Petronius Arbiter. *Iam plena Phœbe candidum extulerat iubar,*
Minora ducens astra radianti face:
Cùm inter sepultos Priamidas nocte & mero
Danai relaxant claustra, & effundunt viros.

Maro eodem libro, vt & aliis quoque locis, cauum appellat, quod solidum non est, sed inane:

—*nox*, inquit, *atra caua circumuolat vmbra.* Virg. 2. AEn.

Et libro sexto, *Ni doceat volitare caua sub imagine formæ.* Virg. 6. AEn.

Illud autem, —*postesque sub ipsos Nituntur gradibus:* Virg. 2. AEn.

argumentum habet, in edito ianuam fuisse, gradibusque ad eam aliquot ascendi solitum, quod hodieque fieri videmus in optimatum ædibus, regiisque principum. Sed & cùm ait,

—*penitúsque cauæ plangoribus ædes,* Virg. 2. AEn.

Cauædium intelligit, quod post atrium erat, explicaturque à Varrone & Vitruuio. inquit Maro,

Varro 4. de Ling. Latina. Vitruuius lib. 6. cap. 3. *Amplexæque tenent postes, atque oscula figunt.* Virg. 2. AEn.

Hoc vt opinor è Romanorum moribus dictum est, qui religionis aliquid liminibus & postibus tribuebant. Apud Plautum limen superum & inferum quadam religione salutatur: & apud Tibullum liminibus oscula dantur, vt hîc apud Maronem postibus: & qui ædem dedicabat postem tenebat, ad deorumque placandam iram poste caput tundebant.

Plaut. Mercatore Sc. Limen superum inferũque. Tibullus lib. 1. eleg. 2. Tibull. lib. 1. eleg. 2. *Non ego*, inquit Tibullus, *si merui, dubitem procumbere templis:*
Et dare sacratis oscula liminibus.
Non ego Tellurem pedibus perrepere supplex,
Et miserum sancto tundere poste caput.

Et apud poëtas amatores dant postibus serta. Quod si non satis religionis opinonem confirmat: at certè verisimile eandem posti quam limini reuerentiam & cerimoniam tributam. igitur amplectuntur postes & osculantur, eorum religione se tutas fore, & immunes ab hostium iniuria existimantes.

Gladius, parazonium, trabea Remi, & quædam alia in Papinio explicata. CAPVT VI.

POTESTAS animaduertendi in facinorosos meri imperij est, vt iu-

risconsulti scribunt, idque gladij ius est: quod quidem ex ea tractum est consuetudine, quòd principes Romani præsidibus & præfectis prætorio, iisque, quibus hoc imperium esse volebant, gladium dabant. Id facile est coniicere è verbis Papinij sic scribentis,

Statius Papinius li. 5. sil. 2.

Felix qui magno iam nunc sub præside iuras,
Cuique sacet primum tradit Germanicus ensem.

Sed & Imperatoris gladius vnius erat curæ commissus, præfecti scilicet prætorio, cùm Imperator etiam multò magis merum imperium haberet, quàm quibus eam potestatem in prouinciam euntibus mandabat. Philostratus, βάσσου δὲ τῷ περιφερομένου τὸ ξίφος θάνατον αὐτῷ φησαντος, ὁ ἡρώδης ὧ λῷστε ἔφη γέρων ὀλίγα φοβεῖται. vt autem maioribus illis potestatibus gladius, eiusque potestas dabatur: sic tribunis pugio, quod παραζώνιον dicitur. Martialis,

Philostratus.

Martial. lib. 14. epigr. 32.

Militiæ decus hoc & gratinomen honoris
Arma tribunitium cingere digna latus.

Dio. In Traiano.

Dio Traianum scribit dixisse, cùm parazonium Suræ cingeret, hoc pro me, si rectè imperaro vtaris: sin secus in me. Ita in his meritum honorum distinguebat magnitudo ferri, ac gladio accingebantur imperatores, duces, præsides: pugione tribuni. vt autem in honoribus mandandis his armis accingebantur: ita cùm ignominiosè mittebantur, & honoribus priuabantur, discingebantur, cuius rei multa passim in iure aliisque scriptoribus extant exempla. verùm quando è Papinio locum adduximus, in ea præterea silua vnde deprompsimus, aliquid explicemus.

Stat. li. 5. sil. 2.

—non, inquit, *sanguine cretus*
Turmali, trabeáque Remi, sed paupere clauo
Augustam sedem & Latij penetrale senatus
Aduena pulsasti.

ea vetus lectio horum versuum est, alij *trabéque & remis*, emendant: sed si constare sensus potest literaturæ veteri, cur non asseratur? non tu, inquit, equestri natus es loco, & sanguine turmali: trabeati autem erant equites Romani cùm transuehebantur, vt Valerius scribit. trabeam autem Remi dicit, quòd Remus & Romulus trabea vsi sunt: vnde & trabeatum Quirinum vocat Ouidius. Equestris autem ordinis clauus erat angustus, vt latus clauus senatorij. non enim placet de clauis caligaribus id intelligi. Nam eum dicit nunquam angusticlauium fuisse, sed statim tunicam lati claui induisse. sequitur enim,

Valer. Max.

Ouid. 1. Fastor.

Statius lib. 5. sil. 2.

Primáque patritia clausit vestigia luna:
Mox Tyrios ex more sinus tunicámque potentem
Agnouêre humeri.

Statius ibid.

In ea silua legendum crediderim —*quanquam vestita viderent* *Arma.*

vetus

vetus enim est scriptura vectita, pro qua suppositum *Nemeæa*: ego modesta ferendaque mutatione non incommodè *vestita* inseri posse video. vt puerorum prætexta purpura circundata erat: sic tironum vestis pura, candida, sine vlla purpura: tirones autem eos dico qui togam virilem sumebant, qui & eodem die in forum deducebantur, qui dies tirocinium dicebatur. de prætexta & veste pura, hæc apud Papinium eadem silua legimus, quæ notanda esse putauimus,

Statius ibid.

Nec saltem teneris ostrum iuuenile lacertis
Exuit, albentique humeros induxit amictu.

Fiebant in castris tribunalia duci cespititia, vnde ius dicebat, & milites alloquebatur. hinc illud Papinij eadem silua,

Stat. li. 5. sil. 2.

—hoc cespite turmas Affari.

Sed & ex armamentario principis centurionibus, præfectis, tribunis, alarum præfectis, enses diuidebantur: Papinius,

Stat. li. 5. sil. 1.

Præterea fidos dominus si diuidat enses,
Pandere quis centum valeat frænare maniplos,
Intermissus eques, quis præcepisse cohorti:
Quem deceat clari præstantior ordo tribuni:
Quisnam frænigeræ signum dare dignior alæ.

In secunda ecloga quædam explicata, incondita, herbas contundit olentes, resonant arbusta cicadis, percurrere labro calamos, Pallas quas condidit arces, colat.

CAPVT VII.

In secunda Maronis ecloga —*ibi hæc incondita solus* *Montibus & siluis studio iactabat inani:*

Virg. 2. eclog.

sic declarandum existimo, vt non condita versu ea profudisse Corydonem dicat, quæ postea ipse in versum incluserit. Etsi enim Corydon versus iactat suos, tamen per illam amoris insaniam & querelam ex tempore carmina non effundebat. Itaque Maro quæ ipse condiderit versibus postea, tum eum dicit sine numero querentem declamasse.

Virg. ibid.

Thestylis & rapido fessis messoribus æstu,
Allia serpillúmque herbas contundit olentes,

cùm dicit Maro: significat messores genus hominum laboriosissimum tamen interquiescere propter æstum, prandereque moretum, quo genere edulij allio & herbis olentibus non tam conditi, quàm infecti messores & rustici illa tempestate vescebantur, vt è moreto Virgilij intelligimus.

Virg. ibid. *At mecum raucis, tua dum vestigia lustro,*
Sole sub ardenti resonant arbusta cicadis.

hic Maro è cicadarum cantu maximum æstum significat, perinde ac si diceret, at nunc meridiano tempore solis vapore omnia torrentur, quòd arbusta cicadis resonantia ostendunt. per æstum enim cicadæ vehementius canunt, Virg. in Georg.

Virg. 3. Geor. *Inde vbi quarta sitim cœli collegerit hora,*
Et cantu querulæ rumpent arbusta cicadæ.

Iam non esse dubitandum nec quærendum puto, quid vaccinium sit, de quo tanta contentione inter doctos est disputatum: hanc enim totam litem Maro diremit, qui quod scripsit Theocritus

Theocritus Virg. 10. Eclo. ἠ τὸ ἴον μέλαν ἐστὶ, ἠ ἃ γραπτὰ ὑάκινθος, vertit

Et violæ nigræ sunt & vaccinia nigra. proinde

Virg. 2. Eclo. *—vaccinia nigra leguntur,*

de hyacintho intelligamus: expetebatur autem tingendo purpureo colori vaccinium. Virg. ibid. *Mille meæ Siculis errant in montibus agnæ:*

id imitatione Theocriti à Marone dictum est, cuius in bucolicis æmulus est. Theocritus autem Syracusanus scenas edylliorum suorum in Sicilia ferè fingit. Virg. ibid. *Pan primus calamos cera coniungere plures*
Instituit, Pan curat oues, ouiúmque magistros:
Nec te pæniteat calamo triuisse labellum.

vetus fistula septem compacta cicutis, vel auenis cera iunctis erat: quarum series imitabatur organorum, vel hydraularum fistulas: habebat autem vnaquæque cicuta sonum suum ab aliis discrepantem, ita vt septem calami septem vocum discrimina redderent. eas, vt hodie castratores suũ sibilarium, labris percurrentes cantus dabant: vnde Lucret. scripsit,

Lucretius li. 5. *Et supra calamos vnco percurrere labro.*

Lucret. lib. 4. Iterum Lucretius de Pane loquens,

Et genus agricolũm latè sentiscere, cùm Pan
Pinea semiferi capitis velamina quassans
Vnco sæpe labro calamos percurrit hiantes.

Virg. 2. Eclog. Ouid. 8. Metamorph. Vnde & terere labellum dixit Maro. Ordo autem is erat cicutarum, vt deinceps, quod ab Ouidio scribitur, decresceret arundinis ordo. Nam cùm paris essent crassitudinis, vocum mutatio quærebatur lõgitudine & breuitate. Virg. 2. Eclo. *Eheu quid volui misero mihi? floribus Austrum*
Perditus, & liquidis immisi fontibus apros.

Austrum hîc aliquando non ventum intellexi, sed vas quo aqua hauritur: cùm etiam auster ab haurienda aqua à grammaticis dici scribatur. qui autem vas floribus immittit, vt imprudentes sæpe olitores, flores opprimit & conculcat. Nunc credo illud subtilius quàm verius excogitatum esse: & de vento Austro interpretor, cuius aura calida & æstuosa statim languescunt flores pulcherrimi. Papinius,

Pubentésque rosæ primos moriuntur ad Austros. Statius lib. 3. sil. 3.

Valerius Flaccus, Valer. Flacc. lib. 6. Arg.

Lilia per vernos lucent velut alba colores,
Præcipuè queis vita breuis, totúsque parumper
Floret honor: fuscis etiam Notus imminet alis.
—Pallas quas condidit arces, Ipsa colat:

Minerua ædificiorum, vt Oppianus scribit, inuentrix fuit: & proinde ex ædificiis, vrbium. vrbes ergo quas condidit, ipsa incolat. ipsa etiam πολιοῦχος & πολιὰς & ἐρυσίπολις cognomento, vt vrbium tutela colebatur, quarum & præses est: & in arce templum Athenis habebat: sed Oppiani verba nostram sententiam cofirmantia proferamus. Virg. Eclog. 2.

Δῶρα δὲ τεκτήνασθαι, ἀναφῆναί τε μέλαθρα,
Φάρεά τ' ἀσκῆσαι μήλων εὐανθέϊ χαρπῷ,
Παλλὰς ὀπιχθονίοις ἐδιδάξατο. Oppianus 2. lib. ἁλιευτικῶν.

Arcium tamen meminit Maro, quòd in ea vrbium parte ei solebant templa fieri. Furnutus de ea, ἵδρυσθαι δὲ ἐν ταῖς ἀκροπόλεσι μάλιστα. Declarat quoque ei templum in editissimis locis & arcibus solitum poni Vitruuius lib. Furnutus de natura Deor. Vitruuius lib. 1. cap. 7.

1. *Ædibus verò sacris, quorum deorum maximè in tutela ciuitas videtur esse, & Ioui, & Iunoni, & Mineruæ in excelsissimo loco, vnde mœnium maxima pars conspiciatur, areæ distribuuntur.* Hîc, vt & hoc interim moneam, trium illorum deorum mentionem fecit Vitruuius, qui vrbi Romæ censebantur præsidere. Hæc ego pauca huc congessi, quæ bonorum iuuenum studiosorumque doctrinæ causa mihi non supprimenda existimaui.

Durum vinum, molle vinum, typi, Thyonianus apud Catullum, Dulce dedit apud Ouidium, caluus Nero.

CAPVT VIII.

VINVM durum est asperum, & adhuc insuaue, neque potui tempestiuum maturumque. sic de vino, *hoc durum est pater*, à Terentio scribitur. ei opponitur vinum molle, quod maturum est potui, mitemque adeptum est saporem: Maro, *Tunc agni pingues, tunc sunt mollissima vina.* Sic Græci, vt Theophrastus & Athenæus, σκληρὸν & μαλακὸν οἶνον dicunt. sed emansores sumus, & licenter vagamur, similesque Scytharum statam sedem non habemus: hucque & illuc ferimur, non corpore, sed cogitatione, cuius celeritatem nihil æquauerit. *Typos tibi mando*, inquit Cicero ad

Terent. Heautontimor. act. 3. sc. 1. Virg. 1. Geog. Theophr. Athenæus.

Cic ad Attic. lib. 1. epist. 8. ad Atticum. qui sunt igitur isti typi? non, vt puto, imagines solum & simulachra, nec sigilla hominum: sed insculptæ etiam aliarum rerum variarum effigies & formæ, quarum distincta varietate in tectoriis delectabantur: ita vt variæ quadræ & crustæ variis celatæ speciebus viderẽtur. Diuus Lucas, τοῖς τύποις, οὓς ἐποιήσατε προσκυνεῖν αὐτοῖς. & illud, ἑρμῆ λογίῳ τύπον εἰς ἀνθρώπους ἔφιλω ἐλληλυθέναι. Atque hæc mea ista de re sententia est, si nihil scriptura mentitur fallitque. nam Muretus vir ingenij singularis & iudicij tubos legendum affirmat: quod si ita est, intelligam imitationem aquæductus: vt & putealia sigillata imitationem putei in tectorio ostendent: aut immissa per illos tubos tectorio inclusos & labens aqua in putealia, puteum efficiet. sed priorem sensum meliorem puto. Quæsitum est, qui sint apud Germanicum antistoche & antisceptę, sæpiusque ampliata causa nihil pronuntiatum. hîc conabimur non interloqui. existimo legendum antœci & antiscij, vt eos populos intelligamus, qui in distantissima orbis terrarum plaga contrarias nobis sedes habent, & vmbram in diuersum mittunt. Apud Catullum, vt enim quicque sub acumen stili subit huc cõiicimus, numero magis quàm delectui consulentes. apud Catullum igitur scribitur, *Hic merus est Thyonianus*. quo versu significat meraca Bacchi pocula per transnominationem: rediuiuus enim Bacchus matrique fulminatæ superstes, Thyonianus vocatus est: vel potius illum dilaceratum reducem sospitemque vitę redditum hoc nomine sacra canebant arcana. Ausonius, *Ne in sacris & fabulis aut Thyonianum mireris aut Virbium, illum de Dionysso, hunc de Hippolyto reformatum.*

Diuus Lucas. Germanicus in Phænomenis. Catull. epigr. 24. Ausonius Edyllio 16.

Dulce dedit, tosta quod coxerat ante polenta,

Ouidius 5. Metamorph. Cùm ait Ouidius, significatur κυκεὼν, quem Cicero vertit cinnum. ei potioni conficiendæ miscebatur polenta, id est farina ordeacea, vt è libro Hippocratis de diæta constat & Homero, apud quem etiam cinno irraditur caseus. sed & vt Hippocrates refert, interdum mel ei admiscebatur, quo factum est vt dulce vocarit Ouidius in neutro genere, quod ait coctũ cum polenta fuisse. qui enim grammatici polentam hic neutrius generis faciunt, in pollinariis & pistoribus potius quàm grammaticis numerandi videntur. Didymus cyceona dicit esse potionem ex vino, melle, polenta, aqua, caseo temperatam, qualem etiam Circe miscebat, veneficio tamen præterea medicatam.

Cic. de Oratore. Hippocrates de diæta. Hom. Odyss. κ. Didymus in odyss. κ.

—& caluo seruiret Roma Neroni,

Iuuenalis satyr. 4. scripsit Iuuenalis satyrico felle, è populi tamen sententia, & sermone. Nã cùm Domitianus sæuitia Neronem vel exæquaret, vel superaret, ac Nero alter esset (iam enim nomen Neronis de Domitio successore Claudij in crudelitatis famam & inuidiam concesserat) idemque caluus esset, vt à superiore

superiore Nerone distingueretur, Nero caluus maledictis populi appellabatur. Ausonius,

Ausonius de 12. Cæsarib.

Et Titus Imperij felix breuitate, secutus
Frater, quem caluum dixit sua Roma Neronem.

Vadimonium à vade ductum est, vt mercimonium a merce: & quanquam eo nomine propriè censetur obligatio sistendi se iudicio, tamen omnis sponsio & promissio eo interdum vocabulo continetur, vt è dicto Thaletis Milesij cognosci potest, ἐγγύα, παρὰ δ' ἄτα, quod Ausonius vertit,

Ausonius in 7. sapientum sententijs.

Mileti fugisse Thales vadimonia alumnus.

alio loco conuertit, *—sponde, noxa tibi præsto est.*

Ausonius in ludo 7. sapientum. Auson. de claris vrbib.

γηγενεῖς terrigenæ dicuntur à Latinis, vt gigantes: αὐτόχθονες eodem terrigenarum nomine etiam intelliguntur, vt Athenienses: Ausonius,

Nunc è terrigenis patribus memoremus Athenas.

Delegare deos, suspensa bona, libellos deiicere, Fabius Persicus, dare in antecessum, linguarium. CAPVT IX.

CVM peruolutandi mihi librum 4 Senecæ de beneficiis nata esset occasio ex eo, quòd vltrotributorum in eo exemplum quærerem, de quibus ante differui, quæ obiter attendi, his lectorem ingenuum non fraudabo: *Debitores*, inquit, *nobis deos derogat, precatúrque, vt illi pro se gratiam referant*: ego haud dubitem quin Seneca scripserit, *Debitores nobis deos delegat*: delegat enim debitorem, qui alium pro se, qui soluat, substituit, quod verbum familiare iurisconsulti s cùm sit, & eorum sermone Seneca libros sæpe suos ornet: denique hoc verbum sententia non postulet tantùm, verumetiam flagitet, cur non audacter secundum ipsum decernimus & causam damus? Suspensa bona dixit Seneca, quæ venalia pendent in tabula proscripta, vt Tranquillus, *lege prædiatoria in vacuum ependerit*: Senecæ verba sunt, *& suspẽsis amici bonis libellum deiicio, creditoribus eius me obligaturus*. Deiicere autem libellos is solebat, qui creditoribus se obligare paratus erat, vel soluere parabat, vel denique eum, cuius bona proscribebantur, defendere volebat. Cicero pro Quintio, *Libellos Sex. Alphenus procurator P. Quintij familiaris & propinquus Sex. Næuij deiicit. In numerum & discrimen dierum* equidem in Seneca legere malim, quàm quomodo placet viro sanè doctissimo, hic tamen mihi non nominando, vbi reprehenditur. *Fabius Persicus*, quem impurissimum & obscœnissimum omniũ mortalium describit Seneca, & perpetuis inurit stigmatis, is planè est, quem Iuuenalis perstrinxit cùm scripsit,

Senec. 4. de benef. cap. 12. Sueton. in Claud. cap. 9. cic. pro Quintio. Senec. 4. de ben. cap. 23. Sen. de ben. 4. lib. cap. 30. Iuuenal. saty. 8.

Cur Allobrogicis & magna gaudeat ara,

Natus

Natus in Herculeo Fabius lare.

Ac Seneca poëtæ facem præfert, & prælucet sententiæ. Vt aliquid in solutum dari dicimus, ita eleganter dicimus, dari in anteceſſum, quod quidem est dari & solui antequam deberi incipiat aut peti possit, quod nos ante manum dari dicere consueuimus: eo genere dicendi aliquoties Seneca vtitur & iurisconsulti, nos vno libri 4. loco contenti erimus. *Ego*, inquit, *quid cui debeam scio: aliis post longam diem repono, aliis in anteceſſum, aut prout occasio & rei facultas tulit*, id est aliis etiam antequam debeã soluo. *Ecce*, inquit, *vt doleat tibi, vt postea consideratius loquaris, quod dicere solemus, linguarium dabo.* Linguarium hic appellat Seneca tanquam linguarum thecam & repositorium, in quo se dicit linguam conditurum, ne temerè promittat. Natum est hoc verbum è ioculari vulgi sermone, quo & nos plerunque iocantes vtimur. *Et appellare*, inquit, *debitorem possum, & si foro ceſſerit, portionem feram*: hæc verba ad eam actionem pertinent, quã iurisconsulti tributoriam vocant, qua creditores pro portione de peculio serui capiunt, & ad eã, quæ quasi Seruiana vocatur. *Quingenti*, inquit, *denarij sunt: illud, quod dici solet, in morbo consumat*: verba sunt hominum malè precantium illis, quibus de suo aliquid erogauêre ingratis, aut improbis soluere coacti sunt: hac, inquiunt, pecunia non sanus & valens fruatur, sed valetudinarius in morbo vtatur.

Senec. 4. de ben. cap. 32.

Senec. 4. de ben. cap. 36.

Senec. eod. li. cap. 39.

ap. 39. eod. ib.

Color mustellinus, extrema linea, propinare, commendare se in clientelam, in oculis gestare. CAPVT X.

Terent. Eunuch. act. 4. sc. 4.

Menander apud Donatum in Eunuch. Terentij.

REPREHENDI intelligo à Grammaticis Terentium, quòd eunuchũ colore dixerit mustellino, quem γέροντα γαλεώτῃ Menander appellauerat, de lentiginoso stellionis colore. Nam, vt inquiunt, γαλῆ, quæ mustella est, à stellione plurimum distat. Sed non facilè patior doctos scriptores insciticæ insimulari, & si potero Grammaticorum calumniæ pro Terentio respondebo. Equidem existimo γαλεώτῃ non tantum stellionem significare, sed etiam mustellam. constat enim pisces non rarò à similitudine terrestrium animantium nomẽ tulisse. Nunc qui mustellini sunt generis, γαλεοὶ & γαλεῶται vocantur: vt non dubitandum esse videatur, quin eo nomine mustella censeatur. γαλεώτης, inquit Hesychius, ὁ ἀσκαλαβώτης, ἢ ἰχθὺς, ἢ ζῶον χερσαῖον. piscis autem ille, vt opinor est mustella, cuius pellis fœdi coloris est & inhonesti: & apud Aristophanem in Nebulis,

Hesychius.

Aristoph. Nebulis.

ἤδη γαλεώτῃ καθεχέσαντι Σωκράτης,

Terent. Eunuch. act. 4. sc. 2.

de mustella vel fele, quàm de stellione, quicquid grammatici & Latini & Græci perstrepant, intelligere malim. Sed hoc textum è Terentij velut

lut penso confectum erit. *Certè*, inquit, *extrema linea amare haud nihil est*: amare extrema linea, est amare impensissimè. ducta translatione à curriculis, vel stadiis, in quibus prima linea cursus erat in carceribus, vltima in fine, quæ & calx dicebatur, quòd scilicet calce vel creta notaretur. Vltra autem calcem nihil supereſt, quò cursus tendatur, spatiaque palæstrarum & curriculorum lineis erant inclusa. Tertullianus aduersus Hermogenẽ, *Adiiciam & ego propter non intelligentes, quorum Hermogenes extrema linea est.* Tertullianus etiam in iisdem lineis dimicare dicit, pro in eodem gradu: quia sic interdum collato pede pugnabatur, vt lineæ ductæ pedem semper insistere oporteret, nec inde referri, hocque genere exercitationis vtebantur. *Hunc*, autem, *vobis comedendum & deridendum propino*, vaㅣet, hunc vobis do, ab antiquorum consuetudine Regum, qui phialas interdum compotoribus propinabant, quas illi auferebant. Suidas, προπεπωκότες, ἀντὶ τοῦ προδεδωκότες, ἐκ μεταφορᾶς δὲ λέγεται. προπεπωκέναι δὲ φασὶ τὴν συνουσίαν πολλὰ μὲν ἀργυρώματα τὸν προειρημένον, πολλὰ δὲ ζευκτὰ τῷ προυσίᾳ. quiddam etiam tale apud Demosthenem & Athenæum reperire licet. *Bene*, autem, *libenter victitas*, desiderandi significatione quidam accipiunt: bene libenter hilarem in modum viuere & epulari cupis: sed frequentationem epulandi non malè declarabit.

Tertull. aduersus Hermogenem.

Terent. Eunucho act. 5. sc. 9. Suidas.

Terent. Eunucho act. 5. sc. 9.

Thais, inquit, *patri se commendauit in clientelam & fidem.* hoc more & instituto Athenienſium, apud quos, qui ciues non erant, sed inquilini, patronum aliquem sibi optabant, quod προστάτην νέμειν dicebant. qui autem patronum non habebat, in ius eo nomine vocabatur, appellaturque illud iudicium, ἀπροστασίου δίκη. —*debeam*, inquit,

Terent. ibid.

Credo isti quicquam furcifero, si id fecerim:
Præsertim cùm se seruum fateatur tuum.

Ter. Eunuch. act. 5. sc. 2.

id dictum accipio è 12. tabularum sanctionibus, & Athenienſiũ legibus, apud quos, qui liberum hominem pulsauerat, ære mulctabatur. seruo se igitur impunè facere posse dicit. Credo autem temerè in ea fabula gestire consediſſe, pro gestare, in illo loco,

G. Rex te ergo in oculis. T. scilicet. G. gestire.

Ter. Eun. act. 3. sc. 1.

Nam gestare in oculis credo Latinè dici, vt ferre & gerere: gestire autem minus hîc conuenit. At vincto pectore esse, est esse pectore gracili & castigato: vnde & Festus Pompeius ait, *Vinciæ dicebantur continentes*, credo quòd tales gracilioris & tenuioris sunt abdominis, quàm incontinentes, quibus propendet aqualiculus. Non est autem dubium, quin Donatus legerit, *qui illum flocci fecerim*, non vt nunc peruulgatur, *non flocci*, quod etsi leue est, tamen non indignum admonitione credidi sed extra lineas penè capitis excurrimus: verbum igitur nõ amplius addam, vt inquit ille.

Ter. Eunuch. act. 2. sc. 3. Fest. Pomp. li. 19.

Ter. Eunuch. act 3. sc. 1.

Parenchireſis, encænia, emendatus Fabius.

CAPVT XI.

Quintil. lib. 7. cap. 1.

EST apud Quintilianum quædam capitis præſcriptio de diuiſione ſeu parenchireſi, quod verbum poſterius quia non ſtrepit vulgò in quadriuiis, vixque vnquam in ſcholis auditur, explicãdum eſſe videtur, ne ſi quis in ipſum fortè incidat, eius nouitate & inſolentia perturbetur & circum Grammaticos vagetur, quid ſignificet quæritans. Arbitror igitur eſſe parenchireſin, cùm vel præter orationem, vel declamationem, huius tamen vel illius cauſa, vel orator vel Rhetor de ordine capitum, diuiſione cauſæ, collocatione & diſpoſitione apud ſe exigit & perueſtigat, aut diſcipulos inſtituendo quæſtiones & capita docet, & vltra eos qui idem argumentum tractarunt, excogitare aliquid conatur. Quòd enim id præter vel orandi vel declamandi officium & munus ſit, & aliquid præter alios excogitandi labor ſuſcipiatur, parenchireſis vocatur, velut conatus quidam & aggreſſio præter legitimum opus: atque in ea capitum & quæſtionum perueſtigatione & ordinatione ſeptimus Quintil. lib. conſumitur. Eſt & parenchireſis, cùm argumentum & negotium ab alio tractatum alius ſibi ſcribendum ſumit, vt apud Ciceronem ad Atticum de oratione Bruti, *prorſus contendis committere, tam multis verbis agis. Egóne vt eam cauſam, quam is ſcripſit? Ego ſcribam non rogatus ab eo? nulla* παρεγχείρησις *fieri poteſt cautumelioſior*: hic parenchireſin vocat ſcriptam à Bruto cauſam ſcribere. Eodem modo & Themiſtius elegans & nitidus ſcriptor, non tantùm doctus philoſophus, parenchireſeis appellat, cùm quid ſecus, quàm alij dicimus, aut prætermiſſum ſcribimus, τό, τε σμικρὸν ἕνεκα παρεγχειρήσεων, ὅλοκλήρως καταβάλλεσθαι πραγματείας, ὅμοιον τῷ τὸν Ἀθηναῖον βλωμιῶνα μεταχωνεῦν τὸν φειδίαν, ὅτι τὸ δεσμὰ ἢ κρηπῖδος ὤφελε ἀμείνω ποιῆσαι, & ἀπαρεγχείρητον Timæo, eſt perfectum. Occurrit & in Quintiliano verbũ hyperoargus: ſic enim in eo ſcribitur, *hyperoargus ſceptra miliquit Pelops*: Sed è Senecæ epiſtolis, *En impero Argis, regna miliquit Pelops*, legendum eſt, ne in vocabulo inaudito & monſtroſo homines poſtea obſtupeſcant. At aliud eſt truculentum multò magis, & pro terriculamento homines mente propemodum alienans: cenſeas è magico eſſe ſuſurro ad euocandos manes, *in Græcis obeliſco coludumo*: ego, etſi iſtas laruas & lemures vix abigere poſſim è bono ſcriptore, tamen pro iſta velut empuſa territante Grammaticorum cohortem, ſuſpicer non incommodè legi *obeliſcolychnio*, quod verbum apud Ariſtotelem extat. videtur tamen Fabius vnius vocis exemplo contentus non fuiſſe, vt fortaſſe vox aliqua etiam deſideretur. Illud verò eiuſdem ſcitum & venuſtum *neminem non aliquando cœpiſſe peccare, nec per encænia ducen-*

Themiſt. in præfat. in poſter. Analytic. Ariſt.

Timæus Locrus de natur.

Quint. lib. 9. cap. 4.

Senec. lib. 11. epiſt. 81.

Quintil. lib. 8. cap. 6.

Ariſtot. de part. anim. li. 4. c. 6.

Quint. lib. 7. cap. 2.

ducẽdum ſcelus primum: hic autem latet neſcio quid argutum & eruditum, quod è verbi proprietate puto eruendum: encænia enim ferias ſignificant, quæ nouo operi facto dicandoque conſecratæ ſunt: ſic publicè bibliothecæ dedicabantur, ædes ſacræ, opera publica, etiam ſtatuæ: Papinius de equo Domitiani, *Cæterum hos verſus indulgentiſſimo imperatori, poſtero die quàm dedicarat opus, tradere iuſſus ſum.* Encænia autem illa publicè palamque magno hominum conuentu agitabantur celebrabanturque: at verò maleficia, & ſcelera clam perpetrantur, nihilque in his æquè ac conſcios & teſtes oculos homines reformidant: ea certè per encænia non ducunt nec publicant.

Statius in epiſtola lib. 1. ſil.

Latè rex, connubium ſtabile, maturate fugam, currus ſecundus, premere habenas & dare, feſſi rerum, premere ceruum.

CAPVT XII.

PARVA quidem ſunt, nec nego, quæ dicam, ſed cùm non omnino rudem poſſent fallere, quid ea breuiter monentis potius, quàm docentis modo prohibet attingere? apud Maronem,

—et ſpumas ſalis ære ruebant,

Virg. 1. Aen.

ſine controuerſia de nauibus roſtratis eſt intelligendum, quæ æreo roſtro in prora armatæ erant: vnde & æratæ dicuntur lib. 10.

Quot prius æratæ ſteterant ad littora puppes.

Virg. 10. Aen.

& libro 5. *Conuulſum remis roſtriſque tridentibus æquor*:

Virg. 5. Aen.

eadem de cauſa dicitur. Eodem libro populus latè rex dicitur Homerico exemplo tanquã εὐρυκρείων, qua attributione ſæpenumero exornatur Agamemnon. *Connubio iungam ſtabili*, de firmo certoque coniugio, nec diuortio fortaſſe vllo vnquam dirimendo dicitur. Cicero in Antonium, *Curio te in matrimonio ſtabili ac certo locauit*: ſed, vt opinor, ita appellabant, velut quodam omine ſtabilitatem & firmitatem matrimonio augurantes, cùm præſertim nemo nuptias contrahat, niſi ſpe permanſionis & diuturnitatis.

Virg. 1. Aen. Cic. 2. Philippic.

—imis Stagna refuſa vadis.

Virg. 1. Aen.

hinc intelligimus domicilium deorum marinorum eſſe in imis gurgitibus & vadis, vt & lib. 4. Georgic. oſtẽditur: Neptunus enim ſenſit, commotam eſſe tempeſtatem, mari ab imis vadis agitato & euerſo. in eo autem quod ait, *Maturate fugam*, non agnoſco illam ſubtilitatem, quam afferunt veteres Grammatici, eſſeque feſtinatè diſcedere atque properatè exiſtimo, vt dicere ſolebant maturat ab vrbe proficiſci: & Cicero dixit, maturare mortem eodem modo.

Virg. 4. Geor. Virg. 1. Aen. Gell. lib. 10. cap. 11. Macrob. lib. 6. cap. 8. Cic. pro Cluẽtio.

—curruque volans dat lora ſecundo,

Virg. 1. Aen.

significat, dat lora & laxat equis suis Neptunus habenas celeriter currentibus eos sequente curru. Premere habenas, & adducere, est equos à liberiore retinere coercereque impetu & cursu: dare habenas & immittere, est equis liberum campum cursumque permittere.

Virg. ibid. —*geminique minantur In cœlum scopuli,*

id est in cœlum vsque minaces illi scopuli videntur attolli & eminere.

Virg. ibid. Nympharum autem domus, est locus sacer nymphis, quem & incolere credebantur, vt numina sua templa. Antra autem nymphis sacrari solent.

Virg. ibid. *Ac primum silici scintillam excudit:*

Id est è silice excutit. Nam silicis gignendi casu probare non possum.

Virg. ibid. *Fessi rerum*, sunt fatigati naufragij calamitate & tempestatis iactatione: sic

Virg. ibid. dixit, *sunt lachrymæ rerum*, id est calamitatum, & rerum aduersarum. Ita-

Virg. ibid. que paulò post scribet, *Tum victu reuocant vires. Rapuitque in fomite flam-*

Virg. 1. AEn. *mam*: hîc attribuitur Achatæ, quod fomiti nutrimentoque ignis tribuendum fuit. Fomes enim flammam corripuit, sed cùm eam in fomite excitasset Achates, meritò in eo dictus est ipsam rapuisse, quam in eo quærebat eleganti figura orationis. *Tergora*, porro, *deripiunt*, non *diripiunt*, lego, vt sit corium detrahunt. *Implentur veteris Bacchi*, Græcanicum est:

Virg. ibid. apud enim Græcos gignendi casum πληρωῦ exigit.

Aut spumantis apri cursum clamore prementem.

Virg. 3. Georgic. premere verbū est venatorium, vt & agitare & excitare. Maro alio loco,

Ingentem clamore premes ad retia ceruum.

Hæc properata lectione festinantes interim obseruabamus, & aliis communicanda censuimus, quibus maiorem tamen eruditionem optamus, quàm vt huius opellæ studio & subsidio ad intelligendum indigeant.

Flexus, efflorescere, dies curiæ, apud Ciceronem.

CAPVT XIII.

Cic. 1. de Orat. EGREGIA est & insignis translatio lib. 1. de Oratore à curriculo circóue ducta, *decursu honorum & ætatis flexu constitisset*. Nam circi & stadij spatium decurritur, cùm ad metā ventum est, pars ea flexus dicitur, Græ-

Aristot. 3. Rhetoric. cè καμπλήρ. Aristoteles lib. 3. Rhetoricorum, διόσῤ ὅτι τοῖς καμπλῆρσιν ἐκπνέθσι ϗ ἐκλυόνλαι. Eadē translatione dixit pro Cælio, *in hoc flexu quasi ætatis fama adolescentis paulùm hæsit ad metas.* non minus distinguit & exornat

Cic. pro Cælio. orationem nobilis illa translatio eiusdem libri. *Etenim ex rerum cognitione efflorescat & redundet oportet oratio.* à floribus autem foras erumpentibus est sumpta: sed aliud tamen valet, quàm vulgò creditur. Nam oratio

Cic. 1. de Orat. ex rerum cognitione efflorescit, quæ è rerum cognitione & copia emanat

nat & existit, & tanquam flos exoritur & enascitur: vt & in Partitionum peroratione. *Expositæ sunt tibi omnes oratoriæ partitiones, quæ quidem è me-* Cic. in Partitionib. *dia illa nostra Academia efflorverunt*, id est exierunt & emanarunt. Nihilo secius & quod ait, redunder, translatè dictum est, quòd ex illa rerum cognitione & scientia effundi oratio debeat. Nam quæ redundant, superfluunt & effunduntur. Verùm enimuero cùm dicitur eo libro, *tantáque* Cic. 1. de orat. *esset in homine iucunditas, & tantus in iocando lepos, vt dies inter eos curiæ fuisse videretur conuiuium Tusculani.* etsi scio à doctissimis hominibus, diem curiæ, diem senatus exponi propter grauitatem superioris orationis, quo profectò sermone non perinde vsi videntur esse homines illius seculi: tamen quodam animi impetu eo vehor, vt diem curiæ, diem quo curiales rem diuinam in curia sua faciebant, hilariterque epulabantur, accipiam: mœstus enim & tristis sermo inde exulabat, & inauspicatus infaustusque habebatur, & à re diuina alienus. [redacted] nec commodè dies senatus significari videtur posse, cùm proximè antecedat lepos, & quæ sequuntur ad eum non ad tristitiam superioris sermonis referenda sint: de sacris curialium & epulis sic scribit Dionysius lib. 2. ζωϊδύον τε τοῖς ἱερεῦσιν αἱ φρήτραι εἰς τὰς ἀπομεμοιθάσας αὐτοῖς θυσίας, ϗ σωεστιῶλο κῆ τὰς ἑορτὰς ὅτι τῆς φρατριακῆς ἑστίας. ἑστατέλου γὰρ ὧ κλισκευασμένον ἑκάστη φρήτρα &c. Tertullianus in apologetico, *tot tribubus & curijs, & decurijs ructantibus aceſcit aër.* Erat quoque apud Græcos epulandi in curijs consuetudo, vt ex Athenæo constat, qui θιάσους & δεῖπνα φρατρικὰ lib. 5. nominat, atque cùm eis nomen thiasi tribuat, quanta in eis hilaritas & iucunditas inesset intelligi vel solo eo nomine potest: si quis tamen pertinaciter contendit diem curiæ diem senatus esse, me potius habebit approbatorem quàm altercatorem. At in eo libro contra auctoritatem editionum obtinendum est modis omnibus legendum esse, *quem tu adolescentulus perculisti*, euersum enim à Crasso adolescētulo Car- cic. 1. de orator. bonem fuisse dicit. hæc ego quæ facilia sunt, tamen multis fortasse minus eruditis obscura videri & difficilia possunt, malui attingere & annotare, quàm prætermittere & negligere, ne si eruditorum, qui nostro auxilio non egent, rationem mihi habendam esse tantùm putarem, alijs quibus opitulandum potius est penitus deessem.

Dionys. Hal. lib. 2. antiq. Rom. Tertull. in Apologet. Athenæus lib. 5.

Inter alta propugnacula apud Horatium, æstiua & hiberna pecoris, & quædam alia explicata. CAPVT XIIII.

IPSVM statim Epodon, vt ita dicam, vestibulum negotium exhibet

literatis, *Ibis Liburnis inter alta nauium*
Amice propugnacula.

Horat. Epod. od. 1.

Horat. lib. 1. satyr. 6.

amicum autem ſine controuerſia Mæcenatem vocat, vt in ſermonibus,

—iubéſque Eſſe in amicorum numero.

Et principes primoreſque Romani ab inferioribus clientibuſque ſuis & familiaribus amici magni vocabãtur, vt alio loco iam diximus. Cùm igitur Mæcenas claſſi Liburnarum præeſſet, vtrúmne inter aliarum nauium, vt triremium & quadriremium propugnacula & turres ibat in bellum: an inter alta ſuæ claſſis propugnacula & turritas moles. Priorem ſenſum, vt verum fateamur, verba recipiunt: poſteriorem Prudentius agnoſcere videtur, qui eadem de re ita ſcribit,

Prudentius 2. contr. Symmach.

Fluctibus Actiacis ſignum ſymphonia belli
AEgypto dederat, clangebat buccina contra:
Inſtiterant tenues cymbæ, fragiléſque faſelli:
Inter turritas Memphitica roſtra Liburnas.

Et Propertius, At cùm ait,

Propert. lib. 3. eleg. 11.

Baridos & contis roſtra Liburna ſequi.
Non vt iuuencis illigata pluribus
Aratra nitantur meis.
Pecúſue Calabris ante ſidus feruidum
Lucana mutet paſcua,

Horat. Epod. od. 1.

ſe militaturum libenter nullius latifundij, nullorumque ſaltuum mercede nec opum ſpe, in Mæcenatis ſolius gratiam, prædicat: ſic alio loco dixit,

Horat. od. 15. Epod.

Sis pecore & multa diues tellure licebit.

qui autem ditiſſimi erant, ſuo pecori ſaltus hibernos & æſtiuos habebant: pecuarij quoque qui non poſſidebant ſaltus, tamen pecus profitentes, alioqui lege Cenſoria commiſſurum, & ſcripturam ſoluentes publica no, in alijs æſtiuis & hibernis pecus paſcebant. Varro, *Itaque greges ouium longè abiguntur ex Apulia in Samnium æſtiuatum, atque ad publicanum profitentur, ne ſi inſcriptum pecus pauerint, lege cenſoria committant.* Iterum, *quod accidit ijs, qui per calles ſilueſtres longinquos ſolent comitari in æſtiua & hiberna.* hinc *æſtiua Lycei*, in Marone lego, pro paſcuis, in quibus pecus æſtiuat. Cùm autem ſuburbanæ villæ in maximo pretio eſſent, magiſque quæ præclarè magnificeque ædificatæ erant, & amplitudine plurimum loci ſpatijque occupabant, ſcripſit per hyperbolen,

Varr. 2. de re Ruſt. cap. 1.

Virg. 3. Geor.

Horat. od. 1. Epod.

Nec vt ſuperni villa candens Tuſculi, Circæa tangat mœnia.

Illud verò,

Horat. ibid.

—haud parauero
Quod aut auarus, vt Chremes, terra premam,
Diſcinctus aut perdam vt nepos:

Hanc continere ſententiam videtur: modicæ diuitiæ, quæ benignitate tua

tua iam mihi ſuppetunt, quæque ſatis ſunt vſui, me delectant, vltra nihil deſidero: diuitias naturæ finibus & vſu termino, quicquid diuitiarum extra naturalem vſum quæritur, vel auaritiæ, vel luxuriæ eſt inſtrumentum, cùm hæc nequiter profundat, at illa terræ infodiat.

Horatius in Epodis emendatus & explicatus.

CAPVT XV.

LICET homines dicant me perfricuiſſe frontem, & gnauiter impudentem eſſe, qui nulla tot editionum verecundia, nulla tot pluteorum, audeam in Horatio legere,

Horat. 2. od. Epod.

Quod ſi pudica mulier in partem iuuans
Domum atque dulces liberos:
Sabina qualis, aut peruſta ſolibus
Pernicis vxor Appuli:
Sacrum vetuſtis extruat lignis focum.

Scio ego *iuuet* vbique extare, ſed cùm participium deſideretur, & ſubiungat mox participia Horatius, parem orationis tenorem perſequens, denique participium ſenſus, qui nobis vim affert fauceſque premit, flagitet, *iuuans* legere non cunctabor, atque in hoc periculum me conijciam.

Si quos, inquit Horatius, *eos intonata fluctibus*
Hyems ad hoc vertat mare.

Horat. ibid.

Quod eſt, ſi tempeſtate fluctus ab ortu excitatus & coortus, & in occaſum prouolutus & impulſus, in Italicum mare raros illos & peregrinos piſces aduehat.

Vel agna, inquit, *feſtis cæſa Terminalibus*,

Horat. ibid. Siculus Flacc. de cõditionib. agrorum.

vt Siculus Flaccus ait, termini in terra collocabantur conſecrabanturque, cæſa immaculata hoſtia à dominis, qui confines agros poſſidebant, & vt opinor, quotannis Terminalibus agnas cædebant, iucundeque epulabantur. Proxima autem ode cùm ait,

Horat. 3. od. Epod.

Vt Argonautas præter omnes candidum
Medea mirata eſt ducem:
Ignota tauris illigaturum iuga,
Perunxit hoc Iaſonem.

Significat allium eſſe veneficium omnium certiſſimum & præſentiſſimum non cibum, Medeamque veneficam nullas potiores herbas ad veneficium habuiſſe, cùm vel charos ſeruare & liberare periculis vellet, vel inimicos vlciſci & perdere. Ita venuſtè & lepidè fingens iocatur poëta: quod etſi abſque ope mea omnes intelligere potuerunt, tamen mihi di-

cendum esse credidi, vt si alijs, quod dici solet, non canerem mihimet-ipsi certè ceciniſſe viderer.

Oleum decumanum, modus scenatilis, vocis suscitabulum, quadrinæ molæ, angina, sagestre, ab orbita, Hercules Socraticus.

CAPVT XVI.

QVÆDAM ex auctoribus, quos desideramus, afferre Grammatici antiqui solent, quæ nobis quodam sui tanquam gustu amissorum desiderium augent scriptorum: ex his nonnulla collecta adscribam. Vt triticum hodie decumanum, quia miscellum est, vinum etiam decumis collectum, deterius est: sic Lucillius oleum decumanum, pro deteriori dixit his versibus,

Lucil. apud Non. in Acerosum.

Quæ gallam bibere ac rugas conducere ventri
Farre acerosо, oleo decumano penè coëgit.

Modum scenatilem pro versu scenico, vt Iambico, quo in comœdijs & scena poëtæ solent vti, etiam positum, vt nequaquam vulgariter, sic & eleganter poëticeque legimus à Varrone in Modio:

Varro apud Non. in Scenatilis.

Sed ô Petrulle ne meum taxis librum,
Si te pigebit hic modi scenatilis.

Nam versus iambicos, quibus hoc composuit, innuit iucundo circuitu orationis. Sunt & perbelli Varronis senarij, quibus argutus quidam & canorus, se alios ad cantum suscitare iactat, ac cantantium se gallum gallinaceum dicit, quod galli suo cantu totum diem lacessunt: se quoque idē ait esse phœnicis vocis suscitabulum. Est enim, vt è Plinio & Lactantio constat, phœnicis modulatissimus cantus: etsi pro phœnice, lego etiam fornicis, vt meretricularum blandæ & melleæ voces intelligantur versu tamen claudicante.

Plin. lib. 10. cap. 2. Lactant. in Phœnice.

Varr. apud Non in Suscitabulum.

Phœnicis, inquit, *adsum vocis suscitabulum,*
Cantantiúmque gallus gallinaceus.

Cato. cap. 18. Trapeta quædam & torcularia fuerunt, quadrinis vasis, vt apud Catonem legimus, quæ plus olei vinique premebant: sic quadrinæ molæ plurimum farinæ in pistrinis faciebant: hinc illud Pomponij in pistore: *Nam plus quæsti facerem, quàm quadrinas si haberem molas.* Anchoras in Nonio legimus vincula esse, quibus antennæ tenentur, vt apud Lucillium,

Pompon. apud Non. in Quæsti. apud Non. in Ancoræ vincula.

Funis enim præcisus citò atque anchora soluta,

Isidor. lib. 19. Etym. cap. 2.

sed vel, vt apud Isidorum est, anquina scribi debet, vt in Cinnæ versu,

Atque anquina regit stabilem fortissima cursum:

vel, vt suspicor, vtrobique angina: quia enim ille funis angit & adstringit, ideo, vt conijcio, angina dicebatur, quod innuere videtur Isidorus, qui

qui funem interpretatur quo antenna constringitur. Sagestre videtur esse operimentum crassum, vt sagorū erat crassior pannus: Lucillius, *Penula, si quæris, cæterius, seruus, sagestre.* etsi segestre hîc qui legant non desunt. Ab orbita Varro dixit, quod non alienū est à via & instituto: sed ex consuetudine & via: eius verba sunt de vita populi Rom. *neque id ab orbita matrum familias instituti, quòd eæ pectore ac lacertis erant apertis, nec capitia habebant.* Erat Varronis satyra nomine Hercules Socraticus, titulo peringenioso, vt omnium ferè illius scriptoris satyrarum. Cùm enim Socrates patientiam tolerantiamque præcipuè coluisset, Cynicique ab eo oriundi eam cum æquanimitate æmularentur, & se domitores vitiorum Herculisque imitatores ferrent, inde, vt existimo, scitè Socratici Herculis titulum excogitauit. Lucianus de Diogene, ἀγ. ζηλοῖς δὲ τίνα; Διο. τὸν Ἡρακλέα· & mox sequitur, προαιρούμαι δὲ ὥσπερ ἐκεῖνος, ὅτι τὰς ἡδονὰς, ὑ κελευστὸς, ἀλλ' ἐκόσιος ἐκκαθάραι τὸν βίον προαιρόμενος· Citatur hæc Varronis satyra à Nonio.

Apud Non. in Penula.

Apud Non. in Capitia.

Lucianus in vitarum auctione.

Columnarij, ademptus est bonum, exactus es hanc rem, mala orbiculatá, quò ea pecunia peruenerit.

Apud Non. in Sutrinas.

CAPVT XVII.

LOCVS est in epistolis Cælij, in quo vt in luti voragine omnes hæserunt: *Sanè tanquam in quodam silice omnia adhæserunt.* hic & ipse hæreo: sed vt hîc satagunt omnes, sic impeditus & implicatus ipse annitar potius me expedire, quàm exoluam. Legendum ergo puto *in quodam cilicio.* Nā per cilicium & coactilia aliquando liquorem aliquem transmittimus, vt in ijs ramenta auri adhæresçant aqua transfusa. cōiecturam adiuuat, quòd in vetustis libris cilicia legitur, vt Victorio credimus. in eiusdē Cælij epistolis columnarij sunt homines viliſſimi obærati & decoctores, qui sæpe ad columnam Meniam in ius vocabantur, quam intelligit pro Sestio Cicero scribens, *æris alieni in freto ad columnam adhæresceret:* Cælij verba sunt, *nolo*, inquit, *te putare Fauonium à columnarijs præteritum esse, optimus quisque eum non fecit.* Illud verò insolens est Cælij, *ne quod furore Pauli ademptus esset boni*: sic enim constituendam scripturam arbitror non adeptus. est enim Græcè locutus εἰ μὴ ἀγαθόν τι ἀφῃρημένος εἴη, vt in Trinummo Plauti,

Cælius lib. 8. famil. epist. 5.

Cælius lib. 8. famil. epist. 10. Cic. pro Sestio.

Quas sponsione pronuper tu exactus es.

Plaut. Trinūmo sc. Minus quindecim dies.

Et apud Gellium in Metelli oratione, *sese maximas pecunias exactos esse*: & apud Cæcilium, *Ego illud nihilominus exigor portorium. nunquam tibi*, inquit Cælius, *oculi doluissent, si in repulsa Domitij vultum vidisses.* veteres ei dicebant oculos dolere, qui, quod nollet, videret: Terentius in Phormione, *Vin' primùm hodie facere quod ego gaudeam Nausistrata, & quod tuo viro ocu-*

Gell. lib. 15. cap. 14. Gell. ibid. Cæl. lib. 8. famil. epist. 15.

li

Terent. Phormione act. 5. sc. 9. li doleant? Scribit Cælius, *nunc tibi nostri milites, qui durissimis & frigidissimis locis teterrima hyeme bellum ambulando confecerunt, malis orbiculatis esse pasti videntur?* hîc mala orbiculata pro delicatis cibis poni intelligo, quæ in delicijs erant lautissimis hominibus vrbanis. mala enim deteriora edebant milites: Iuuenalis,

Cælius lib. 8. famil. epist. 16.

Iuuenalis sat. 5.

Vitro sibi, & reliquis virronibus, illa iubebit
Poma dari, quorum solo pascaris odore:
Qualia perpetuus Phæacum autumnus habebat,
Credere quæ possis surrepta sororibus Afris:
Tu scabie frueris mali, quod in aggere rodit,
Qui tegitur parma & galea.

Cæl. 8. lib. famil. epist. 8. Ait Cælius, *neque Laterensis prætor, postulante Pausania, nobis patronis, quò ea pecunia peruenisset recipere vsluit.* Dicit cùm postularet Pausanias per me patronum, vt iudicium in eos daret prætor, ad quos pecunia peruenisset, recipere noluit prætor postulationem. Lege tamen Iulia omnes ad quos pecunia peruenisset, tenebantur: Cicero pro Rabirio, *Est enim hæc causa, quò ea pecunia peruenerit, quasi quædam appendicula causæ iudicatæ atque condemnatæ. sunt lites æstimatæ A. Gabinio, nec prædes dati, nec ex bonis eius, quanta summa litium esset populus recepit. Lex æqua est. Iubet lex Iulia persequi ab ijs ad quos ea pecunia, quam is ceperit, qui damnatus sit, peruenerit.*

Cic. pro Rabirio Posth.

Cicero emendatur, ludi Osci, via Græca, manus gypsatæ, græcula cautio, more Romano. CAPVT XVIII.

EGO more chirurgorum vulnera quærere mihi videor: ea tamen multò sæpius, quàm velim, inuenio in auctoribus, tantùm vereor ne ab alijs persanata & cicatrice obducta à me exulcerentur. Sed vt ad rem veniam, in epistola ad Marium quiddam vlceroſum est, cùm scribitur, *Stabianum perforasti & patefeciſti Seianum.* Victorius hic è veteribus libris nobis repræsentat, *patefeciſti senum*: scribamus igitur *sinum*, vt factis fenestris in sinum maris Campani, vt Puteolanum, apertum fuisse amœnum prospectum scribat. Sed qui tandem in eadem epistola sunt ludi Osci? quidam putant, quibus Atellanæ dabantur: Atella enim oppidum Campaniæ fuit: vnde earum nomen. Osci enim populi Campaniæ fuerunt. Sed Osci ludi vt existimo, & fabulæ Oscæ & mimi lingua Romana non fiebant, Romanis tamen intellecta. Etsi enim ea gens deleta erat, tamen etiamnum vigebat sermo, & comœdiæ agebantur Romæ Osca lingua.

Cic. 7. familiarum epist. 1.

cic. ibid.

Strabo. lib. 5. Geogr. Strabo, τ μὲν γὰρ ὅσκων ἐκλελοιπότων, ἡ διάλεκτος μένει παρὰ τοῖς Ρωμαίοις, ὥστε καὶ ποιήματα σκηνοβατεῖσθαι, κατά τινα ἀγῶνα πάτριον, καὶ μιμολογεῖσθαι. Aliũ quoque

que Romanorũ quã Oscorum sermonẽ fuisse ex illo versu Titinij patet,

Apud Festum lib. 13.

Qui Oscè & Volscè fabulantur: Nam Latinè nesciunt.

Sed in eadem epistola est obscurius, quæ sit via Græca: ac eam equidem esse credo, quam Hercules octo stadiorum aggere in Lucrino munijt, cùm enim Hercules Græcus fuerit, Græcæ viæ meritò nomen dedisse videri potest. In epistola porrò ad Trebatium, quæ sunt gypsatæ manus? ego, vt commentum ipse quoque proferam meum, & sententiarum numerus crescat, per gypsatas manus barbaram mulierem significari puto: nam barbaræ mulieres manus sibi pingere solebant, vt Valerius Flaccus scribit: &, vt opinor, etiam ad candorem gypsare, Flacci versus est,

Cic. lib. 7. epist. 6.

Valer. Flacc. lib. 2. Argon.

Picta manus, vstóque placet sed barbara mento.

gypso enim ad se candefaciendas vsas mulieres esse ex epigrammate Rufini constat, vbi scribitur,

Rufinus.

Αἰλιδά μοι παίδων ἀδάλᾳ χροὸς, ἥρεϊ γύψᾳ
Χείσμαϲα, τὸ φύκους ἄνθος ἐπεισάδιον.

In epistola ad Cæsarem, *vel Leptæ delega*, sic obscurum est visum, vt cùm in hac caligine nullam dispicerent lucem, fecerint *Leptæ legatum*: sed *Leptæ delega*, bono mihi sensu scriptum videtur, vt dicat iocans tam diuitem fore propediem eum hominem ipsum, vt creditori suo Leptæ Cicero, qui soluat, delegare possit: id enim est delegatione soluere. Nam is, qui tua causa à me ditatus fuerit, tibi debebit, vt tuum æs alienum soluere debeat. aut dicit, nisi hoc faciam, eum delega & commenda non mihi imperatori, sed Leptæ. Græcula autem cautio chirographi, existimatur epistola esse Græca ad Cæsarem, sed potius crediderim epistolam esse eam ipsam Latinam quam ad Trebatium mittit suo chirographo scriptã, quam Græculam cautionem vocat propter Græcam fidem, de qua apud Plautum, *Græca mercamur fide*, & apud Ausonium, *mutuatur ad Græcam fidem.* Iterum, *non Pœna, sed Græca fide.* vt enim Græca fides certa est, sic Græca cautio certa firmáque intelligenda est. Nam in cautionibus nostram obligamus fidem, vt & Cicero suam ea epistola obstringit, cùm promittat Trebatium multa assecuturum. More Romano, pro verè, & ex animo à Cicerone in illo epistolarum libro vsurpatur: *Ego te*, inquit, *Balbo, cùm ad vos proficiscetur, more Romano commendabo.* Iterum, *sed more Romano, quomodo homines non inepti loquuntur, probiorẽ hominem, meliorẽ virum, pudẽtiorem esse neminem.* Est & more Romano, vt homines Romani sentiunt, *Id vtrum Romano more locutus sit, bene nummatum te futurũ: an quomodo Stoici dicũt, omnes esse diuites, qui cælo & terra frui possunt, postea videro.*

cic. lib. 7. familiar. epist. 18.

Plaut. Asinaria sc. Vnum istorum.

Ausonius epist. 8.

Auso. epist. 2.

cic. 7. lib. familiar. epist. 18.

cic. 7. lib. familiar. epist. 5.

cic. lib. 7. epist. 16.

DVODECIMI LIBRI
FINIS.